BIBLIOTECA NAZ.E
XIV
A
45
NAPOLI
XIV
A.
45
BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XIV
A
45
NAPOLI

INSTITVTIONVM IVRIS CANONICI

SIVE

Primorum totius Sacrę Iuriſ-prudentiæ Elementorum.

LIBRI QVATVOR.

AVTHORE

FRANCISCO ANTONIO PHOEBEO

SOCIETATIS IESV.

ROMÆ, MDCXCVIII.
Typis Hæredum Corbelle[illegible]

Superiorum permiſſu.

Nazionale
NAPOLI
V.E. III

AD LECTOREM.

EXiguum Opuſculum non exiguo labore digeſtum accipe, amice Lector. Mens illi fuerat, inter priuata ſcripta deliteſcere, publicæ lucis iudicium de ſua tenuitate reformidanti; Prodeundum tamen illi vel nolenti in publicum fuit, tum eorum impulſibus, quorum nutus obſeruare Religio ipſi eſt; tum pluribus poſtulationibus Amicorum; tum demum, vt quantum per ſe poſſet, quamuis cum nominis detrimento, Tyronum Canoniſtarum vtilitati conſuleret. Ad eum enim ſcopum tota eius ſtructura collimat, vt Iuuenem in Canonica ſcientia prorſus rudem claritate, qua poteſt, erudiendum ſuſcipiat, & à prima vocum intelligentia per omnes fere Sacrorum Canonum rubricas ad ſumma quęque ordinato paſſu deducat. Qua in re illud etiam licentiæ confidenter vſurpauit ſibi, vt non contentum finibus, quos ſibi Author in publica Schola religiosè præſtituit,

ad iudicia quoque tractanda tum ciuilia tum criminalia proſiluerit, & vt pluries liberaliter ex Cæſareo Iure aliqua prælibauerit quę ipſi viſa ſunt cum Canonicis legibus eſſe connexa. Cum enim diſciplinam potiſſimum cogitaret Iuuenum illorum, qui Romani Collegij Gymnaſium frequentabant, è re putauit illa non præterire, vt ſaltem priuato ſtudio addiſcere illi poſſent, quod in lectionibus publicis audire non potuerunt. Vtrum totum hoc conſilium opportune ceciderit, tuum iudicium eſto, Lector amice: idemq; ſi probaueris, ad maius aliquid moliendum animos incitabis. Illud tantùm te rogatum patere, vt ſi quos inueneris huius Operis detractores (inuenies autem plures), & eiuſdem paupertatem ex doctrina, cuius diuites ſunt, aſpernantes; in ipſorum mentem reducere non graueris, ſermonem hic eſſe cum Tyronibus, non cum Sapientiæ Veteranis.

THYRSVS GONZALEZ Præpoſitus Generalis Societatis IESV.

CVM Opus in quatuor Libros *Inſtitutionum Iuris Canonici* à P. Franciſco Antonio Phœbei noſtræ Societatis Sacerdote compoſitum, aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, facultatem facimus, vt typis mandetur, ſi ijs, ad quos pertinet ità videbitur, cuius rei gratiâ, has litteras manu noſtrâ ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 10. Septembris 1698.

Thyrſus Gonzalez.

QVatuor Libros *Inſtitutionum Iuris Canonici*, *ſiue Primorum totius Sacræ Iuriſprudentiæ Elementorum*, ex commiſſione Reuerendiſs. P. Fr. Paulini Bernardini S. A. P. Magiſtri, legi. In eis Sacri Iuris antiqui, & recentioris doctrina compendiosè, & ſimul exactiſſimè tradita, mihi vbique ſana, & recta viſa fuit.

Bernardinus Bruſettus Cappellanus SS. D. N. Innoc. XII. I. V. Doctor, & Sedis Apoſtolicæ Protonotarius.

INDEX
TITVLORVM.

TITVLVS PROOEMIALIS.

DE Iure Canonico in genere, eiuſque Origine pag. 1.
§. I. Quid, & quotuplex ſit Ius pag. 2.
§. II. De Iure gentium, & Ciuili pag. 6.
§. III. De Iure Canonico pag. 13.
§. IV. De Concilijs pag. 23.

LIBER PRIMVS.

TIT I. De Iure perſonarum, ac primo de Summo Pontifice, de Cardinalibus, & Legatis pag. 35.
TIT. II. De Epiſcopis pag. 41.
TIT. III. De poteſtate Epiſcoporum pagina 49.
TIT. IV. De Epiſcoporum electione pagina 63.
TIT. V. De Epiſcoporum confirmatione, & conſecratione pag. 71.
TIT. VI. De Authoritate, & vſu Pallij pag. 77.
TIT. VII. De officio Archidiaconi, Archipresbyteri & Vicarij Epiſcopi pag. 80.
TIT. VIII. De Presbyteris pag. 92.

TIT.

TIT. IX. *De reliquis qui ſunt in Sacris conſtituti pag.98.*
TIT. X. *De ijs qui ſunt in minoribus Ordinibus conſtituti pag.100.*
TIT. XI. *De Præbendis, ſeu Beneficijs Clericorum pag.103.*
TIT. XII. *De ætate, & qualitate promouendorum ad Beneficia pag.109.*
TIT. XIII. *De libera collatione Beneficiorum quoad Summum Pontificem pag.131.*
TIT. XIV. *De libera collatione Beneficiorum quoad inferiores collatores pagina 141.*
TIT. XV. *De Inſtitutionibus, & Iurepatronatus pag.146.*
TIT. XVI. *De renunciatione, & permutatione Beneficiorum, ac de penſionibus pag.160.*
TIT. XVII. *De Regularibus, & Abbatibus pag.175.*

LIBER SECVNDVS.

TIT. I. *De rerum Eccleſiaſticarum diuiſione pag.185.*
TIT. II. *De Sacramentis in genere pagina 187.*
TIT. III. *De baptiſmo, & eius effectu pag.191.*
TIT. IV. *De Sacramento Confirmationis pag.199.*

TIT. V.

TIT. V. *De Venerabili Euchariſtiæ Sacramento pag.204.*

TIT. VI. *De pœnitentijs, & remiſſionibus pag.211.*

TIT. VII. *De Extrema Vnctione pag.222*

TIT. VIII. *De Sacramento Ordinis pagina 229.*

TIT. IX. *De Sponſalibus, & Matrimonijs pag.246.*

TIT. X. *De rebus Sacris, & Religioſis pagina 279.*

TIT. XI. *De immunitate Eccleſiarum, & rerum ad eas pertinentium pag.290.*

TIT. XII. *De rebus Eccleſiæ alienandis, vel non pag.305.*

LIBER TERTIVS.

TIT. I. *De Iudicijs, & illorum diuiſione pag.310.*

TIT. III. *De Iudice, eiuſque officio pagina 315.*

TIT. II. *De Aduocatis, & Procuratoribus pag.324.*

TIT. IV. *De in ius vocando, & contumacia pag.338.*

TIT. V. *De libelli oblati one pag.346.*

TIT. VI. *De exceptionibus pag.352.*

TIT. VII. *De mutuis petitionibus pag.360*

TIT. VIII. *De reſtitutione ſpoliatorum pag.366.*

TIT. IX. *De litis conteſtatione, & de iu-*

ramento calumniæ pag.378.
TIT.X. *De probationibus pag.385.*
TIT.XI. *De Confeſſis pag.390.*
TIT.XII. *De teſtibus, & atteſtationibus pag.394.*
TIT.XIII. *De fide Inſtrumentorum, de Præſumptionibus, & de iureiurando pag.410.*
TIT.XIV. *De ſententia, & re iudicata pag.421.*
TIT.XV. *De appellationibus pag.428.*
TIT.XVI. *De in integrum reſtitutione pag.444.*
TIT.XVII *De arbitris pag.449.*
TIT.XVIII. *De pactis, & tranſactionibus pag.459.*

LIBER QVARTVS.

TIT.I. *De accuſationibus pag.465.*
TIT.II. *De denunciationibus pag.485.*
TIT.III. *De Inquiſitionibus pag.491.*
TIT.IV. *De exceptionibus criminum pagina 507.*
TIT.V. *De Simonia pag.511.*
TIT.VI. *De hæreticis, Schiſmaticis, & Apoſtatis pag.530.*
TIT. VII. *De Sortilegis, maledicis, & Sacrilegis pag.542.*
TIT. VIII. *De homicidio voluntario vel caſuali pag.547.*
TIT.IX. *De furtis pag.552.*
TIT.X. *De Vſuris pag.555.*
TIT.XI. *De adulterijs, & ſtupro pag.562.*

TIT. XII. *De quibuſdam peculiaribus Clericorum delictis pag. 565.*
TIT. XIII. *De priuilegijs, & exceſſibus priuilegiatorum fol. 571.*
TIT. XIV. *De pœnis pag. 583.*
TIT. XV *De ſententia excommunicationis pag. 589.*
TIT. XVI. *De ſuſpenſione pag. 602.*
TIT. XVII. *De Eccleſiaſtico interdicto pag. 606.*
TIT. XVIII. *De depoſitione, & degradatione pag. 618.*
TIT. XIX. *De irregularitate pag. 624.*
Modus ſcribendi atque legendi citationes textuum in vtroque Iure pag. 641.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiſsimo P. Mag. Sac. Palatij Apoſt.

B. de Bellis Epiſc. Meliſtri-cten. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Paulinus Bernardinius Ord. Præd. Sac. Apoſt. Pal. Mag.

INSTITVTIONVM IVRIS CANONICI,

TITVLVS PROOEMIALIS.

De Iure Canonico in genere, eiuſque Origine.

1 DIuino implorato præſidio Inſtitutiones Sacri Iuris aggredior, hoc eſt breuem Sacrorum Canonum methodicamque ſynopſim, quam cultiori diſciplinæ legali præambulam eſſe debere, tùm præceptum Iuſtiniani in proœmio Digeſtorum, tum magiſtra rerum experientia declarauit. Mirum enim quantę facilitatis compendium eſt, Tyronum mentem ordinata illa perbreuique rerum tractatione perpolire, qua vno velut intuitu ſumma rerum primùm aſpiciant, ac deinde ad rimanda diligentius ſingula operam reuocent.

2 Quòd attinet ad ordinem, non alius mihi ſeruandus proponitur, quam quo digeſtæ ſunt Inſtitutiones Cæſareæ, quem ſapienter quoque imitatus eſt Lancellottus in Inſtitutionibus ſuis: diuiſo ſcilicet in quàtuor libros opere, in quo-

rum primo de perſonis Eccleſiaſticis agatur, in ſecundo de rebus, in tertio de Actionibus, & Iudicijs, in quarto de criminibus, & pœnis Eccleſiaſticis: ſub his enim rerum generibus omne ius, quo vtimur, comprehenditur, ex l. 1. *ff. de ſtatu hominum*. Sed, & his omnibus in huius primi libri veſtibulo præmittenda ſunt proœmialia nonnulla circa Ius Canonicum in genere, eiuſque Originem ac proprietates, quæ primò accedentibus ad legalem Diſciplinam ſunt cognoſcenda: ne illotis quodammodo manibus (vt dicitur in *l. 1. ff. de Origine Iuris*) protinus materiam ipſam interpretationis tractemus, neglectis earum rerum præfationibus, quæ & libentius nos ad propoſitæ materiæ lectionem inuitant, & cum ad eãdem materiam venerimus euidentiorem prę̃ſtant intellectum.

§. I.

Quid & quotuplex ſit Ius.

3. IVs eſt generale nomen, quod in multiplici ſignificatione ſumi ſolet à Theologis & Iuriſtis. Aliquando enim ſumitur vt eſt idem quod iuſtum ſeu conforme Legibus particularis Iuſtitiæ, cuius eſt reddere alteri debitum & æquale. Ita ſumitur in *l. Iuſtitia* 10. *ff. de Iuſt.*

Iuſt. & Iure, vbi dicitur ad Iuſtitiam pertinere vnicuique Ius ſuum tribuere.

4. Frequenter quoque ſumitur nomen iuris pro poteſtate legitima ſeu à lege conceſſa, quam quis habet vel circa rem ſuam, vel ad rem ſibi debitàm; Et hoc modo diuidi ſolet in Ius ad rem, & Ius in re, qua diuiſione vtitur *Clem. v. in Clem. vnica de ſequeſtr. poſſeſs. & Bonif. VIII. in c. fin. de conceſs. præb. in 6.* Ius ad rem eſt, quo quis habet ſibi obligatam perſonam in ordine ad aliquam rem; ipſam autem rem nondum habet actualiter obligatam, vt puta ſi quis rem emerit a venditòre, à quo nondum res tradita ſit, habet ius ad rem emptam, quia habet ſibi obligatum venditorem vt rem venditam tradat: ipſam autē rem nondum habet actualiter obligatā, quia rei dominium ante ipſius traditionem regulariter non acquiritur, vt habetur ex *l.* 1. aliſque pluribus *ff. de aquir. poſſeſs. & ff de acquir. rer. dominio*. Ius in re dicitur, quo quis habet ſibi deuinctā, & obligatam ipſam rem, vnde pro ea habenda, vel recuperanda contra quemcūque eiusdem rei poſſeſſorem agere poteſt, quale Ius habet v. g. Emptor rei poſt factam rei traditionem a venditore.

5 Demum omiſſis reliquis, quæ ad propoſitum minus faciunt, Ius frequenter ſumitur prout deriuatur a iubendo,

& vt eſt idem quod iuſſum ſeu lex, vndè per quandam metonymię ſpeciem transfertur etiam aliquando nomen Iuris ad ipſam legalem diſciplinam, in qua Legum peritia continetur, vt videre eſt in *l.* 1. *ff de Iuſt.* & *Iure*, vbi ius definitur *Ars boni, & æqui*.

6. Ius ita ſumptum pro lege diuiditur in naturale, & poſitiuum. Ius naturale dicitur quod eſt vnicuique hominum inſitum ab Authore naturæ, atque intimatum ipſo lumine rationis, quo diſcernimus quid agendum ſit hic, & nunc, quid omittendum, etiam ſecluſo omni alio præcepto extrinſeco. Huius generis ſunt ea rationis dictamina, quibus impellimur ad bene nobis facienti benefaciendum, ad curandam vitæ conſeruationem, aliaque ſimilia: Et quia plurimæ eiusdem generis inclinationes apparent etiam in brutis; ideo in *cit. l.* 1. *ff. de iuſt.* & *iure* dicitur Ius naturale eſſe *quod Natura omnia animalia docuit*, quamuis inclinationes illæ prout in brutis ſunt, non dicantur proprie Ius naturale, cum non a ratione, quæ eſt fundamentum Iuris, ſed ab inſtinctu quodam ſenſitiuo proficiſcantur.

7 Inde fit ius naturale immutabile eſſe ex natura ſua; totamque mutationem, quæ aliquando contingit circa ea quæ ſunt iuris naturalis, oriri non ex

mu-

mutatione eiuſdem Iuris, ſed ex variatione circumſtantiæ, ratione cuius deſinit aliquid eſſe obiectum a Iure naturali prohibitum vel præceptum, ſicut eſſet ea circumſtantia ſecluſa.

8. Ius poſitiuum vocatur, quod a libera Dei, vel hominis voluntate ſancitum eſt, ac propterea mutabile eſt, in eoque differt à iure naturali. Subdiuiditur in Diuinum, & humanum.

9. Ius poſitiuum diuinum eſt quod libere à Deo latum eſt, idque ſubdiuiditur in vetus, & nouum. Vetus eſt quod in Veteri Teſtamento Deus condidit in tria præceptorum genera diſtinctum, nempè in pręcepta iudicialia quæ ad iuſtam Hebraicæ Reip. gubernationem ſpectabant; in præcepta cęremonialia, quibus ſpeciales modi colendi Deum, Religionemque ſeruandi præſcribebantur; & in præcepta moralia quibus informabatur morum diſciplina, cuius generis ſunt præcepta Decalogi: quamuis hæc ſint Iuris quoque naturalis; vnde factum fuit, vt hæc moralia perſeuerauerint etiam iu Teſtamento nouo, in quo cæteroquin veritate vmbræ ſuccedente per Chriſtum Dominum, cæremonialia illa, & iudicialia ceſſauerunt. Ius poſitiuum Diuinum nouum eſt quod in nouo Teſtamento condidit Chriſtus Dominus, cuius generis ſunt ea, quæ

pertinent ad Sacramenta nouæ Legis.

10. Ius poſitiuum humanum dicitur, quod ab homine latum eſt habente poteſtatem legislatiuam, quod etiam ſubdiuiditur in Ius gentium, Ius Ciuile, & Ius Canonicum, de quibus iuris ſpeciebus ſermo erit in ſequentibus.

§. II.

De Iure gentium, & Ciuili.

1. NOmen Iuris gentium dupliciter ſumi poteſt: primo lato modo, quatenus complectitur omne illud Ius, quod eſt omnibus hominibus proprium, atque commune, ſub qua acceptione venit etiam ius naturale, ſolis, & omnibus hominibus competens, quod ab aliquibus vocatur ius naturale ſecundarium, ad diſcrimen alterius iuris naturalis communis cum brutis, quod vocant Ius naturale primarium: atque ita ſumitur in *l. 2. & 3. ff. de Iuſt. & iure*, vbi in eius exemplum affertur Religio erga Deum, pietas erga parentes &c. quæ tamen ſunt iuris naturalis, ſeù vnicuique hominum inſiti ab Authore naturæ, etiã ſecluſo omni alio præcepto extrinſeco.

2. Secundo ſumi poteſt ſtrictius prout adæquatè diſtinguitur a toto Iure naturali; & tunc nomine Iuris gentium intelligitur Ius illud, quod omnibus,

aut

aut pleriſque gentibus commune, & proprium eſt, ità tamen vt non fundetur in ſolo rationis inſtinctu, ſed introductum fuerit communibus moribus, & conſuetudine ad exigentiam humanæ vtilitatis, aut neceſſitatis. Huius generis ſunt plerique contractus, bella, paces, fœdera, aliaque ſimilia, quæ numerantur in §. *Ius autem gentium. Inſtit. De Iure natur. gent. & ciu.*, & in *can. Ius gentium* 10. *diſt.* 1.

3. Ius ciuile genericè ſumptum eſt omne illud Ius, quod in qualibet humana Rep. conſtitutum eſt ab homine, vel ab ipſa Communitate pro gubernatione politica, & conſeruatione pacis, atque Iuſtitiæ. Plerumque tamen nomine Iuris Ciuilis abſolutè, & ſine addito prolati intelligitur per Antonomaſiam Ius commune Cæſareum, ſeu Romanorum, ſicut cum Poetàm dicimus, nec addimus nomen, ſubauditur apud Græcos Homerus, Virgilius apud latinos, quod eſt exemplum allatatum in §. *Sed Ius quidem ciuile. Inſtit. De Iure natur. gent. & ciuili*.

4. Ius Ciuile ita ſumptum aliud eſt ſcriptum, aliud non ſcriptum. Ius non ſcriptum eſt conſuetudo, quam diuturni mores conſenſu vtentium comprobarunt, vt dicitur in §. *Ex non ſcripto. Inſtit. eod.* Conſuetudo enim eſt Ius quoddam

moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cum deficit lex *c. conſuetudo 6. diſt.* 1. Ius ſcriptum dicitur, quòd à Legislatore legitimo immediate latum eſt, ſcriptumque dicitur, non quod ad legis eſſentiam requiratur eius promulgatio per ſcripturam, ſed quia leges Principis ſolentplerumque per ſcriptum promulgari.

5. IurisCiuilis ſcripti ſpecies plures ſunt, quæ numerantur in §. *conſtat*, & *ſeqq. Inſtit. eod*; videlicet lex ſpecificè ſumpta, plebiscita, Senatus Conſulta, Magiſtratuum edicta, edicta Prætorum, Principum placita, Reſponſa prudentum. Nomine legis ſpecificè ſumptæ intelligitur ea Conſtitutionum ſpecies, quas Populus Rom. Senatorio Magiſtratu interrogante, veluti Conſule conſtituebat. Plebiscitum eſt quod Plebs Magiſtratu plebeio interrogante veluti Tribuno decreuit, cuius generis decretis robur communis legis acceſſit per legem Hortenſiam, ita dictam ab Hortenſio, qui ad conciliandam pacem inter Nobiles, & Plebeios ſtatuit, vt eorum Plebiſcita vim communis legis haberent. Senatuſconſultum eſt quod Senatus iuſſit, atque conſtituit. Edicta Magiſtratuum, aut Prætorum, quæ iuſſa ſunt a Magiſtratibus, aut Prætoribus. Principum placita, quæ Imperatores vel per

per reſcripta, vel per ſententias definitiuas, vel per edicta decreuerunt. Reſponſa demum Prudentum ſunt ſententiæ, & opiniones veterum quorundam Iuriſconſultorum, quibus, vel permiſſum fuit a Principe Iura condere, vel quorum dictis ab authoritate Principis robur legis acceſſit. Sumuntur hæc ex cit. loco Inſtit. & ex *l. 2. ff. de origine Iuris*.

6. In omnibus his Iurium ſpeciebus tam multa olim diuerſis temporibus ſtatuta ſunt, vt duo penè millia librorum numerata fuerint, & pluſquam tricies centena millia verſuum quibus Iura continerentur ex *l. 2. C. De vet. iure enucl.* non ſine magno diſciplinæ legalis incommodo, cui ex tam ingenti rerum multitudine plurima præterire neceſſarium erat. Huic malo vt mederetur Iuſtinianus, ſapienter ſtatuit tam inconditam vaſtitatem breuioribus terminis reſtringere, reiectiſque contrarijs, ac ſuperfluis, moderatum legum compendium reformare, vt factum fuit per Tribonianum, aliosque in legali facultate florentiſſimos viros: atque illud eſt quod modo habemus, & eſt in vſu, diciturq; Corpus Iuris Ciuilis.

7. Conſtat autem Corpus hoc Iuris Ciuilis pluribus partibus. Prima eſt Digeſtum in tres partes diſtributum, nem-

pe in Digeſtum vetus conſtans 24. libris; in Infortiatum, ita dictum fortaſſe, quia continet leges circa Teſtamenta, & vltimas voluntates, quæ ſunt leges fortiſſimæ, & irreuocabiles, complectiturque 14. libros, & in Digeſtum nouum conſtans 12. libris: vnde totum Digeſtum vniuerſaliter continet 50. libros, diciturque etiam Pandectæ a græco vocabulo *πᾶν* quod ſignificat *totum* & a verbo δέχομαι, quod ſignificat *continere*, ſeu *capere*, quaſi ſit volumen continens in ſe omnes diſputationes, & deciſiones legitimas, vt explicatur in *l. 2. C. de vet. Iure enucl.* Ex hoc Pandectarũ nomine ortum habuit mos ille communis inter Recentiores citandi Digeſtum per duplex ff. Nam cum olim citaretur per grecam litteram *π*, quæ eſt initialis in hac voce *πανδέκται*, eademque littera habeat aliquam ſimilitudinem duorum ff. paulatim ex errore Librariorum citari cœpit per duo ff. atque ita etiam apud Iuriſtas conſuetudine inualuit. Ita tradit *Alciatus lib. 3. Diſpunct. cap.* 16. quamuis adhuc moderni Doctores non deſint, qui primæuum citandi morem retinent per litteram græcam *π*, vel latinam D.

8. Altera pars Corporis Iuris Ciuilis eſt Codex, ita dictus per Antonomaſiam; quia quamuis omnis liber vocari poſſit Codex, hic tamen dicitur Codex

ſine

ſine addito propter dignitatem, vtpotè continens conſtitutiones, & reſcripta Imperatorum. Conſtat autem 12. libris, quorum primi nouem poſiti ſunt in proprio volumine, reliqui verò regiſtrantur poſt volumen Authenticorum. Citàtur autem per litteram maiorem C.

9. Alia pars eſt Volumen Authenticorum diuiſum in 9. Collationes, ità dictas, quia in illis ſunt ſimul collectæ Conſtitutiones Iuſtiniani: dicunturque etiam Nouellæ, quia à Iuſtiniano factæ fuerunt poſt Codicis compilationem. Ex hoc volumine Authenticorum translatę poſtea fuerunt in Codicem, & congruis titulis appoſitę quędā particulę ab Yrneriò quingentis annis poſt Codicis compilationem, vt notat *Cæſar Coſta lib.* 1. *variar. ambiguit. Iuris cap.* 34. quæ leges ita translatæ vocantur ab Authoribus *Authenticæ*, cum cæteroquin lex vt incluſa in volumine Authenticorum dicatur *Authenticum*. Poſt Authentica reperiuntur in Corpore Iuris duo libri conſtitutionum, ſeu conſuetudinum feudalium, ac deinde nonulla alia Opuſcula continentia quasdā Conſtitutiones Friderici, & Henrici Imperatorum.

10. Demum in fine ponuntur Inſtitutiones Iuſtiniani, quæ ſunt quoddam legum compendium, ac prima ſcientiæ

legalis Elementa, ad eandem facilius addiſcendam apta methodo concinnata, ac diuiduntur in 4. libros. Quod autem in Inſtitutionibus fiat nonumquam mentio Codicis iam ante compoſiti, vt in §. *Sed nec huiusmodi. Inſtit. de Legatis*; & viciſſim in Codice fiat mentio Inſtitutionum iam ante compoſitarum vt in *l. Meminimus* 15. *C. de Legitimis hæredib.* repugnantiam non habet. Notandum enim eſt, ante compoſitionem Inſtitutionum, imo & ante Digeſtum, authoritate Iuſtiniani fuiſſe compilatumCodicem quendam qui Iuſtinianeus appellatus fuit, abrogatis àlijs tribus Codicibus, qui tunc temporis extabant, nempè Gregoriano, Hermogeniano, atque Theodoſiano de quibus ſermo eſt in *l. vnica C. de nouo Codice faciendo.* Poſtea iuſſu eiusdem Iuſtiniani ille idem Codex Iuſtinianeus emendatus fuit, & ſic editus fuit alius Codex poſtquam editæ iam eſſent Inſtitutiones, vt conſtat ex *l. vnica C. de emendat. Cod. Iuſtiniani.* Hic vltimus emendatusCodex eſt quem nunc habemus, vndè mirum non eſt fieri in eo mentionem Inſtitutionum compoſitarum. Codex autem, cuius fit mentio in Inſtitutionibus, eſt ille Codex Iuſtinianeus antiquior, qui nunc non extat, vt patet ex eo quod leges nonnullæ, quæ ibi citantur ex Codice non reperi-

periantur in Codice, quem habemus.

§. 3.

De Iure Canonico.

1 VLtima, & nobiliſſima ſpecies Iuris humani poſitiui eſt Ius Canonicum, ita dictum a græca voce *κάνων* quæ ſignificat idem quod latinè *Regula* ex *c. Canon. 2. diſt. 3.* eoqne nomine ſignificātur Eccleſiaſticæ leges ad Diuinū cultum, & ſupernaturalem finem animarum ordinatæ, quæ per Antonomaſiam ſibi vindicant nomen regulæ, quia quamuis omnis lex generaliter, ſiue Canonica, ſiue Ciuilis, dici poſſit regula iuſti; Lex tamen Canonica eſt nobilior regula, vtpotè procedens a poteſtate nobiliori, qualis eſt poteſtas Eccleſiaſtica, & ad nobiliorem finem hominem dirigens. Vocari quoque ſępè ſolet Ius Pontificium, denominatione ſumpta a Summis Pontificibus eius Authoribus, & a quibus habet authoritatem. Item vocatur nonnumquam lato modo Ius Diuinum, vt in *c. cum de diuerſis. 2. de Priuileg. in 6.* tum quia Canones dictati ſunt inſtinctu ac dono Spiritus Sancti, vt dicitur in *c. Violatores. 5. 25. q. 1.* tum quia proceſſerunt ex authoritatibus noui, & veteris Teſtamenti, ex *c. Qualiter*

ter 24. De Accuſationibus, tum demum quia Summus Pontifex accepit poteſtatem condendi ipſas leges a Chriſto Domino, tanquam ipſius Vicarius, & Succeſſor Petri.

2. Canon ita generice acceptus multipliciter diuidi poteſt. Primo enim alius eſt vniuerſalis, ſeu communis; alius particularis. Vniuerſalis, ſeu communis dicitur qui fertur pro tota Eccleſia; particularis autem, qui fertur tantumodo pro certo particulari loco, extrà quem Canon ille non obligat, cuius generis ſunt leges illę particulares, quę ſtatutæ ſunt tantùm pro hoc, vel illo particulari Epiſcopatu &c. Nomen tamen Canonis abſolutè prolatum ſolet intelligi de lege Eccleſiaſtica vniuerſali.

3. Secundo alius eſt Canon ſcriptus, alius non ſcriptus, quemadmodum etiam Ius Ciuile paulo ante diuidebamus. Canon ſcriptus dicitur, quem fert Eccleſiaſticus Legislator, qui plerumque leges ſuas per ſcripturam promulgare ſolet. Canon non ſcriptus eſt Conſuetudo longo vſu firmata obligans per modum Legis.

4. Tertio Canon ſcriptus genericè acceptus ſubdiuiditur in Canonem ſpecifice ſumptum, ſeu in ſignificatione minus ampla, in Decretum, in Epiſtolam Decretalem, in Dogma, in Mandatum

datum, in Interdictum, & Sanctionem, quæ diuiſio aſſertur à Gloſ. in decreto Grat. *diſt.3.v.omnes*. Nomine Canonis ſpecificè ſumpti, ſeu in ſignificatione minus ampla intelligitur Conſtitutio, ſeu lex edita à Concilio generali. Decretum etiam ſpecificè ſumptum eſt Conſtitutio edita à Summo Pontifice, nulla præcedente alicuius conſultatione. Epiſtola Decretalis dicitur Conſtitutio facta à Summo Pontifice ad conſultationem alterius, ſcripto tranſmiſſa, & publicata. Dogma eſt Conſtitutio doctrinalis circa fidem. Mandatum, Conſtitutio circa mores. Interdictum, conſtitutio aliquid prohibens, nulla certa pœna pro tranſgreſſoribus interpoſita. Sanctio demum, per quam ita aliquid prohibetur, vt ſimul adijciatur certa pœna tranſgreſſori. Sumuntur hæc ex *præcit.Gloſſ.* Omnes tamen iſtæ Conſtitutionum ſpecies ſępe veniunt, & confunduntur ſub vno eodemque nomine Canonis, ſeu legis Eccleſiaſticæ.

5. Quartò demum Canon alius dicitur Extrauagans, alius incluſus in corpore Iuris. Canon incluſus in corpore Iuris dicitur omnis illa Conſtitutio, quæ repoſita eſt in voluminibus componentibus corpus Iuris Canonici, videlicet, vel in Decretalib. Gregorij, vel in Sexto, vel in Clementinis & c. Canon

Extra-

Extrauagans vocatur ea Conſtitutio, quæ nondum poſita eſt in prædictis voluminibus, ſed quaſi extra vagatur, quales ſunt Conſtitutiones Summorum Pontificum editæ poſt compilationem totius corporis Iuris Canonici: quod nomen adhuc retinetur etiam à quibuſdam Conſtitutionibus, quæ componunt librum Extrauagantium intra corpus Iuris; quia ſcilicet tale nomen habuerant antequam eidem corpori adnecterentur, vnde factum eſt vt etiam poſtquam factæ ſunt partes eiuſdem corporis in ea quaſi poſſeſſione eiuſdem nominis perſeuerauerint.

6. Ad huius rei intelligentiam ſciendum eſt, à primis vſque temporibus naſcentis Eccleſiæ, totoque ſequentium ſæculorũ curſu, plurimos Canones editos fuiſſe, vel ab ipſis Apoſtolis, vel à Concilijs, vel à Summis Pontificibus ad Eccleſiaſticam diſciplinam ordinatis, quorum vt facilior cognitio præ manibus haberetur, diuerſæ à diuerſis Autoribus compilationes factæ ſunt. Vt antiquiores omittam, de quibus videri poteſt *Giball. to. 2. de ſcient. Canon. lib. 5. cap. 10. q. vnica. & Emanuel Gonzal. to. 1. in Decretal. in apparatu de orig. & progreſ. Iuris Can. n. 46. & ſeqq.* Canonum collectio vſu celebrior, & approbata ea eſt, quæ ſignificatur nomine corporis

Iu-

Iuris Canonici, conſtatque Decreto Gratiani, Decretalibus Gregorij, Sexto Decretalium, Clementinis, & volumine Extrauagantium.

7. Decretum Gratiani dicitur volumen à Gratiano Monacho Ordinis S. Benedicti compilatum, cui operi doctas Gloſſas nonnulli Doctores addiderunt. Quia verò in hoc volumine, præter decreta Summorum Pontificum, & Conciliorum, quæ vim Canonis procul dubio habent, intermixta leguntur alia plurima, vel ex Sanctis Patribus, vel ex alijs Interpretum fragmentis, vel etiam ex iure ciuili petita: controuertitur inter Doctores vtrum illa omnia, & ſingula quatenus translata ſunt in hoc volumen cenſeri debeant canonizata, hoc eſt vim Canonis aquiſiuiſſe? In qua controuerſia affirmatiuam ſententiam tradiderunt aliqui Canoniſtæ, quos refert, & ſequi videtur *Fel. in cap. 2. de reſcr. n.* 45. In contrarium tamen eſt plurium aliorum ſententia, quos refert, & ſequitur *Sanch. de matrim. lib. 9. diſp. 12. num. 5. Suar. de leg. lib. 4. cap. 5. num. 6.* alijque plures, quos etiam ſequitur *Rota apud Feriam deciſ.* 480. qui docent ſingula apud Gratianum reperta referenda eſſe ad Authores ſuos ex quibus deſumpta ſunt, tantumque authoritatis habere quantum ipſi Authores merentur, niſi ſint à Summo

mo Pontifice canonizata, ſeu approbata in aliquo Canone, vt etiam tradit *Gloſ. in cap.1.de reb.Eccl. non alienan. in 6. v. tractatus.* In foro tamen externo ſingula citari poſſunt, & ſolent ad cauſarum deciſionem, & obſeruari ac ſi eſſent Canones Eccleſiaſtici.

8. Decretum hoc Gratiani in tres præcipuas partes diuiditur, quarum prima continet 101. diſtinctiones in plures Canones, ſeu capita ſubdiuiſas. Secunda pars continet 36. Cauſas ſubdiuiſas pariter in plures quæſtiones, & Canones, ſeu Capita: excepta quæſt. 3. cauſæ 33. quæ continet tractatum de pœnit.in 7.diſtinctiones per Canones, ſeu capita diuiſum. Demum tertia pars Decreti continet quinque diſtinctiones diuiſas in Canones, vel Capita agentia de Conſecratione.

9. Secunda pars corporis Iuris Canonici eſt volumen Decretalium, quæ dicuntur Gregorij IX. quia illius iuſſu collectæ ſunt ex varijs reſcriptis, & Conſtitutionibus Summorum Pontificum, Conciliorumque decretis per Sanctum Raymundum de Pennafort Ordinis S.Dominici Capellanum, & Pœnitentiarium eiuſdem Pontificis, cuius voluminis Gloſſator eſt Bernardus Parmenſis. Diuiditur autem in quinque libros continentes Titulos, & Capita, in

in quorum primo agitur de Miniſtris Eccleſiæ, eorumque electione, ordinatione, officijs vſque ad titulum 34. ac deinde ſub finem eiuſdem libri ſubnectuntur principia iudiciorum. In ſecundo libro agitur de Iure quod præcipue eſt circa Iudicia. In tertio libro de Clericis, necnon de quibuſdam quæ ſunt Clericis Laicíſque communia. In quarto de Sponſalibus, & matrimonio. In quinto de criminibus, & pœnis. Quæ omnia breuiter indicantur veteri illo verſiculo quinque vocibus conſtante, quæ totidem libris Decretalium ſuo Ordine correſpondent: *Iudex. Iudicium, Clerus. Sponſalia. Crimen.*

10. Tertia pars Corporis Iuris Canonici eſt ſextus Decretalium, iuſſu Bonifacij VIII. compilatus Opera, & ſtudio Guillelmi Archiepiſcopi Ebredunenſis, Berengarij Epiſcopi Biterrenſis, & Richardi de Senis S. R. E. Vicecancellarij ex pluribus Pontificum reſcriptis Conciliorumque decretis, quæ emanauerant poſt editum volumen Decretalium antiquarum Gregorij IX. cuius Operis Gloſſator eſt Ioannes Andreæ Bononienſis. Vocatur autem *Sextus*, quia additus fuit quinque antiquioribus libris Decretalium Gregorij, quamuis etiam ipſe diuidatur in quinque libros continentes ſimiliter titulos ex Decreta-

ta-

talibus Gregorij deſumptos, & capita.

11. Quarta pars corporis Iuris Canonici ſunt Clementinæ, & volumen Extrauagantium. Primæ ſunt Conſtitutiones Clementis V. editæ in Concilio Viennenſi, quibus Gloſſas addidit prædictus IoannesAndreas;ſuntque ſimiliter diuiſę in quinque libros continentes titulos ex Decretalibus Gregorij deſumptos, & capita.

12. Volumen Extrauagantium ſubdiuiditur in duas partes, in quarum prima continentur Extrauagantes Ioannis XXII. quibus Gloſſas addidit Zenzelinus de Caſſanis; in altera autem ſunt Extrauagantes diuerſorum Pontificum poſt Sextum emanatæ, quibus Gloſſas appoſuerunt Ioannes Monachus, Guillelmus de Monte Lauduno, & Ioannes Franciſcus de Pauinis. Ratio autem quare Extrauagantes dicantur, paulò ſuperius indicata eſt.

13. Iſtæ ſunt partes ex authoritate Pontificia receptæ componentes corpus Iuris. Aliæ Conſtitutiones Summorum Pontificum,& Conciliorum poſt illarum omnium compilationem emanatæ vim etiam Canonum habent, vocarique poſſunt Extrauagantes, quia quodammodo vagantur extra idem corpus, vtpote nondum in vnum volumen ſub congruis titulis ex authoritate Pontificis compilatæ,

latæ, quamuis authoritate priuata Petrus Matthei Iuriſconſultus Lugdunenſis, earum plures compilauerit, & ſub proprijs titulis in quinque libros diſtribuerit, quos vocauit ſeptimum Decretalium.

14. Totum hoc Canonicum corpus componitur partim ex ſacrarum Litterarum præceptis, partim ex Summorum Pontificum Conſtitutionibus Conciliorumque Decretis, partim ex Sanctorum Patrum ſententijs, partim demum ex aliquibus ſtatutis legum ciuilium: cum eo tamen inter hæc omnia diſcrimine, quod præcepta ſacrarum Litterarũ, Summorum Pontificum Conſtitutiones, Conciliorumque approbatorum decreta habeant per ſe vim legis Eccleſiaſticæ; at ſtatuta legum ciuilium ſecundùm ſe, quamuis obligent, & obſeruentur etiam in foro Eccleſiaſtico, ſuppoſito quod neque Canonicis decretis neque bonis moribus aduerſentur, ex *c.* 1. *de noui operis nunciatione*, iuncto *c.* 2. 5. alijque *diſt.* 10. attamen vim non habent Canonis Eccleſiaſtici, niſi quatenus in aliquam Conſtitutionem Canonicam tranſlata ſunt, & aſſumpta tamquam ſua à Summo Pontifice, iuxta illud Iuſtiniani in *l.* 1 *C. de veteri Iure enucl. Omnia noſtra facimus quibus authoritatem noſtram impartimur*, cui etiam conſonat *c. ſi Apoſtolicæ* 22. *de præb. in* 6.

Idem

15. Idem proportionaliter dic de ijs Sanctorum Patrum ſententijs, quæ translatæ ſunt in volumina Decretalium & à Summo Pontifice approbatæ: ſic enim cum alijs Conſtitutionibus Pontificijs parem Iuris authoritatem habent, quod illis non competeret, ſi mediante ea translatione, & approbatione Summus Pontifex illas non feciſſet ſuas; quia tunc tantummodo poſt Summorum Pontificum Conciliorumque decreta ſecundum pro decidendis cauſis locum haberent, vt conſtat ex *c.*1.*diſt.* 20. quia ſcilicet ad condendam legem non tam ſcientia quàm iuriſdictio neceſſaria eſt.

16. Quod autem attinet ad Conciliorum decreta, diſtinguendum eſt vtrum ſint decreta Conciliorum vniuerſalium, an Conciliorum particularium. Decreta Conciliorum vniuerſalium a Summo Pontifice approbatorum habent per ſe vim Canonis vniuerſalis, ſiue reperiantur inſerta in Corpore Iuris Canonici; ſiue non reperiantur ibidem inſerta: at decreta Conciliorum particularium ſecundùm ſe ſunt Canones particulares, eam tantum diœceſim, ſeu prouinciam obligantes, pro qua particulare Concilium congregatum fuit, niſi tamen aſſumpta ſint a Summo Pontifice, & facta tamquam ſua, quemadmodum ſua fecit ea quæ reperiuntur inſerta in libris De-

cre-

cretalium, iuxta illud præcitatum: *omnia noſtra facimus quibus authoritatē noſtram impartimur*. Ratio iſtorum eſt: quia vis & extenſio legum dependet a vi & extenſione iuriſdictionis, ſiquidem extra territorium ius dicenti non paretur impune, *ex cap. 2. de conſtit. in 6.* Vis igitur Canonis vniuerſalis procedere non poteſt niſi ab habente iuriſdictionem vniuerſalem ſupra totam Eccleſiam: atqui ſolus Summus Pontifex, & ſolum Concilium generale a Summo Pontifice approbatum habet iuriſdictionem vniuerſalem ſupra totam Eccleſiam; Concilinm autem particulare habet tantummodo iuriſdictionem ſupra diœceſim, vel prouinciam pro qua congregatum eſt: ergo ſolum ea quæ Summus Pontifex, & quæ Concilium generale approbatum decreuit, aut quæ Summus Pontifex facit ſua, vim habent Canonis vniuerſalis.

§. IV.

De Concilijs.

1. AD clariorem iſtorum intelligentiam, ſciendum eſt nomine Concilij in Eccleſia nihil aliud intelligi, quam Conuentum Epiſcoporum, aut etiam aliorum, qui de iure, vel

vel priuilegio, vel conſuetudine admitti debent, legitimè congregatum, ad ſtatuendum collatis ſententijs ſuper rebus emergentibus, quod verum, aut vtile iudicauerint. Rurſus ſciendum eſt, plures eſſe eiuſmodi Conciliorum, ſeu Conuentuum ſpecies in Eccleſia. Aliud enim eſt Concilium particulare, quod ſubdiuiditur in Diœceſanum, Prouinciale, & Nationale; aliud Concilium generale.

2. Concilium diœceſanum eſt quod in ſua particulari diœceſi congregatur ab Epiſcopo, ex Presbiteris ſui Epiſcopatus, quibus ipſe Epiſcopus præeſt.

3. Concilium Prouinciale vocatur ad quod vocantur omnes Epiſcopi ſuffraganei vnius Prouincię, quibus præeſt Metropolitanus, ſeu Archiepiſcopus, cuius generis plurima reperiuntur in voluminibus Conciliorum.

4. Concilium Nationale eſt ad quod vocantur omnes Archiepiſcopi, & Epiſcopi vnius Regni, vel nationis, quibus præeſt Patriarcha, vel Primas eiuſdem Nationis, qualia ſunt multa Concilia Romana, Toletana, & Africana, quæ nonnunquam vocantur etiam generalia, quia videlicet generalia ſunt relate ad illud Regnum, ſeu nationem, quamuis abſolute, & quoad totam Eccleſiam non ſint vniuerſalia.

5. De-

5. Demum Concilium generale, quod etiam appellatur OEcumenicum, hoc eſt totius Orbis Chriſtiani, eſt, ad quod vocantur Epiſcopi totius Eccleſię, qui poſſunt, & debent eidem intereſſe niſi legitime impediantur, & cui præſidet Summus Pontifex per ſe, vel per ſuos Legatos. Eius conuocatio ſpectat vnice ad Summum Pontificem, vt conſtat ex tota diſt. 17. apud Gratianum, quemadmodum, & vnice ad Summum Pontificem ſpectat eiuſdem confirmatio, ſine qua eiuſdem Canones nullatenus Eccleſiam obligarent, quam confirmationem requiri etiam pro Concilijs Prouincialibus deciſum fuiſſe a Sacra Congregatione in *Florent. & Ianuen. die* 24. *Iuly* 1573. refert eruditiſſimus *D. Pignatell. Conſult. Canon. tom.* 4. *Conſult.* 132. *num.* 13.

6. In hac confirmationis neceſſitate fundatur celebris illa generalium Conciliorum in Eccleſia celebratorum diuiſio, quorum aliqua dicuntur ſimpliciter approbata; alia ſimpliciter reprobata; alia partim approbata, partim reprobata. Primi generis ſunt, quæ ſimpliciter confirmata fuerunt authoritate Summi Pontificis. Secundi generis, quæ ab eadem authoritate penitus ſunt reiecta. Tertij demum generis, quæ partim confirmata ſunt, videlicet quoad aliqua parti-

ticularia, vel quoad aliquos Canones; partim reiecta, ſiue quoad alia ſtatuta, alioſue Canones non confirmata.

7. Concilia ſimpliciter approbata, & vniuerſaliter recepta in Eccleſia ſunt 18. vt videri poteſt apud *Bellar. lib. 1. Controu. de Concilijs cap. 5.* ex quo ſequentem Catalogum hic breuiter atteximus, præſcindendo ab ijs, quæ celebrata ſunt ab Apoſtolis, de quibus ſermo eſt in libro Actuum Apoſtolorum.

8. Primum concilium eſt Nicenum, ita dictum quia celebratum fuit Niceæ in Bithinia. Incępit anno Domini 327. ſeu vt alij malunt anno 325. & durauit tribus annis. Conuocatum fuit authoritate S. Sylueſtri Summi Pontificis, qui eidem præſedit per ſuos Legatos Oſium Epiſcopum, Victorem, & Vincentium. Interfuere 318. Epiſcopi, & ipſe Imperator Conſtantinus Magnus non tamquam Iudex, ſed vt ſua maieſtate pacem conciliaret, & promoueret. Cauſa congregandi Concilij duplex fuit. Prima vt damnaretur hæreſis Ariana, quæ negabat diuinitatem Verbi Diuini. Secunda vt reſolueretur vetus controuerſia de die, in quo ab Eccleſia celebrari Paſcha deberet.

9. Secundum Concilium eſt Conſtantinopolitanum primum celebratum 56. annis poſt Nicænum authoritate S. Da-

Damaſi Summi Pontificis, Imperante Theodoſio Magno Seniore. Quamuis autem eidem Concilio nullus Epiſcopus interfuerit ex Prouincijs Occidentalibus; adhuc tamen recipitur ab Eccleſia tamquàm legitimum, & vniuerſale Concilium, quia eodem tempore Summus Pontifex Romæ coegerat Synodum Occidentalium, coniunctiſque animis atque ſententijs, quamuis loco diſtantes, duæ illæ Synodi tamquam vnica proceſſerunt. In hoc concilio damnata fuit hæreſis Macedonij, quæ Spiritus Sancti Diuinitatem negabat. Interfuerunt autem Epiſcopi ex diuerſis Prouincijs 150.

10. Tertium Concilium eſt Epheſinum celebratum anno Domini 434. vel vt alij malunt, anno 431. Cœleſtino I. Summo Pontifice, & Theodoſio iuniore Imperatore. Conuenerunt 200. Epiſcopi, quibus præfuit Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, tamquam Pontificius Legatus. Cauſa congregandi huius Concilij fuit hæreſis Neſtorij, quæ impie negabat B. Virginem eſſe Dei Matrem, & in Chriſto Domino ponebat duas Perſonas inter ſe diſtinctas, videlicet Perſonam Diuinam, & perſonam humanam.

11. Quartum Concilium eſt Calcedonenſe, Leone I. Summo Pontifice,

& Marciano Imperatore, anno 454. vel vt alij volunt anno 451. Interfuerunt 630. Epiſcopi. Congregatum autem fuit ad damnandam hæreſim Eutichetis, quæ vnam tantum Naturam in Chriſto dari aſſerebat.

12. Quintum Concilium eſt Conſtantinopolitanum II. Vigilio Summo Pontifice, & Iuſtiniano ſeniore Imperatore, anno Domini 553. Interfuerunt Epiſcopi 165. Cauſa eius congregandi fuit ad damnandas quaſdam propoſitiones Origenis, & tres libellos editos à Theodoro Mopſueſteno, Theodoreto Cirenſi, & Iba.

13. Sextum Còncilium eſt Conſtantinopolitanum III. incœptum ab Agathone Summo Pontífice, ſed terminatum, & approbatum à Leone II. imperante Conſtantino IV. dicto Pogonate, anno Domini 681. Interfuerunt 289. Epiſcopi. In hoc Concilio damnata fuit hæreſis eorum, qui vnam tantum voluntatem in Chriſto eſſe dicebant, vnde vocabantur Monothelitæ.

14. Septimum Concilium eſt Nicænum II. celebratũ anno Domini 781. vel vt alijs placet 787. Adriano I. Summo Pontifice, & Conſtantino Imperatore ac Irene eius Matre. Interfuerunt 350. Epiſcopi. Cauſa huius Concilij fuit, vt ſuſtineretur cultus Sacrarum Imaginum,

qui

qui ab hæreticis Iconoclaſtis impugnabatur.

15. Octauum Concilium eſt Conſtantinopolitanum IV. quod celebratum fuit Adriano II. Summo Pontifice, & Imperatore Baſilio, anno Domini 870. Circa numerum Epiſcoporum variant Authores. Eidem tamquam Pontificij Legati præſederunt Donatus, & Stephanus Epiſcopi, & Marinus Rom. Eccleſiæ Diaconus. Congregatum autē fuit pro depoſitione Photij iniuſtè intruſi in ſedem Conſtantinopolitanam, & pro reſtitutione Ignatij legitimi Epiſcopi.

16. Nonum eſt Concilium Lateranenſe I. habitum anno 1123. Caliſto II. Summo Pontifice, & Henrico V. Imperatore. De numero Epiſcoporum non conſtat inter Authores. Coactum autem fuit pro recuperanda Terra Sancta contra Infideles, & pro componenda concordia inter Summum Pontificem & Imperatorem.

17. Decimum eſt Lateranenſe II. celebratum anno 1139. Innocentio II. Summo Pontifice, & Conrado III. Imperatore. Interfuerunt 1000. Epiſcopi. Cauſa eius congregandi fuit vt reſcinderentur acta cuiuſdam Anacleti Antipapæ, & vt ſuſtineretur Baptiſma collatum Infantibus ante vſum rationis, cuius valor ab aliquibus hæreticis impugnabatur.

18. Vndecimum eſt Lateranenſe III. celebratum anno Domini 1179. Alexandro III. Summo Pontifice, & Friderico I. Imperatore. Interfuerunt 300. Epiſcopi. Coactum autem fuit pro deſtruenda hæreſi Albigenſium, ac Valdenſium, & pro deſtruendis Schiſmaticis Ordinatis per intruſos Pontifices.

19. Duodecimum eſt Lateranenſe IV. Innocentio III. Summo Pontifice, & Friderico II. Imperatore, anno 1215. Interfuerunt Epiſcopi 412. Cauſa eius fuit ad damnãdum hæreticalem errorem Abbatis Ioachim circa Myſterium Summæ Trinitatis, qui tamen non fuit formaliter hæreticus, eo quod omnia ſua ſcripta ſubiecerit iudicio Sedis Apoſtolicæ approbanda, vel corrigenda; & ad damnandum peruerſiſſimum dogma impij Almarici, vt videri poteſt *in cap. Damnamus 2. de Summa Trinitate, & fide Catholica*, quod eſt deſumptum ex eodem Concilio. Alia etiam cauſa fuit pro moribus reformandis, & pro bello ineundo contra Saracenos, qui Terram Sanctam inuaſerant.

20. Decimum tertium eſt Lugdunenſe I. celebratum anno 1245. Innocentio IV. Summo Pontifice, & Balduino II. Imperatore Conſtantinopolitano. Conuocatum fuit pro excommunicando Imperatore Friderico II. &

pro

pro ſuſcipienda bellica expeditione ad Teram Sanctam. Interfuerunt 140. Epiſcopi.

21. Decimumquartum eſt Lugdunenſe II. celebratum anno 1274. Gregorio X. Summo Pontifice, & Rodulpho Imperatore. In hoc Concilio fuit expreſſe definitum, ſeu declaratum, id quod ſemper Catholica Eccleſia profeſſa fuerat circa Proceſſionem Spiritus Sancti, videlicet Spiritum Sanctum æternaliter procedere ex Patre, & Filio, non tamquam ex duobus Principijs, ſed tamquam ex vno Principio; non duabus Spirationibus, ſed vnica Spiratione, vt videri poteſt in *cap. vnico de Sum. Trin. & fide Cath. in 6*, quod ex hoc Concilio deſumptum eſt. Interfuerunt autem ex diuerſis Chriſtiani Orbis partibus Epiſcopi circiter 500.

22. Decimumquintum eſt Viennenſe in Gallia celebratum anno 1311. Clemente V. Summo Pontifice, & Henrico VII. Imperatore. Coactum fuit ad examinandam cauſam militum Templariorum, qui de pluribus criminibus accuſabantur; & ad extirpandas hæreſes Beguardorum, & Beguinorum, &c. Ex hoc Concilio extant Decreta in Corpore Iuris, quæ dicuntur Clementinæ. Adfuerunt Epiſcopi 300.

23. Attento ordine temporis, nu-

merandum hic eſſet Concilium Conſtantienſe, & Concilium Baſileenſe; ſed quia neutrum eſt ſimpliciter, & adæquate approbatum, ideo de vtroque ſermo erit poſtea, quando omnia generalia Concilia adæquate approbata numerauerimus.

24. Decimumſextum Concilium eſt Florentinum, annno 1438. Eugenio IV. Summo Pontifice, & Imperatore Conſtantinopolitano Ioanne Paleologo, qui eidem concilio interfuit. Epiſcopi fuerunt 141. Coactum fuit pro componenda vnione inter Eccleſiam Latinam, & Græcam.

25. Decimumſeptimum eſt Lateranenſe V. celebratum anno 1512. quod inceptum fuit a Iulio II. Summo Pontifice, & terminatum a Leone X. Maximiliano Imperatore. Numerus Patrum, qui huic Concilio interfuerunt fuit minor quàm fuerit in vllo alio Concilio generali; numquam enim ad 120. peruenit. Congregatum fuit pro deſtruendo Conciliabulo Piſano, quod abſque authoritate legitima coactum fuerat, & in ſchiſmatica acta procedebat. Definita ſeu explicata fuit in eodem Concilio Catholica veritas, qua docemur Animam rationalem eſſe immortalem, nec vnam eſſe in pluribus hominibus, ſed totidem numero quot ſunt homines. In eo-

eodem Concilio ſtatuta ſunt concordata inter Rom. Pontificem, & Galliæ Regem, ſpectantia præſertim ad præſentionem, & collationem Beneficiorum.

26. Decimumoctauum, & vltimum generale Concilium eſt Tridentinum inchoatum anno 1545. & terminatum anno 1563. tempore Summorum Ponticum Pauli III. Iulij III. Pij IV. & Imperatorum Caroli V. ac Ferdinandi I. ad deſtruendos Lutheri, aliorumque eius temporis hæreticorum errores, necnon pro morum reformatione:

27. Iſta ſunt OEcumenica, ſeu generalia Concilia authoritate Sedis Apoſtolicæ ſimpliciter approbata atque communiter recepta. Inter Concilia vero, quæ dicuntur partim approbata, & partim non approbata, numerantur potiſſimum iſta tria, videlicet Francofordienſe, Conſtantienſe, & Baſileenſe.

28. Francofordienſe coactum fuit anno 794. Adriano I. Summo Pontifice, in Ciuitate Francofurti ad Mænum. Hoc Concilium confirmatum fuit ab Adriano quantum ad eam partem, in qua definiuerat Chriſtum non eſſe Filium Dei adoptiuum; ſed reprobatum fuit quantum ad alteram partem, in qua ex errore damnauerat Septimam Synodum.

29. Conſtantienſe congregatum fuit anno 1414. tempore Schiſmatis, quo tres ſe gerebant tamquam Pontifices in Eccleſia, Imperatore Sigiſmundo. Cauſa eius celebrandi fuit ad extinguendum idem Schiſma, & damnationem Vvicleffi, Ioannis Hus, ac Hieronimi de Praga. Fuit autem approbatum à Martino V. ſolum quoad vltimas Seſſiones, & Decreta in materia fidei conciliariter ſtatuta, ſecundum quæ recipitur ab omnibus Catholicis.

30. Baſileenſe fuit inchoatum anno 1431. & per 18. fere annos continuatum. Hoc Concilium vtcumque in prima ſui conuocatione legitimum fuerit, ſtat im tamen ac indebitam authoritatem ſibi arrogauit ſupra Rom. Pontificem, deſijt eſſe legitimũ, & habitum fuit tamquam Schiſmaticum conciliabulum, vnde omnia eius decreta reſciſſa ſunt, exceptis tantummodo quibuſdam diſpoſitionibus circa Beneficia Eccleſiaſtica, quæ diſpoſitiones approbatę fuerunt à Nicolao V. Summo Pontifice.

IN-

INSTITVTIONVM IVRIS CANONICI LIBER PRIMVS.

TIT. I.

De Iure Perſonarum, ac primo de Summo Pontifice, de Cardinalibus, & Legatis.

1. PRæiactis in præcedenti titulo generalibus fundamentis, aggredimur ſingulariter Inſtitutiones partium Sacri Iuris; & cum hoc verſetur potiſſimum circa Perſónas, circa Res, circa Iudicia, circa crimina, & pœnas, vt diximus ab initio; exordimur à Iure Perſonarum: quia, vt dicitur in §. *fin. inſtit. de iure nat. gent. & ciu.* parum eſt Ius noſſe, ſi perſonæ quarum cauſa conſtitutum eſt ignorentur.

2. Duo ſunt vniuerſalia genera Perſonarum pertinentium ad Eccleſiam vnum Laicorum, alterum Clericorum, ex *c. Duo ſunt* 7. 12. q. 1 Clerici dicuntur, qui Eccleſiaſticis Officijs ſunt deſtinati per primam Tonſuram, aut per Ordi-

nes Eccleſiaſticos: eamque denominationem accipiunt a gręca voce κλῆρος. quæ idem ſignificat quod latine *Sors*, vel *hęreditas*, eo quod in ſui Ordinatione, vel aſſumuntur in hæreditatem Domini, vel aſſequuntur hęreditatem in ipſo, vt dicitur in *c. Cum ſecundum* 16. *de præb.* Laici vocantur, qui nullo Ordine Eccleſiaſtico, neque prima Tonſura ſunt Eccleſiaſticis muneribus deputati, vnde negotijs ſæcularibus vacant: hanc autem denominationem deſumunt a gręca voce λαός, quæ ſignificat idem quod latinè *Populus*.

3 Totius Eccleſię Chriſti ſupremum in terris viſibile Caput eſt Summus Pontifex, eiusdem Chriſti Vicarius, & Succeſſor Petri Apoſtolorum Principis. Eius ſumma dignitas, atque poteſtas ſicut orta eſt immediatè de Iure Diuino ex *can. Sacroſancta* 3. *diſt.* 22 & ex *can. quamuis vniuersæ* 4. *diſt.* 21. ita etiam ab infallibili Spiritus Sancti lumine ſemper regitur, ne vnquam errare poſſit quotieſcumque vel tamquam publicus Eccleſiæ Doctor, vel tanquam ſupremus Eccleſię Legislator aliquid definiat ſiue circa veritates fidei, ſiue etiam circa morum decreta, vt poſt antiquiores Patrum latè tradit *Bellar. lib.* 4. *de Rom. Pont. cap.* 3. *& ſeq.* Hinc Eccleſia Romana, quæ ab ipſo immediatè regitur,

dici-

dicitur mater, & Magiſtra omnium aliarum Eccleſiarum, ex *c. fin. de foro compet.* itaut qui ſe ab illa ſeparauerit vel ſectando falsa dogmata, vel Eccleſiaſticam vnitatem ſcindendo, habendus ſit tanquam Hæreticus, aut Schiſmaticus, & ab Electorum numero prorſus extraneus, quemadmodum extra Arcam Noe inuenti, diluuij vaſtitate conſumpti ſunt.

4. Sicut autem Chriſtus Dominus Apoſtolos habuit, & Petrus Coapoſtolos, atque Presbiteros, quorum opera Eccleſiam propagauit, & gubernauit: ita Summus Pontifex pro vniuerſali regimine totius Eccleſiæ habet Adiutores ſuos, & Aſſeſſores, qui vocantur Cardinales Sanctæ Rom. Eccleſiæ, eo quod ſint veluti Cardines eiuſdem Eccleſiæ, vel quia ſpecialiter inſeruiunt Sedi Apoſtolicę, quæ Axis eſt, & Cardo aliarum Eccleſiarum, vt explicat *Gloſ. in Extrau. Execrabilis 4. de Prab. inter. comun. v. Cardinalibus*. Illorum gradus, & ordo triplex eſt. Alij enim ſunt Epiſcopi Cardinales: alij Presbiteri: alij Diaconi. Epiſcoporum Cardinalium tituli olim 7. fuerunt. nempè Oſtienſis, Siluæ candidæ aliàs S. Ruffinæ, Portuenſis, Sabinus, Præneſtinus, Albanus, Tuſculanus, ad hunc finem primitus inſtituti vt ſingulis hebdomadæ diebus ſuper Altare Beati Petr

Miſ-

Miſſarũ ſolemnia celebrarent, vnde vocati quoque fuerunt Cardinales hebdomadarij, vt refert *Eman. Gonz. in c. Hiſ quæ XI. De Maiorit. & Obed.* Nunc ſex ſunt, quia Titulus S. Ruffinæ authoritate Calliſti II. vnitus fuit Epicopo Portuenſi. Tituli Presbiterorum Cardinalium ſunt 50. Diaconorum autem ſunt 14. ex Conſtit. 50. Sixti V. quæ incipit *Poſtquam verus ille.* Cardinalium dignitas eſt maxima infra Summum Pontincatum ex 15. conſtit. Eugenij IV., quæ incipit *Non mediocri*: faciunt enim quaſi vnum Corpus cum Summo Pontifice, eo proportionaliter modo quo Canonici cum Epiſcopo, eiuſque Coadiutores exiſtunt in executione muneris Sacerdotalis. Vacante autem Sede ſunt Pontificis Electores ex *c. Licet 6. de elect.* Et *c. vbi periculum 3. eod. in 6.* Plura circa dignitatem Cardinalitiam ſi quis ſcire deſiderat, conſulat *Cobell. in ſuo Tract. de notitia Cardinalatus, Barb. Iuris Eccl. lib. 1. cap. 3: & 4* alioſque ab ipſis relatos.

5. Summo Pontifici in gubernanda Eccleſia, præter Cardinales, inſeruiunt etiam Legati, & Nuncij, quo nomine ij veniunt, quibus committitur aliqua certa Ciuitas, vel Prouincia, vbi Perſonam Pontificis repręſentant, & Ordinariam Iurisdictionem exercent, vt conſtat ex toto Decretal. tit. *De off. Legati.*

Mul-

Multiplex autem eſt talium Legatorum ſpecies. Aliqui enim ſunt qui dicuntur Legati de Latere, de quibus ſermo eſt in c *Decreto* 11. *Si quis Epiſcopus* 35. 2. q. 6 *c. volentes* 8. *de Off. Legati*, alijſque Iuribus. Hoc nomen tribuitur tantum Cardinalibus quando mittuntur, quia ſcilicet cum Cardinales ex ſuo munere aſſiſtant Summo Pontifici, ſi contingat ipſorum aliquem mitti, dicitur mitti quaſi de latere Summi Pontificis, vt explicat *Gloſ in c.*1. *De Off Legati v. Legationis*, & *Gloſ. in c. Excommunicatis* 9. *eod. Tit v. commiſſam*.

6: Alij ſunt qui dicuntur ſimpliciter Nuncij, quod nomen tribui ſolet ijs, qui mittuntur a Summo Pontifice ad aliquam Prouinciam, ſeu ad aliquod negocium *cum poteſtate Legationis*, & non ſunt Cardinales, de quibus ſermo eſt in *c. Excommunicatis* 9. & *c. volentes* 8. *De Off. Legati*, eorumque exemplum eſt in Præſulibus qui mittuntur ad Principes. Non dicuntur autem mitti de latere, quia cum non ſint Cardinales, non habent ex ſuo munere aſſiſtere Summo Pontifici. Si tamen de facto contingat, aliquem a Summo Pontifice ex Aula Romana mitti & mandatum ab eodem recipere viuę vocis Oraculo, mitti ſolet cum poteſtate Legati a Latere. Dixi *cum poteſtate Legationis*: quia ſi aliquis

mitta-

mittatur ad Vrbem aliquam ſeu Prouinciam Eccleſiæ cum ſola iuriſdictione ordinaria quoad temporale regimen eiuſdem Vrbis, ſeu Prouinciæ, & Cardinalis non ſit; is non dicitur Nuncius. ſed Gubernator.

7. Alij demum Legati ſunt, qui habeat munus Legationis annexum ſuæ dignitati, & dicuntur Legati nati, quia ſcilicet per hoc ipſum quod illam dignitatem aquirunt, abſque alia ſpeciali deſtinatione fiunt ipſo Iure Legati, vt eſt exemplum in quibusdam Archiepiſcopatibus, qui habent ſibi annexam dignitatem Legationis, vt videre eſt in *c. 1. De Off. Legati c. 1. De apellat. & c. 1. vt lite pendente.*

8. Inter omnes iſtas Legatorum ſpecies, authoritas, & iuriſdictio Legatorum de Latere maxima eſt, Non ſolùm enim poſſunt in ſua Prouincia id quod Epiſcopi in ſuis Diœceſibus; ſed amplioribus quoque priuilegijs potiuntur, vt fusè tractant Canoniſtæ in *tit. de Offic. Legati*, atque etiam colligi poteſt ex litteris Apoſtolicis, quę Legatis, aut Nuncijs dari ſolent cum mandato Legationis, & cum expreſſione poteſtatis, quæ ipſis communicatur. Videri poteſt Barb. lib. 1. Iur Eccl. cap. 5.

TIT.

TIT. II.

De Epiſcopis.

1. POſt S. R. E. Cardinales, Legatos, & Nuncios qui Sedis Apoſtolicæ authoritatem repræſentant; conſideranda venit dignitas Epiſcopalis, cuius Ordo maximus eſt in Eccleſia, vnde ipſe Summus Pontifex ſeſe appellat Epiſcopum, quando ab Ordine ſe denominat, vt notat Gloſ. in proemio ſexti Decretalium *v. Epiſcopus.*

2. Multiplex autem eſt Epiſcoporum gradus in Eccleſia. Alij enim ſunt qui dicuntur ſimpliciter Epiſcopi; alij Archiepiſcopi, alij Primates, alij Patriarchæ. Epiſcopi vocantur qui pro ſpirituali regimine Ciuitatibus præſunt, ita dicti a greca voce, quia ſunt quaſi ſuperintendentes ſeu ſpeculatores ſuper populi, & Gregis ſibi commiſſi mores, vitamque inuigilantes, vt explicat Iſid. relatus a Gratiano in *c. Cleros 2. diſt. 21. verſ. Epiſcopus autem.*

3. Archiepiſcopi ſunt qui & habent gregem ſibi ſubiectum, & præterea præſunt Epiſcopis vnius Prouinciæ, ita dicti a græca voce quia ſunt quodamodo Principes Epiſcoporum, vt explicatur in cit. *c. Cleros verſ. Inde Archiepiſcopus.*

Di-

Dicuntur etiam Metropolitani, vt conſtat ex *c. 2. 6. q. 1.* quia Sedem habent in Ciuitate Capite vnius Prouinciæ, qualis ciuitas vocari ſolet Metropolis, quaſi mater Ciuitatum. Epiſcopi autem eiuſdem prouinciæ ſubiecti Archiepiſcopo dicũtur eiuſdem ſuffraganei vt videre eſt in *cit. c. 2. & in c. ſuffraganeis 11. de Elect.*

4. Patriarchæ, & Primates ſi ſolam vocum ſignificationem conſulas, parum vel nihil inter ſe differre videntur: vtroque enim nomine ſignificantur, qui & ſupra gregem ſibi ſubiectum, & ſupra Epiſcopos, atque Archiepiſcopos plurium prouinciarum poteſtatem habent, vt per ſe ſatis indicat ipſa nominum deriuatio: *Patriarcha* enim græcè idem ſignificat, quod latinè *Patrum Princeps*, vt explicatur in cit. *c. Cleros verſ. Patriarcha. Primas* autem eſt idem quod ſedem habens in prima ciuitate, ex *c. Nulli 2 diſt. 99.* quo nomine Ciuitates illæ appellatæ ſunt, quæ reliquis plurium prouinciarum ciuitatibus dominabantur, in quibus ſicut pro regimine ſæculari inſtituta fuerat Præfectura, quæ ad plures prouincias iuriſdictionem extenderet; ita & pro gubernatione Eccleſiaſtica poſita fuit Sedes Epiſcopalis, cui reliquæ plurium prouinciarum ſedes ſubderentur, vt conſtat ex *c. Prouincia 1. diſt. 99.*

5. Non

5. Non obſtante tamen ea vocum in ſignificando ſimilitudine vſus obtinuit, vt Patriarchæ nomen quibuſdam tantum ſpecialibus Primatibus tribuatur, relicto reliquis ſolo nomine Primatis. Præcipui autem illorum ſunt Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus, infra Romanum Pontificem, qui non ſolum eſt Supremum in terris viſibile Caput totius Eccleſiæ; ſed eſt præterea ſpecialis Epiſcopus Romanæ Vrbis, & Occidentalium Prouinciarum Patriarcha, quo nomine ſpecialiter ipſi ſubditur Italia tota cum Inſulis, Gallia, Anglia, Scotia, & Hybernia, Hiſpania cum Inſulis fortunatis, & Balearibus, tota Germania Superior, & Inferior, Dalmatia, Illiricum, Bohemia, Polonia cum Liuonia, & Lituania, item Dania, Noruegia, & Suetia cum Inſulis Scandiæ, Islandiæ, Gothiæ, aliarumque ſeptemtrionalium, item Pannonia cum Tranſiluania, Boſſina, & alijs, Africa, Numidia, & vtraque Mauritania, Cæſarienſis, & Tingitana.

6. Infra Romanum Pontificem antiquitus fuit primus Alexandrinus, & ſecundus Antiochenus, vt patet ex *can. ſacroſancta* 3. *diſt.* 22. ſatiſque innuit Canon Concilij Niceni relatus in *c. Mos antiquus* 6. *diſt.* 65. Vtraque enim illa ſe-

ſedes fundata fuit à S. Petro, qui Antiochiæ per aliquod tempus perſonaliter ſedit, & Alexandriam nomine ſuo Marcum miſit; ac præterea in vtraque Ciuitate tunc temporis erant pro ſæculari regimine Præfecturæ præcipuæ, circumiacentium regionum prouincijs ius dicentes, ad cuius regiminis ſimilitudinem inſtituta fuit, vt diximus, Eccleſiarum Patriarchalium hierarchia. Ex qua etiam ratione factum eſt vt ſedes Alexandrina Antiochenam præcederet, non obſtante quod Antiochena fuerit à Petro perſonaliter inſtituta, & Alexandrina per Marcum; quia ſcilicet Præfectura Alexandrina erat Auguſtalis, & maioris dignitatis, quam Antiochena, vt habetur ex *ff. & C. de Offic. Praf. Auguſtal*

7. Patriarchæ Alexandrino ſubdita fuit Ægyptus, Lybia, Pentapolis, & Ethiopia. Antiocheno autem Orientalis Eccleſia, quæ complectebatur Syriam, Aſſyriam, Meſopotamiam, Mediam, Parthiam, Perſiam, reliquaſque Aſiæ partes vſque ad Indiam Orientalem.

8. Sedes Hieroſolymitana, quamuis eſſet Apoſtolica, vtpote fundata per S. Iacobum, iura tamen Patriarchatus ab initio non habuit, imo ſubdita fuit Cæſareæ Metropoli Prouinciæ Paleſtinæ, vt conſtat ex *can. 7. Concilij Niceni*, quam-

quamuis in ſignum honoris, eo quod in ea Vrbe iacta fuiſſent prima Chriſtianæ Religionis fundamenta per Chriſti Domini Paſſionem, & mortem, prædicationemque Apoſtolorum, ibidemque Sedem fixiſſet Iacobus Apoſtolus, ſuoque ſanguine conſecraſſet; conceſſum fuerit, & cit. *can. 7. Concilij Niceni* confirmatum Hieroſolymitano Antiſtiti, vt in Concilijs generalibus primum locum haberet infra Alexandrinum, & Antiochenum ſupra omnes Metropolitas.

9. Intra hos honorariæ præeminentiæ fines ſe cohibuit Hieroſolymitànus vſque ad Concilium Epheſinum, à quo impetrare curauit iura Patriarchatus, productis inſignibus ſuæ Eccleſiæ prærogatiuis; irrito tamen conatu, reſiſtente præſertim Cyrillo Alexandrino, ne aliquid decerneretur contra Canonem Concilij Niceni, vt tradit S. Leo Papa in ſua Epiſtola *62.* ad Maximum Antiochenum: ex qua etiam ratione idem S. Pontifex reprobauit decretum editum à Patribus Concilij Calcedonenſis poſt 20. annos ſubſecuti, quo Sedes Hieroſolymitana, declarata fuit Patriarchalis, attributis ei tribus Palæſtinis, ab Antiocheno Patriarchatu detractis: & quamuis idem Calcedonenſe decretum fuerit approbatum in quinta Synodo: attamen nec eam approbationem confir-

ma-

matam fuiſſe à Summo Pontifice clarè colligitur ex reſponſis Nicolai 1. ad quæſita Bulgarorum *cap. 92.* vbi Sedes primarias verè Patriarchales dicit eſſe tantum Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam; Hieroſolymitanam autem eſſe ſolo nomine, & quoad ſigna honoris Patriarchalem, ſeruata propria dignitate Metropoli, iuxta Canonem Concilij Niceni. Tandem ſucceſſu temporis, cum aliud circumſtantiæ ſuaderent, in Concilio Lateran. IV. confirmata fuit ea dignitas ab Innocentio III. vt conſtat ex *c. Antiqua* 23. *De priuilegijs*, quod eſt ex eo Lateran. Concilio deſumptum, vbi etiam decernitur, vt Sedes Hieroſolymitana ſit quarta Patriarchalis infra Conſtantinopolitanam, Alexandrinam, & Antiochenam.

10. Similibus fere gradibus ad Patriarchatum aſcendit Epiſcopus Bizantinus, qui fuit ab initio ſuffraganeus Metropolitani Heraclienſis in Thracia, vt conſtat ex Galaſij *epiſt.* 13. *ad Acacium*. Sed cum poſtea Bizantio facta eſſet ingens acceſſio dignitatis, translatione Imperij per Conſtantinum, à quo Conſtantinopolis vocatum eſt; multum etiam prçcellentiæ acceſſit eius vrbis Epiſcopatui, itaut in Concilio Conſtantinopolit. 1. decretum illud editum fuerit: *Epiſcopus Conſtantinopolitanus habeat priores*

ho-

honoris partes poſt Romanum Epiſcopum, eo quod Conſtantinopolis ſit noua Roma. Huic tamen decreto (ſiue per illud vere tribuerentur iura Patriarchatus, ſiue ſolum concederetur honoraria præeminentia, quemadmodum olim conceſſa fuerat Hieroſolymitano) reſtitit Romana Sedes, quæ illius Concilij ea ſolum approbauit, quæ contra Macedonium definiuerat, vt conſtat ex *epiſt. 31. S. Gregorij lib. 6.*

11. Similem quoque exitum ſortita eſt conſtitutio Concilij Calcedonenſis, qua, & Patriarchalis poteſtas, & ſupra reliquos Patriarchas infra Romanum Pontificem prȩeminentia Conſtantinopolitanæ Sedi conceſſa fuit, attributis ei Dioeceſibus Thraciæ, Ponti, & Aſiæ; cui conſtitutioni conſtanter quoque obſtitit S. Leo Canonum Nicenorum fortiſſimus Cuſtos, vt patet ex eiuſdem litteris 53. & 54. datis ad Imperatorem, & ad Anatolium Conſtantinopolitanum Antiſtitem, qui voluntati Sancti Pontificis aquieuerunt. Succeſſu tamen temporis, quidam Anatolij Succeſſores, quod hactenus per Conciliorum decreta firmatum non fuerat, obtinuerunt per Imperatorum leges, quibus, adhȩrendo prædictis decretis Concilij Conſtantinopolitani, & Calcedonenſis, ſtatutum fuit, vt Epiſcopus Conſtantino-

no-

nopolitanus primus eſſet inter Patriarchas infra Summum Pontificem, vt videre eſt *in Authent. de Eccleſiaſt. titulis* §. *Ideoque ſancimus. collat. 9.*, quod ſtatutum vtcumque fuerit omni validitate vacuum, anſam tàmen præbuit pluribus Conſtantinopolitanis Præſulibus iura ſibi Patriarchalia conſeruandi. Tandem poſt omnes iſtos irritos conatus, variatis poſt aliquot ſæcula circumſtantijs, Conſtantinopolitanæ Sedi primus ille, infra Romanum Pontificem, Patriarchalis dignitatis gradus indultus fuit à legitima Poteſtate, decreto Innoc. III. in Concil. Lateran. IV., quod refertur in ſupra cit. *c. Antiqua 23. de priuilegijs*, vbi etiam ſpecialia quædam Patriarchalium quatuor Sedium priuilegia recenſentur.

12. Præter hos quatuor primarios Patriarchas, dantur etiam in Eccleſia Primates aliqui, quibus ex recepta loquendi conſuetudine nomen Patriarchę tribuitur. Quinam autem illi ſint, & in quibus regionibus, videri poteſt diſtincte narratum apud *Azor. Inſt. moral. p. 2. lib. 3. cap. 35.*

TIT.

TIT. III.

De poteſtate Epiſcoporum.

1. HIs circa varios Epiſcoporum gradus prælibatis, vt nonnihil etiam circa ipſorum iura, & poteſtatem breuiter explicetur; notandum eſt eos omnes differre in aliquibus, in aliquibus conuenire. Pro quibus ſciendum eſt, Epiſcopalem poteſtatem in vniuerſum reduci ad tria membra. Quædam enim Epiſcopo competunt ratione Ordinis: quædam ratione iuriſdictionis: quædam ratione dignitatis. Ita *Ant. de Butr. in conſ. 19.*, quod fuiſſe ſæpius approbatum à ſupremis Vrbis Tribunalibus, teſtatur *Fagn. in c. dilectus 18. de off. Ord num 5.*

2. Ratione Ordinis ea competunt, quæ numerantur in *c. quamuis 4. diſt. 68.* videlicet, eſſe Ordinarium Miniſtrum Sacramentorum Confirmationis, & Ordinis, Chriſma conficere, ſacrare Oleum Infirmorum, quæ ſunt de Iure Diuino, ſeu ex Inſtitutione Chriſti Domini annexa Ordini Epiſcopali: item competit Virgines conſecrare, Templa, Altaria, Sacella, Vaſa, & Veſtes; quæ de Iure Canonico ſunt Epiſcopis reſeruata.

3. Ratione Iuriſdictionis omnia reliqua competunt, quæ ſpectant ad regimen ſubiecti Gregis, qualia ſunt v. g. beneficia conferre, cauſas audire, punire delicta, Synodum cogere, aliaque ſimilia. Vbi obiter pro intelligentia Sacrorum Canonum notandum eſt, inter huiuſmodi ſpectantia ad Iuriſdictionem Epiſcopalem genericè acceptam aliqua dari, quæ ſpeciali vocabulo dicuntur pertinere ad legem Diæceſanam; aliqua autem, quæ ſpecialiter quoque pertinere dicuntur ad legem iuriſdictionalem, de qua diuiſione ſermo eſt in *cit.c.Dilectus* 18. *de off. Ord.* aliiſque Iuribus. Ad legem Diæceſanam ſpectare dicuntur, quæ non extenduntur ad Regulares quamuis cęteroquin non exemptos à poteſtate Epiſcopi, ſeu in quibus Epiſcopus obligare non poteſt Regulares, ſed Clericos tantum ſæculares, vt tradunt Doctores ex *c.*1.10.*q.*1. Quæ autem extẽduntur etiam ad Regulares non exemptos, dicuntur pertinere ad legem iuriſdictionalem. Videatur *Azor.p.*2.*Inſt.mor.lib.* 3.*cap.* 32., vbi exponit in particulari quænam ſint in quibus Epiſcopus poſſit aut non poſſit Regulares non exemptos obligare.

4. Demum ratione dignitatis Epiſcopo conuenire dicuntur ea, in quibus

bus nec Epiſcopalis Ordo, nec vlla Iuriſdictio exercetur; ſed ſunt potius quædam ſigna honoris, aut priuilegia dignitatis Epiſcopalis.

5. Circa poteſtatem Ordinis, eidemque Ordini annexa de Iure Diuino, vnus alio Superior Epiſcopus eſſe non poteſt, quemadmodum circa poteſtatem Presbyteratus vnus Presbiter alio ſuperior eſſe nequit: Omnes enim æqualiter poſſunt valide miniſtrare ea Sacramenta, quorum ſunt Ordinarij Miniſtri, puta omnes Presbyteri æqualiter valide conſecrare, omnes Epiſcopi æqualiter valide miniſtrare Sacramenta Confirmationis, & Ordinis, & ſic de reliquis Iure Diuino annexis Ordini Epiſcopali, quæ per poteſtatem mere humanam à nemine auferri poſſunt, nec vllatenus limitari quoad actus validitatem. Dixi *quoad actus validitatem*; ſecus enim eſt quoad licitum poteſtatis vſum, qui per poteſtatem humanam coarctari poteſt, imo & in totum ſuſpendi, vt accidit quando infligitur pœna ſuſpenſionis, de qua ſermo eſt in pluribus iuribus ſub *tit. de ſent.excomm.*,& etiam extra caſum ſuſpẽſionis limitatur in particularibus Epiſcopis quoad ſubditos ſuos, quibus tantummodo regulariter miniſtrare licitè poſſunt Sacramenta Confirmationis, & Ordinis, vt ſuis locis infra notabitur,

vbi de his Sacramentis ſermo erit. Quare quoad hoc vnus Epiſcopus ampliorem habet poteſtatem quam alius, pro maiori amplitudine Diœceſis, & numero ſubditorum. Idem procedit in reliquis ex Inſtitutione Canonica pendentibus à poteſtate Ordinis Epiſcopalis, quæ illud inſuper habent, vt pendeant ab humana poteſtate Eccleſiaſtica etiam quoad actus validitatem, quia Eccleſia poſſet Epiſcopum priuare facultate validè conſecrandi Templum, vt probat *Barb.Iur.Eccl.lib.1. cap. 11. n. 107. ex c. Eccleſiis 3. diſt. 68.* & ex *c. Eccleſiis* 18. cum duobus seqq. *de conſecr. diſt. 1.*, vbi Eccleſias ab Arrianis Epiſcopis conſecratas, iterum conſecrari præcipitur. Idem dic de reliquis ſimilibus.

6 Circa poteſtatem iuriſdictionis maior eſt in ſupradictis Epiſcoporum gradibus inæqualitas. Id vt clarius eluceſcat, notandum eſt totam eiuſmodi poteſtatem Epiſcopalē conſiderari poſſe, vel in ordine ad perſonas, vel in ordine ad res, ſuper quibus exercetur.

7 Perſonæ eidem poteſtati ſubiectæ ſunt quotquot exiſtunt intra fines Diœceſis Epiſcopalis, niſi per ſpeciale priuilegium ſint exemptę, ſiue ſint Clerici, ſiue Laici: cum eo tamen inter vtroſque diſcrimine, quod Laici ſubdantur

tan-

tantùm in ijs, quæ concernunt Animæ forum, & quoad cauſas, & delicta ſpectantia ad Tribunal Eccleſiaſticum, à quo puniri poſſunt Eccleſiaſticis pœnis atque cenſuris; at Clerici ſubiecti ſunt etiam quoad cauſas ciuiles, & omnia crimina, pro quibus iudicari non poſſunt à poteſtate laica, vt inferius exponetur, vbi de Immunitate ſermo erit.

8. Res eidem Iuriſdictioni ſubiectæ ſunt Eccleſiæ, Parochiæ, Monaſteria, Xenodochia, aliaque pia loca, niſi ſpecialiter exempta ſint, vt conſtat ex *c. 10 tit. de religioſis domibus in 3. Decretal.* Item res, & iura eorundem locorum: necnon beneficia omnia intra propriam Diæceſim exiſtentia, quorum inſtitutio, & deſtitutio, hoc eſt collatio, & priuatio de iure communi ad Epiſcopum pertinet, exceptis ijs, quæ Summo Pontifici reſeruata ſunt, aut ex conſuetudine, vel priuilegio alteri inferiori Collatori, iuxta textum *in c. nullus omnino 11. 16. q. 7.* de qua re etiam infra recurret ſermo in hac prima parte Inſtitutionum, vbi de Eccleſiaſticis beneficijs tractabitur, & in ſecunda parte, vbi agetur de rebus Eccleſiaſticis.

9. In his omnibus omnes Epiſcopi conueniunt quoad propriam Diœceſim. Illud tamen diſcriminis eſt inter ipſos, quod ſimplices Epiſcopi eam totam iuriſdictio-

ctionem habeant limitatam finibus Diœceſis, extra quam ius dicentibus non paretur impunè, *ex c.2.de conſtit in 6.* At Archiepiſcopi iuriſdictio pluribus in caſibus expreſſis in iure extenditur [1] etiā extra propriam Diæceſim, tùm ſuper Epiſcopos ſuffraganeos, tùm ſuper ſubditos Suffraganeorum ſuorum, tùm ſuper res Suffraganeorum poteſtati ſubiectas.

10. Quod attinet ad Epiſcopos Suffraganeos, poteſtatis eſt Archiepiſcopalis ipſos cogere ad Prouinciale Concilium quolibet ſaltem triennio, iuxta præſcriptum *Trident. ſeſſ. 24 de reform. cap. 2.* eidemque præeſſe, vt colligitur *ex c.1.diſt.34.* Item curare debet Archiepiſcopus vt Suffraganei apud ſuas Eccleſias reſideant, & ſuper eorum abſentiam inquirere, itaut ſi eos abſque legitima cauſa non reſidere repererit, debeat applicare fructus fabricę Eccleſiæ, aut pauperibus loci, & creſcente contumacia denunciare Summo Pontifici, vt decernitur à *Trident. ſeſſ. 23. de reform. cap. 1.*, & à Pio IV. in Conſtit. 10. quæ incipit *De ſalute Gregis*. Præterea ad Archiepiſcopum ſpectat curare, vt Suffraganei ſuo munere ritè fungantur, debitamque iuſtitiam ſuis ſubditis adminiſtrent, de quibus iuribus alijſque plurimis videri poteſt *Quaranta in ſumma*

Bul-

Bullarij v. Archiepiſcopi authoritas, vbi plures caſus enumerat,in quibus Archiepiſcopi authoritas extenditur ſupra Suffraganeos.

11. Vnum inter reliqua notandum eſt, de iure recentiori aliqua eſſe derogata à poteſtate, quæ antiquitus Archiepiſcopo competebat. Eius generis eſt poteſtas confirmandi Electum in Epiſcopum, de qua ſermo eſt *in c. cum dilectus 32. de elect.* alijſque iuribus. Eiuſdem quoque generis eſt authoritas eligendi Epiſcopum pro caſu, in quo ab inferioribus electoribus celebrata non fuiſſet electio intra tres menſes iuſto impedimento ceſſante, quæ authoritas concedebatur in *c. ne pro defectu* 41. *de elect.* & in c. *Quamquam* 18 *eod. in 6.*, quamuis non ita ſemper in more fuerit, antiquiori ſiquidem tempore in prædicto negligentiæ caſu poteſtas eligendi non deuoluebatur ad Archiepiſcopum, ſed ad Papam, vt conſtat ex *c. dilectus filius* 12. *de conceſſ. præben.* Nunc tamen vniuerſaliter neque poteſtas confirmandi electum in Epiſcopum, neque poteſtas ipſum eligendi in vllo caſu Archiepiſcopo competit: nam prouiſio omnium Eccleſiarum Cathedralium de iure communi eſt Summo Pontifici reſeruata, vt videre eſt in Regulis Cancellariæ Apoſtolicæ; & etiam pro ijs locis, in quibus

adhuc ſeruatur antiquus modus eligendi Epiſcopum per ſuffragia Capitularium, vt in pluribus Germaniȩ Ciuitatibus, electionis factȩ confirmatio vnicè ſpectat ad Summum Pontificem, vt patet ex Bulla 1. Nicolai V. *Ad Sacram*, in qua continentur Concordata Germaniȩ.

12. Eiuſdem demum generis, omiſſis reliquis, eſt poteſtas iuriſdictionis Ordinariæ, quam de iure antiquo habebat Archiepiſcopus cognoſcendi, & iudicandi cauſas etiam criminales Suffraganeorum ſuorum, exceptis quibuſdam cauſis reſeruatis, vt colligitur ex *c. quia cognouimus 6. 10. q. 3.* at de iure recentiori ſtatuto à *Trident. ſeſs. 24. De reform. cap. 5.* cauſæ maiores criminales contra Epiſcopum, quæ depoſitione aut priuatione dignæ ſint, ab ipſo tantum Summo Pontifice cognoſcuntur, & terminantur; cauſæ autem criminales minores in Concilio tantum Prouinciali, vel à deputandis per Concilium Prouinciale.

13. Quod attinet ad ſubditos Suffraganeorum, quamuis non ſint propriè ſubditi Archiepiſcopo, adhuc tamen in quibuſdam articulis poteſt Archiepiſcopus ſuper ipſis iuriſdictionem aliquam exercere, vt habetur in *c. Paſtoralis 11. de off. Ordin.* Eiuſmodi autem articu-

ticuli ad quatuor potiſſimum capita reducuntur. Primum eſt in concernentibus totam Prouinciam, vt ex pluribus iuribus probat *Quaranta in cit ſumma Bullary verſ.10.n.23.* Alterum eſt in caſu appellationis, quam ſubditi Epiſcoporum interponere poſſunt ab Epiſcopis ad Archiepiſcopos, ex *c. Romana 3. de appellation in 6.c.duo ſimul 9. & c Paſtoralis 11. de off. Ordin.* exceptis quibuſdam cauſis grauioribus, qualis eſt v. g. cauſa Sanctæ Fidei, in qua appellatur ad Papam, vt ſumitur ex *c. maiores 3 de Baptiſ.* ac deciſum fuiſſe à Sacra Congregatione Cardinalium negotijs Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum die 23. Nouemb. 1582. refert *Barb. Iur. Eccl. lib. 1 cap.7 n.65.* Tertium eſt in caſu viſitationis, in quo poteſt exigere procurationem à ſubditis Suffraganeorum, ex *c.cum ex officy 16.de præſcrip.* eorumque confeſſiones audire, ex *c.fin. de cenſib. in 6.* non tamen diſpenſare iuxta aliquos Authores, nec ordinare, aut concedere litteras dimiſſorias, nec exercecere in ſubditos Epiſcoporum iuriſdictionem fori contentioſi, preterquam in criminibus notorijs, & contra impedientes eius iuriſdictionem, vt tradit *Barb. in cit cap 7.n 83. & ſeqq* Vltimum eſt in caſu vacantis Eccleſiæ ſuffraganeę ſi quando eadem adminiſtrari non poſ-

ſit, aut negligenter non adminiſtretur per Capitulum Cathedralis Eccleſiæ, aut per vllum alium, de quibus alijſque pluribus videatur idem *Quaranta in ſumma cit v. Archiepiſcopi authoritas*, & *Barboſ. in cit. cap. 7. lib. 1 Iur. Eccl.*

14. Quod pertinet ad res poteſtati Epiſcoporum ſubiectas, quales ſunt Eccleſiæ &c. habet etiam nonnumquam Archiepiſcopus aliquam iuriſdictionem in ipſas, vt puta in prædicto caſu vacantis Eccleſiæ legitimis adminiſtratoribus deſtitutæ; necnon in caſu viſitationis, quam tamen ab Archiepiſcopo faciendam non eſſe, niſi cauſa cognita, & probata in Concilio Prouinciali, ſtatutum eſt à *Trid ſeſs. 24 de reform. cap. 3.* Vide prædictos Authores in locis citatis, alioſque ab ipſis relatos.

15 Ex hactenus dictis efficitur Archiepiſcopos præeminere ſimplicibus Epiſcopis etiã quoad ſigna honoris, & priuilegia dignitatis, quod eſt tertium ex ijs, ad quæ ſupra diximus reduci quidquid Epiſcopis competit. Quæ autem ſint in particulari talia honoris ſigna ac priuilegia, videri poteſt fusè narratum apud cit. Barb. ibid. n. 103. & ſeqq., alioſque ab ipſo citatos.

16. Hactenus dicta de Archiepiſcopis relate ad Epiſcopos Suffraganeos, intelligenda proportionaliter ſunt etiã

de

de Primatibus, ſeu Patriarchis relatè ad Archiepiſcopos, eorumque ſuffraganeos Prouinciarum ſuarum: habent enim ſimilem reſpectu omnium ipſorum iuriſdictionem Ordinariam, vnde præſunt illis omnibus in Nationali Concilio, eorundem negligentiam ſupplent, ius habent viſitandi, appellationes admittunt, & cognoſcunt, quas ſubiectorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum ſubditi ab ipſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis interponere poſſunt ad ipſos. Quinimo hac in re multi Doctores aſſerunt, illud inſuper priuilegij competere Patriarchis, quod quamuis cæteroquin de iure communi appellatio non interponatur omiſſo medio, ſed gradatim, hoc eſt ab Inferiori ad immediatum Superiorem, puta ab Archidiacono, ſeu alio inferiori Iudice ad Epiſcopum, ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum &c. attamen appellatio ad Patriarcham interponi poſſit, etiam omiſſo medio, in omnibus ſuarum Prouinciarum locis, de qua re videri poteſt *Abb. in c. antiqua 2. de priuileg n. 7 & 8. & Barb. Iur. Eccl. lib. 1 cap 6. n 39* ſaluis tamen appellationibus ad Sedem Apoſtolicam interpoſitis, quibus eſt ab omnibus humiliter deferendum, vt dicitur in *eod. c. antiqua*, vbi etiam in ſignum dignitatis conceditur quatuor primarijs Patriarchis, vt

vbique antè ſe Crucem èlatam facere poſſint deferri, præterquam in Vrbe Romana, & vbicumque Summus Pontifex præſens extiterit, aut eius Legatus vtens inſignijs Apoſtolicæ poteſtatis. Reliqua videri poſſunt apud *Barb.in cit.cap.6.*

17 Illud tamen notandum hic quoque eſt, quod paulo ante de Archiepiſcoporum poteſtate notabamus, videlicet aliqua reperiri in antiquis Canonibus Patriarcharum poteſtati conceſſa, quæ nunc ipſis prohibita ſunt, & recentioribus iuribus derogata. Eius generis eſt confirmare electos in Archiepiſcopos Prouinciarum ſuarum, necnon ipſos eorumque Suffraganeos ex cauſa deponere, vt videre eſt in *c.quod ſuſpecti* 5. 3.*q* 5. item Pallium largiri Archiepiſcopis ſibi ſubiectis, ex cit. *c. antiqua* 23. *de priuileg.&c.* quæ tamen nunc in vſu non ſunt: quia inſtitutio, & confirmatio omnium Eccleſiarum Epiſcopalium eſt Summo Pontifici reſeruata per ſecundam regulam Cancellariæ; quemadmodum eidem reſeruata quoque eſt poteſtas deponendi Epiſcopos per ſtatutum *Trident.ſeſs* 24 *de ref rm. cap* 5. & Pallium Archiepiſcopis à Summo tantùm Pontifice conceditur, vt notat *Azor. inſt.mor p.2 lib.3.cap.*34.*q* 4. Reliqua de Patriarcharum dignitate, & priuilegijs videri poſſunt apud cit. *Barb. lib.* 1.

Iur. Eccl cap. 6. & apud Azor. in cit. p. 2 lib 3. cap. 35 & 36.

18. In tanta tamen poteſtatis diuerſitate, quam ſupradictis Epiſcoporum gradibus competere viſum eſt, illud omnibus, & ſingulis eſt commune, vt in Eccleſia ſibi commiſſa eam paſtoralem ſollicitudinem habeant, quæ decet poſitos à Spiritu Sancto regere Eccleſiam Dei, ex *cap. 20. Actuum Apoſt.* Eiuſmodi autem ſollicitudo ad duo potiſſimum generalia capita reduci poteſt. Primum eſt in ijs, quę pertinent ad Diuinum Cultum, Religionemque Chriſtianam conſeruandam, & augendam. Alterum eſt in regendis, & paſcendis Ouibus ſibi commiſſis, & ad æternam ſalutem perducendis, Videri poteſt *Barb. in cit lib. 1 Iur. Eccl. cap. 11.* vbi fuſe numerat in particulari ea, in quibus hoc vtrumque ſollicitudinis paſtoralis caput ab Epiſcopis exercendum eſt.

19 Quod ſi contingat Epiſcopum aliquem vel ſenectute impediri, vel infirma corporis valetudine ab executione prædicti muneris paſtoralis, ſolet frequenter ex cauſa eiuſmodi impedimenti dari Epiſcopo Coadiutor, per quē populo cõſulatur in ijs quæ pertinent ad regimen Epiſcopale. Eius tamen Coadiutoris inſtitutio non poteſt fieri ſine authoritate Sedis Apoſtolicæ, etiamſi

ad tempus fiat, cum pertineat ad cauſas maiores Summo Pontifici reſeruatas, iuxta textum expreſſum in *c. Vnico. de Clerico ægrotante in 6.* Quod multo magis locum habet ſi dandus ſit Coadiutor cum futura ſucceſſione, quod non aliàs fieri decernitur *à Trid. ſeſſ. 25. de refor. cap. 7.* quam ea cauſa prius diligenter à Sanctiſſimo Rom. Pontifice ſit cognita, & qualitates omnes in illo concurrere certum ſit, quæ à Iure, & decretis eius Sanctæ Synodi in Epiſcopis, & Prelatis requiruntur; aliàs conceſſiones ſuper his factæ ſubreptitiæ eſſe cenſeantur. Quam autem poteſtatem, & authoritatem habeat Coadiutor datus Epiſcopo cum futura ſucceſſione, videri poteſt in Decreto Sacræ Rituum Congregationis die Iouis 31. Ianuar. 1561. quod refert Proſp. de Auguſtino in addition. ad *Quaran. in Summa Bullarij V. Archiepiſcopi authoritas* poſt num. 12.

20. Vt per prædictam paſtoralem ſollicitudinem omnibus populis, quantum fieri poſſet, conſuleretur, cum cæteroquin Epiſcopalis Sedes nonniſi in maioribus Ciuitatibus eſſet, ex *cap. 1. de Priuileg.* ideo conſuetudo fuit antiquitus in Eccleſia, vt in reliquis pagis, & Oppidis præficerentur Sacerdotes cum poteſtate quadam Epiſcopali, limitata tamen; vnde nec confirmare poterant,

nec

nec Chriſma conficere, nec Eccleſias Altaria aut Virgines conſecrare, nec Ordines maiores conferre, nec pœnitentes publicè in Miſſa reconciliare, nec formatas cuilibet Epiſtolas mittere; vt probat textus in *cap. Quamuis* 4 *diſt.* 68. Cætera autem Epiſcopalia munia obire poterant, vnde vocati fuerunt Chorepiſcopi, appellatione deſumpta à græca voce χωρυ, quæ idem ſignificat, quod latine Pagus, vel Oppidum, quaſi eſſent quidam Pagorum Epiſcopi, cum ea poteſtate, de qua dictum eſt, conſtituti. Succeſſu tamen temporis, ambitione creſcente, cum non contenti finibus ſuis etiam ad ea Epiſcoporum Officia, quæ ſibi conceſſa non erant, manus immitterent; ideo meritò eorum vſus ab Eccleſia ſublatus eſt, vt conſtat ex *c. Chorepiſcopi* 5. *diſt.* 68. aliterque conſultum populis illis per Vicarios, aut Archipresbiteros, aliaſue Dignitates Epiſcoporum poteſtati ſubordinatas.

TIT. IV.

De Epiſcoporum Electione.

1. INgreſſus ad Epiſcopale munus, de quo in præcedenti tit. dictum eſt, habetur per Electionem, Confirmationem, & Conſecrationem,

de

de quibus ſingulis multa in Sacris Canonibus ſtatuta ſunt.

2. Quod attinet ad electionem, diuerſimode ea diuerſis temporibus in Eccleſia celebrata fuit. Primi enim Epiſcopi, poſt Apoſtolos, immediatè fuerunt ab ipſis Apoſtolis conſtituti, quibus vita functis, expreſſo, vel tacito Romanorum Pontificum conſenſu, ad quos ius eligendi Epiſcopos pertinebat, exerceri cœpit electio à Clericis cuiuſque Eccleſiæ Cathedralis conuenientibus in vnum. Qua etiam in re non ſemper idem mos ſeruatus fuit. Aliquando enim pro electione à Clericis facienda requiſitum fuit populi teſtimonium de vita, & moribus eligendi, vnde eſt illud Tertulliani in *Apolog. c. 39. Præſunt probati quique ſeniores honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti*. Aliquando electio pertinuit ad ſolum Clericorum conuentum, laicis prorſus excluſis, ex *c. Nullus 1. c. Adrianus 2. c. Non eſt permittendum 6* alijsque *diſt. 63*.

3. Ad extremum tota eligendi poteſtas deuoluta fuit ad Collegium Canonicorum Cathedralis Eccleſiæ, excluſis reliquis non ſolum laicis, ſed etiam Clericis quamuis Beneficiarijs eiuſdem Eccleſiæ, iſque modus eligendi diu durauit in Germania, Anglia, Polonia, Italia, Gallia, & Hiſpania, donec

nec Summi Pontifices iuſtis de cauſis reſeruauerunt ſibi prouiſiones omnium Eccleſiarum Patriarchalium, & Epiſcopalium, vt ſupra dictum eſt *ex 2. Reg. Cancellar* relicto tantum ex conceſſione Pontificia pluribus Principibus iure ſeu poteſtate nominãdi Epiſcopos in ſuis regnis: exceptis tamen ijs Germaniæ ciuitatibus, pro quibus vigent concordata Germanię ſtatuta in Bulla 1. Nicolai V. *Ad Sacram*, quorum vigore adhuc ſeruatur ibidem modus eligendi Epiſcopum per ſuffragia Canonicorũ Capitularium, circa quem modum procedunt plerique Canones, qui ſunt in libris Decretal. ſub tit. *De electione*.

4. Vbi igitur ſeruandus ſit ille modus eligendi, ex eorundem Sacrorum Canonum pręſcripto, Canonici Electores procedere poſſunt ac debent in electione Epiſcopi, vel per inſpirationem, vel per compromiſſum, vel per ſcrutinium, ex *c. Quia propter* 42. *de Elect.* Per inſpirationem dicitur electio fieri, quando nullo pręcedente tractatu, quaſi Spiritus Sancti impulſu Electores omnes in vnum conueniunt, eundemque concorditer nominant in Sponſum Eccleſię. Per compromiſſum celebratur electio, quando à toto Electorum Collegio eligitur vnus, aut plures viri idonei tamquam Arbitri, in quos

tota

tota eligendi poteſtas mansferatur, ita-ut quem illi elegerint ſit ab omnibus acceptandus, ex *c. Cauſam* 8. *& cit. cap. Quia propter* 42. *de elect.*

5. Per ſcrutinium denique fit, cum prȩſentibus omnibus, qui debent, & volunt, & poſſunt commode intereſſe, aſſumuntur tres de Collegio fide digni, qui ſecrete, & ſigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in ſcriptis redacta mox publicent in communi: quo facto, & collatione habita ille cenſeri debet electus, in quem omnes, vel maior, & ſanior pars Electorum conſentit, ex eod. *c. Quia propter*: conſenſus enim maioris, & ſanioris partis Capituli cenſetur conſenſus totius Capituli, ex *cap.* 1. *De his quæ fiunt à maiori parte Capituli, & l. quod maior* 19. *ff. ad Municipal.*

6. Quod ſi contingat aliquem illorum, qui ius eligendi habent, abſentem eſſe, is vocandus eſt, ſi commode poſſit, ex *c. in Geneſis* 55. alijſque *De elect.* Quod ſi ea vocatio ſine legitima cauſa omiſſa fuerit, & Electio celebretur aliquo Electore contempto, poterit ille agere vt annulletur talis electio à Superiore, ad quem eius confirmatio pertineret, vt expreſſe deſumitur, ex *c. Quod ſicut* 28. *de elect & cap. Bonæ memoriæ* 36. *Eod.* Debet enim vnicuique ius ſuum ſer-

ſeruari ad regulas æquitatis, cui mirum in modum Eccleſiaſticæ leges ſtuduerunt. Poteſt tamen Elector ille non vocatus renunciare contemptui, & propter bonum pacis conſentire Electioni iam factæ; in quo caſu electio a ſuperiore annullanda non erit, ſi cæteroquin ſit Eccleſiæ vtilis, & canonica, ex cit. c. *Quod ſicut*.

7. Huic eidem ſingulorum iuri ſeruando, quantum Eccleſiæ vtilitas patitur, datum eſt, vt ſi quando Elector aliquis abſens ſit in loco, vnde commode poſſit debeatque vocari, ſed iuſto aliquo impedimento detineatur ne venire poſſit; ius habeat conſtituendi Procuratorem, qui eius nomine ſuffragium det in ſcrutinio, ita tamen vt (ſaltem ſine conſenſu Capitularium) in Procuratorem non aſſumatur niſi vnus aliquis de Capitulo, juxta textum expreſſum in cit. *cap. Quia propter* 42. *de elect. & c. Si quis* 46. *eod. in* 6. In quo caſu Procurator ille duo ſuffragia dabit, vnum nomine proprio, alterum nomine procuratorio, vni eidemque perſonæ, vt præcipitur in eod. *cap. Si quis*, quia vtroque nomine tenetur eligere quam indicat digniorem: niſi tamen conſtitutus ſit Procurator cum ſpeciali mandato dandi ſuffragium certæ perſonæ; tunc enim ſuffragia licite diuidet, vnum diuidet tamquam Pro-

Procurator illi certæ perſonæ pro qua habuit ſpeciale mandatum, alterum alteri nomine ſuo, ex eod. *cap. Si quis §. Porro cum vnus*.

8. Circa qualitatem perſonę eligendæ, illud ſpecialiter attendendum eſt, ne aliqua eligatur, quæ laboret impedimento Canonico. Duplicis autem generis numerantur eiuſmodi impedimenta. Aliqua enim ſunt in quibus, nec ſolet, nec debet diſpenſari, quia impediunt vtilem, & honeſtam adminiſtrationem Prælaturæ, qualia ſunt imperitia litterarum, infamia nominis, aliaque multa quæ recenſentur in *cap. Qui in aliquo* vlt. *diſt.* 51. Alia autem ſunt, quæ eandem adminiſtrationem non impediunt, vnde poteſt in illis, ac ſolet à Superiore diſpenſari, vt v.g. defectus natalium *cap. Innotuit* 20. *de elect.* vinculum alterius Epiſcopatus, *cap. vlt. de poſtulat. Prælator.* aliaque plura, quæ videri poſſunt apud *Ioan. Andr. in eod. c. vlt.*

9. Laborans aliquo primi generis impedimento nullatenus nominari poteſt ad Prælaturam: laborans autem impedimento ſecundi generis, eligi non poteſt, ſed poſtulari, hoc eſt non poteſt ab Electoribus nominari cum verbo *Eligo*, ſed ſolum cum verbo *Poſtulo*, ex *cap. vnico de poſtulat. Prælat. in*

6. De-

6. Debet enim a Superiore peti diſpenſatio pro impedimento canonico, quo laborat perſona nominata, quæ petitio diſpenſationis indicatur per verbum *Poſtulo*.

10. Quemadmodum autem cum per viam Electionis proceditur, ille cenſetur legitimè electus, in quem omnes, vel ſaltem maior, & ſanior pars Electorum conſenſerit; ita pariter cum proceditur per viam poſtulationis, ille cenſetur legitime poſtulatus in quem maior & ſanior pars totius Capituli conuenerit: niſi tamen electio cum poſtulatione concurrat, hoc eſt itaut vna pars ſuffragiorum Capituli poſtulet vnam perſonam, & alia pars eligat aliam: in quo caſu vt præualeat poſtulatio requiritur vt poſtulantes ſint ſaltem duæ tertiæ partes Capituli, ſicut contingeret v. g. ſi ex 15. Canonicis, 10 poſtularent vnam perſonam, & 5. eligerent aliam. Si enim poſtulantes talem numerum non adequent, & eligentes excedant vnam tertiam partem Capituli, præfertur Electio, vt decernitur in *c. ſcriptum* 4?. *De Elect* qui caſus eſt ſpecialis, in quo prçfertur id quod fit a minori parte Capituli, cum in cçteris communiter actus Capitularis non valeat, niſi qui a maiori Capituli parte decretus eſt. Cuius ratio eſſe poteſt: quia poſtulatio eſt mo-

modus prouidendi extraordinàrius qui nititur gratia ex *c. Bonę memorię* 3 & *c. Poſtulationem* 5. *De poſtulat. Prælat.* Electio autem eſt modus prouidendi ordinarius, & magis in Iure fundatus: minus igitur requiritur, vt electio præualeat contra poſtulationem, quam vt vna electio præualeat contra aliam electionem: atqui vt vna electio præualeat contra aliam electionem requiritur, & ſufficit vt illi conſentiat maior pars Capituli: ergo vt electio præualeat contra poſtulationem sufficit minus quam maior pars Capituli, & ideò ſtatutum fuit vt in tali caſu sufficiat eligentes excedere vnam tertiam partem Capituli.

11. Electio, de qua hactenus dictum eſt, conſiſtens in suffragijs expreſſis per verbum *Eligo*, eſt electio lato modo ſumpta. Cæterum electio propria, & Capitularis habetur per decretum electionis, quod ab eo qui præeſt Capitulo, vel qui fuerit ad hoc a Capitulo deputatus, ferri debet, & promulgari nomine omnium Capitularium ſtatim ac publicata fuerint suffragia ſcrutinij, factaque illorum collatione repertum pro vna, eademque perſona sufficientem ſuffragiorum numerum conuenire, vt deſumitur ex *c. cum poſt petitam* 46. & *c. Publicato* 58. *De elect.* Quod idem pariter ſeruandum eſt, cum proceſ-

ceſſum eſt per formam compromiſſi, iuxtà textum expreſſum in *c. ſicut* 21. *eod. in 6.*

12. Hactenus dicta, quemadmodum & dicenda, procedunt circa electionem Prælatorum inferiorum: non enim omnia locum habent in electione Summi Pontificis, pro qua aliqua ſpecialia ſtatuta ſunt, quę videri poſſunt in *c. Licet 6. De elect. c. vbi periculum* 3. *eod. in 6.* alijſque conſtitutionibus relatis in *Cærimoniali continente ritus electionis Romani Pontificis edito iuſſu Gregorij Papæ XV.* ac præſertim in duplici conſtit. eiusdem Gregor. XV, quarum vna incipit *Æterni Patris*, & altera *Decet Romanum Pontificem*.

TIT. V.

De Epiſcoporum Confirmatione, & Conſecratione.

1. ELectionem capitulariter factam ſequitur Confirmatio, quæ a Superiore petenda eſt, hoc eſt de Iure recentiori a Summo Pontifice, cui quemadmodum in reliquis regionibus reſeruata eſt omnium Eccleſiarum Cathedralium prouiſio; ita & pro ijs locis vbi adhuc electio fit per ſuffragia Capitularium, reſeruata eſt confirmatio fa-

ctæ

ctæ Electionis, vt ſupra dictum eſt in tit. 3. n. 11.

2. Ea confirmatio de iure antiquiori ſtatuto in *c. Quam ſit 6. De Elect. in 6.* intra tres menſes a die qua electus conſenſit electioni ſuæ, ſi nullum impedimentum obſiſteret, peti debebat vel ab ipſo electo, vel ſaltem ab Electoribus, aut a Procuratore electi, vt explicat Glos. in cit. *c. quam ſit. v. petere*, vbi etiam aſſerit ſatis fuiſſe, ſi Amicus electi, quamuis ſine eius mandato, eius nomine peteret, & electus ipſe eam petitionem ratam haberet intra tempus illorum trium menſium, quia *ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari c. 10. de reg. Iur. in 6.* Quod ſi nihil horum intra tale tempus factum eſſet, electio penitus irritabatur. At de Iure recentiori, cum aliquorum locorum vicinitas minus temporis exigat, & aliorum diſtantia plus expoſcat; decretum fuit a Nicolao III. in *c. Cupientes 16. De elect. in 6.* vt electus, cuius confirmatio ad Romanum Pontificem pertinet, intra vnum menſem a die conſenſus præſtiti ſuæ electioni, ad Apoſtolicam Sedem iter arripiat, & quo citius commodè poteſt, attenta locorum diſtantia, cum omnibus actis, iuribus, & munimentis ſuis & proceſſus ſuos contingentibus, coram Rom. Pontifice ſe

ſiſtat

ſiſtat confirmationem petiturus. Qui tamen immediate a Summo Pontifice in Epiſcopos ſunt creati abſque vlla præuia Capituli electione, aut deſignatione &c. nulla alia confirmatione opus habent, quia ea Epiſcopatus collatio vim habet electionis, Inſtitutionis, & Confirmationis. vt poſt Panor. notat *Azor. Inſtit. Mor. part. 2. lib. 3. cap. 29. q. 6.*

3. Impetratæ confirmationis effectus eſt, vt electus acquirat ius in re, & perfectum quaſi dominium in Prælatura, fiatque ratum ſpirituale coniugium inter ipſum, & Eccleſiam, quod prius per electionem erat tantummodo initiatum, vt dicitur in *c. fin. De Translat. Epiſcopi.* Sine litteris tamen Sedis Apoſtolicæ de ſua promotione, & confirmatione teſtantibus ad ſuam Eccleſiam accedere prohibetur, bonorumque Eccleſiaſticorum adminiſtrationem accipere, ſub grauibus pœnis expreſſis in *extrau. 1. de elect. inter commun.* adiecta inſuper omnibus prohibitione, ne ipſum abſque talium litterarum oſtenſione recipiant, aut ei pareant vel intendant.

4. Sed neque acceptis eiuſmodi litteris, & oſtenſis poteſt eo ipſo quidquid eſt poteſtatis Epiſcopalis ab electo, & confirmato adminiſtrari: non enim poteſt ante Conſecrationem exercere ea

quæ ſunt Ordinis, puta Fideles confirmare, Clericos Ordinare, Sacrum Chriſma conficere, Virgines, Templa, Altaria, Veſtes conſecrare; ſed ſolum ea quæ ſunt Iurisdictionis, qualia ſunt excomunicare, ſuſpendere, interdicere, corrigere, punire, viſitare, Synodum congregare, Beneficia conferre, cauſas audire, & cognoſcere, leges ferre, aliaque ſimilia quæ conſecrationis miniſterium non deſiderant, iuxta textum in *c. Tranſmiſſam* 15. *de elect.*

5. Vt igitur quis pleno iure ſuſcepti Epiſcopatus fruatur, conſecretur neceſſe eſt, per quod cōſummatur ſpirituale coniugium inter ipſum, & Eccleſiam, quod prius per electionem, & confirmationem erat tantummodo initiatum & ratum, ex cit. *c. fin De translat. Epiſc*, Debet autem ea conſecratio fieri intra tres menſes, niſi fortè inexcuſabilis neceſſitas coegerit Ordinationis tempus amplius prorogari, vt ex Conc. Calcedon. decernitur in *c. Quoniam* 2. *diſt.* 75. & recentius a *Trid. ſeſs.* 23 *De refor. cap.* 2. vbi inſuper in pœnam adijcitur, vt ſi electus, & confirmatus munus conſecrationis intra illud tempus nō ſuſceperit; ad fructuum perceptorum reſtitutionem teneatur, & ſi intra totidem menſes poſtea id facere neglexerit, ſit

ipſo

ipſo iure priuatus Eccleſia, quod ſtatutum ibidem extenditur etiam ad S.R. E. Cardinales.

6. Huic conſecrationi tres Epiſcopi intereſſe debent de Iure ab Apoſtolis conſtituto ex *c. Porro* 2. *diſt*: 66. vbi Anacletus Papa aſſerit Iacobum Apoſtolum fuiſſe ordinatum in Hieroſolymitanum Antiſtitem a Petro, Iacobo, & Ioanne Apoſtolis formam dantibus ſucceſſoribus ſuis, vt minus quam a tribus Epiſcopis nullatenus Epiſcopus ordinetur. Ex Apoſtolica quoque traditione dimanauit, quod ea conſecratio non niſi die Dominico perficiatur, vt teſtatur S *Leo Papa* 1. *in c. Quod die Dominico* 5. *diſt* 75. Tribus igitur Epiſcopis die Dominico congregatis, hora tertia Diuinum Sacrificium fieri debet, & ſcrutinio ſeu examine præmiſſo, prout præſcribitur in *c Qui Epiſcopus* 3. *diſt*.23. celebrari preces, ex *c. Ordinationes Epiſcoporum* 1. *diſt* 75. Inde ad ordinationem proceditur, in qua debent duo Epiſcopi manus imponere, & tenere Euangeliorum codicem ſuper caput, & verticem Ordinandi, & vno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi, qui adſunt, manibus ſuis caput eius tangere, ex *c. Epiſcopus* 8. *diſt*. 23 proferendo illa verba: *Accipe Spiritum Sanctum, &c.*

7 Debet etiam Conſecrator caput, & manus ordinati Sacro Chriſmate inungere, vt per vnctionem in capite indicetur ſpiritualis Animæ vnctio balſamo charitatis, per quam Epiſcopus diligat Deum ex tota anima, & Proximum ſicut ſe ipſum; per vnctionem autem in manibus ſpiritualis vnctio oleo pietatis, per quam Epiſcopus operetur bonum ad omnes, maxime autē ad domeſticos fidei, ex *c. vnico de Sacr. vnct.* vbi etiam forma narratur a Conſecratore inungente proferenda. His peractis Epiſcopus conſecratus Rom. Eccleſiæ, eiuſque Pontificibus fidelitatis iuramentum præſtare debet, iuxtà formulam præſcriptam in *c. Ego 4. De Iureiur.*

8. Effectus peractæ conſecrationis, ex ſupradictis, eſt quod Epiſcopus poſſit in poſterum non ſolum ea, quæ ſunt Iuriſdictionis ſed & ea, quę ſunt Ordinis. Si quæ autem inferiora beneficia antecedenter habebat, elapſo tempore de conſecrandis Epiſcopis a Sacris Canonibus definito, & adepta Eccleſiaſticorum bonorum adminiſtratione, ipſo iure vacant, ex *c. Cum in cunctis 7. §. Cum vero. De Elect.*

TIT. VI.

TIT. VI.

De Authoritate, & vſu Pallij.

1. QVod tamen dictum eſt, per conſecrationem concedi Epiſcopo poteſtatem ad omnia ſuę Dignitatis officia, limitationem patitur in Archiepiſcopis, & Patriarchis, in quibus illud eſt peculiare [illegible]itudinem Officij ſui non aſſequitur, niſi Pall[illegible] [illegible]ceperint a Summo Pontifice ex *c. niſi ſpecia[illegible], [illegible] author. & vſu Pallj*, vnde eo nondum accepto, non poſſunt conuocare Concilium, conferre Chriſma, dedicare Baſilicas, Ordinare Clericos, Epiſcopos conſecrare; ex *c. Quod ſicut* 28. §. *ſuper eo. de elect.* & iuxta doctrinam *Oſtienſis in Summa de author & vſu Pally* omnia reliqua, quæ ſine Sacrificio Miſſæ non perficiuntur.

2. Eſt autem Pallium inſigne quoddam Archiepiſcopi, vel Primatis ornamentum, de Beati Petri Corpore ſumptum, ex *c. ſignificaſt* 4. circa finem *De elect.* vel quia ſuper Altare B. Petri benedicitur, vel quia a Rom. Sede confertur, figuratum ad modum torquis, Crucibuſque diſtinctum, per quod ſignificatur Pontificalis Officij plenitudo,

cit. *c. niſi* 3. *De author. & vſu Pallij.*

3. Debet igitur illud petere Archiepiſcopus, & Primas (quibus ſolis de Iure communi tribuitur, quamuis etiam ex Priuilegio quibusdam Epiſcopis concedatur) a Romano Pontifice, qui de priſca conſuetudine illud niſi fortiter poſtulanti non confert, *c. Priſca* 2. *diſt.* 100. Et vt in hac re nimiæ dilationis periculum caueatur, ex qua damnum aliquod in Eccleſiam redundaret, per Sacros Canones ſtatutum eſt vt [illegible] tere illud debeat intra [illegible] menſes a die conſecrationis, ſi non fuerat antecedenter conſecratus, aut a die confirmationis, ſi fuerat ante conſecratus; alioquin in pœnam commiſſa ſibi dignitate cariturus ex *c. Quoniam* 1. *diſt.* 100. Impetratum autem ſuis petitionibus Pallium antequam accipiat, præſtet neceſſe eſt Rom. Pontifici fidelitatis, & obedientiæ iuramentum, Fideique profeſſionem, *c. Optatum* 4. *diſt.* 100. & *c. Significaſti* 4. *De elect.*

4. Cum autem ſignificetur per Pallium Pontificalis Officij poteſtas, & plenitudo (vt dictum eſt), quæ Archiepiſcopis, & Primatibus non communicatur niſi perſonaliter, & in ordine ad certam Eccleſiam; inde fit conceſſionem Pallij eſſe perſonalem, & in ordine ad eandem Eccleſiam: quare vnus Archie-

piſco-

piſcopus non poteſt Pallium ſuum alteri cedere, aut commodare, nec Succeſſor vti poteſt Pallio ſui Anteceſſoris, ſed vnusquiſque cum ſuo Pallio ſepeliendus eſt, ex *c 2. De Autbor. & vſu Pallij*. Item ex eadem ratione non poteſt vti Pallio, etiam inter Miſſarum ſolemnia, extra Prouinciam ſuam, *c. Ex tuarum 5. eod.* Et ſi contingat Archiepiſcopum ab vna Eccleſia Metropolitana ad aliam tranſferri, Pallio prioris Eccleſiæ, (quod penes ſe conſeruare debet) amplius non vtetur; ſed aliud impetrabit, ac poſtea ſuo tempore cum vtroque defunctus ſepelietur, vt colligitur ex *c. bonæ memoriæ 4.* in fine *De poſtulat. Prelat.* & ex *c. 2. de author. & vſu Pallij*.

5. Prǽterea quia Archiepiſcopi, & Primates vocati ſunt in partem ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis, *c. Ad honorem 4 de author. & vſu Pallij*; ideo etiam in Prouincia ſua nec ſemper nec vbique vti poſſunt Pallio, ſed tantummodo intra Eccleſiam, certis quibusdam diebus ſolemnibus, vt deſumitur ex *c. cum ſis 6.* & cit. *c. Ad honorem 4 eod.* iuncta ibidem Gloſſa, vbi eos dies enumerat. Solus enim Rom. Pontifex cum ſit aſſumptus in plenitudinem Eccleſiaſticæ poteſtatis, in Miſſarum Solemnijs Pallio ſemper vtitur, & vbique ex eod. *c. Ad honorem*.

TIT. VII.

De Officio Archidiaconi, Archipresbiteri, & Vicarij Epiſcopi.

1. Amplitudo muneris Epiſcopalis, cui adæquate per ſe ipſos obeundo ipſi Epiſcopi pares eſſe non poſſunt, exigit Adiutores, aliquos, qui ſollicitudinis partem in ſe ſuſcipiant, vicariamque Epiſcopis operam adminiſtrent. Propterea in Iure Canonico plures eiuſmodi Adiutores conceſſi ſunt, qui generali vocabulo appellari poſſunt Epiſcoporum Vicarij, de quibus in hoc titulo ſermo erit.

2. Multiplex igitur eſt in Eccleſia Vicariorum Epiſcopalium genus. Aliqui enim ſunt Vicarij ab ipſo Iure conſtituti, quia ſcilicet Dignitatem hãbent, cui de Iure communi annexum eſt munus Vicariæ, vnde per hoc ipſum quod eam Dignitatem obtineant, eiusdem quoque muneris poteſtatem ſortiuntur, quamuis communiter non nomine Vicarij, ſed eius Dignitatis, quam habent, appellentur. Huius generis eſt Archidiaconus, & Archipresbiter Alij ſunt Vicarij conſtituti ab homine, qui videlicet munus habent Vicariatus non in conſequentiam alicuius Dignitatis quam habeant, cui

de

de Iure communi munus illud annexum ſit; ſed immediatè & directe ex ſpeciali commiſſione facta ab homine, nempe ab Epiſcopo: atque iſti ſunt, qui ſimpliciter, & ſine addito appellari ſolent Vicarij, & aliquando etiam dicuntur Officiales Epiſcoporum *c.2. De conſuet. in 6.*

3. Inter vtrumque hoc Vicariorum genus illud inter reliqua diſcrimen eſt: quod conſtituti a Iure deſeruiunt Eccleſiæ nomine proprio, habentque Tribunal diſtinctum a Tribunali Epiſcopi, vnde ab ipſis ad Epiſcopum appellari poteſt. Secus accidit in ijs, qui ſunt ab homine conſtituti Vicarij generales, qui Eccleſiæ ſeruiunt alieno nomine, Epiſcopi videlicet, a quo Vicarij facti ſunt, eorumque Tribunal eſt idem ac Tribunal Epiſcopi; ac propterea ab ipſis ad Epiſcopum non appellatur, quia appellatio nonniſi ad Tribunal diſtinctum interponitur, *c. 2. De conſuet. in 6.*

4. Inter Vicarios a Iure conſtitutos, primus dignitate de Iure communi eſt Archidiaconus, cuius inſtitutio a primis vſque Eccleſiæ temporibus nata eſt. Tempore enim Apoſtolorum conſtituti ſunt Hieroſolymis ſeptem Diaconi ipſis Apoſtolis ſubordinati, quorum cura eſſet eleemoſinas Fidelibus diſtribuere, aliaque præſtare, quæ recenſentur in libro Actuum Apoſtolorum: illorum

autem primus, qui reliquis antiquitate præiret, vocari cœpit Archidiaconus. Ad huius ſimilitudinem in reliquis quoque vrbibus ſtatutus poſtea fuit totidem Diaconorum numerus ſubordinatus Epiſcopis, & Archidiacono eorum primo fuit ſpecialiter cura commiſſa inuigilandi, vt reliqui Diaconi rite quæ ſui muneris erant exequerentur. Progreſſu tamen temporis eius poteſtas longe maior effecta eſt, cum ei attributa fuerit generalis authoritas tum ſupra inferiores Clericos, tum etiam ſupra Presbiteros, atque Archipresbiteros, quamuis eiſdẽ inferior ſit in Ordine, vnde maior poſt Epiſcopum, & ipſius Epiſcopi Vicarius haberi cœpit, & Epiſcopi Oculus appellari, eo quod ad ipſum ſpectare cœperit loco Epiſcopi per Epiſcopatum proſpicere. & quę corrigenda viderit emendare *c. ad hæc* 7. alijſque *De Off. Archid.*

5. Quod autem hæc tanta poteſtas, & iuriſdictio potius Archidiacono conceſſa fuerit, quam Archipresbitero in ſuperiori Ordine conſtituto, indè ortum habuit, quod Presbiteri per Sacramentorum adminiſtrationem paſcendis populis eſſent deſtinati, à qua cura ſine populorum detrimento remoueri non poterant: quare congruentius fuit, vt Archidiacono ab ea obligatione ſoluto

to

to generalis illa iuriſdictio mandaretur.

6. Quod attinet ad particularia, ad quæ de Iure communi Archidiaconi iuriſdictio extenditur, videri poſſunt diſtincte numerata in toto tit. *De Off. Archid.* in Decretalibus, vbi inter cætera eius curæ committitur præeſſe Clero, & inuigilare eius conuerſationi, executioni officiorum, atque doctrinæ *c.1.* Paræciarum ſollicitudinem habere eaſque ordinare, *c 7.* audire iurgia ſingulorum exceptis cauſis grauioribus, quæ ab Epiſcopo cognoſci debent, *eod. c. 7.* de tertio in tertium annum, ſi Epiſcopus non poteſt, imo & ſemel in anno, eoque frequentius, ſi neceſſitas exigat, Eccleſias ſui Archidiaconatus viſitare, & cuncta, quæ emendatione indigent ad vicem ſui Epiſcopi corrigere, & emendare, *c. 1 & 6.* repræſentare Ordinandos Epiſcopo, eoſque examinare necnon promouendos ad Beneficia, quorum etiam corporalis inſtitutio ad Archidiaconum pertinet, *c. 7. & 9* item cuſtodire vaſa Eccleſiæ *c. 3.* ea demum quæ ad publicam Euangelij lectionem, totiuſque Eccleſiaſtici Officij recitationem pertinent, prouidere, *c.2.*

7. Sed & ibidem numerantur etiam aliqua, quæ à poteſtate Archidiaconi ſunt excepta eidemque prohibita. Huius generis ſunt dare litteras commen-

datitias ad Ordines, *c.*8. committere alicui curam Animarum, *c.* 4. excommunicare, *c.* 5. iuriſdictionem exercere in Monaſteria intra ſui Archidiaconatus terminos conſtituta, *c.fin.* negotia demum expedire adeo ardua, vt abſque maioris ſui præſentia nequeant terminari, *c.* 7.

8. Hactenus dicta de Archidiaconi poteſtate procedunt de Iure communi, vt indicatum eſt. Cæterum pro particularibus Eccleſijs conſulenda eſt præſcripta ſingularum conſuetudo, per quam augeri poteſt, vel imminui, vel etiam prorſus auferri iuriſdictionis poteſtas, vt colligitur ex *c.fin.* eod. tit. *De Off. Archid.* Quod idem intelligendum quoque eſt de Officio, & poteſtate Archipresbiteri, ad cuius conſiderationem nunc eſt procedendum.

9. Alter igitur Epiſcopi Vicarius a Iure conſtitutus eſt Archipresbiter, quo nomine venit primus inter Presbiteros, nõnunquam etiam Decanus appellatus, *cap. Ad hæc* 7. *De Offic Archidiac.* Sicut enim Archidiacono de Iure communi commiſſa eſt iuriſdictio in ijs, quæ pertinent ad forum externum, vt explicatum eſt; ita Archipresbitero de Iure communi conceſſa eſt cura pro ijs quæ concernunt Diuinorum celebrationem, Officium Sacerdotale, ac forum pœnitentiale.

10.Eſt

10. Eſt autem duplex Archipresbiter: alter Vrbanus; alter foraneus ſiue ruralis. Vrbanus eſt, qui in Vrbe degens præeſt in Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata. Ruralis ſeu foraneus, qui extra ciuitatem præeſt in Eccleſia Parochiali, ſeu Plebania.

11. De officio Archipresbiteri vrbani ſermo eſt in *c.Officium*. & in *c.Miniſterium 2. De Off. Archipresb.* vbi in eo conſtituitur vt diligenti cura prouideat vitam Sacerdotum, & Miniſterium in communicatione Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini: curet vt in Sacrario Euchariſtia Chriſti propter infirmos non deſit, quibus etiam prouideat, & prouidendo præcipiat Sacerdotibus, ne forte ſine Confeſſione, vel confirmatione Corporis & Sanguinis Chriſti Domini moriantur; Confeſſiones peccatorum excipiat (quamuis nunc ad hunc finem ſit inſtitutus in Cathedralibus proprius Pœnitentiarius, ex decreto Trid. *ſeſſ.* 24. *de refor.c.* 8.): item Baptiſmum rite conferri curet, aliaque præſtet, quæ in citatis capitibus recenſentur. Abſente autem Epiſcopo, ad ipſum ſpectat eius vice Officium inchoare, benedictiones presbiterales dare in Eccleſia, Fontes benedicere, cuncta demum prouidere, quæ Sacerdotum miniſterio perfici debent, exceptis his quæ ipſi prohibi-

hibita ſunt, ſeu reſeruata poteſtati Epiſcopali.

12. De Officio Archipresbiteri ruralis agitur in *c. vlt. de Off. Archipresb.* vbi præcipitur, vt non ſolum imperiti vulgi ſollicitudinem gerat, ſed etiam Presbiterorum, qui per minores titulos habitant, vitam iugi circumſpectione cuſtodiat, & qua vnuſquiſque induſtria Diuinum Opus exerceat, Epiſcopo ſuo renunciet, ad quem etiam cuncta referre debet, nec aliquid contra eius decretum ordinare.

13. De iure autem recentiori ſtatuto à Trid. *ſeſſ. 5. de refor. c. 2.* Omnes Archipresbiteri, Plebani, & quicumque Parochiales, vel alias curam Animarum habentes Eccleſias, quocumque modo obtinent, tenentur per ſe, vel alios idoneos, ſi legitime impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis, & feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcere ſalutaribus verbis, docendo ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem; annuntiandoque eis cum breuitate, & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes quas ſectari oporteat; vt pœnam æternam euadere, & cœleſtem gloriam conſequi valeant. Adiecta tranſgreſſoribus graui pęna per Epiſcopum imponenda.

14. Al-

14. Alterum Vicariorum genus, vt indicatum eſt ab initio huius tituli, eſt quod complectitur ab homine conſtitutos, qui ſimpliciter, & ſine addito appellari ſolent Vicarij, ac de ipſis ſermo eſt in toto tit. *De Off. Vicarij*, qui reperitur in DecretalibusGregorij,in Sexto, & Clementinis; ac præſertim de illis, qui conſtituti ſunt cum generali adminiſtratione quoad ſpiritualia ſimul, & temporalia pro tota diœceſi, qui vocari ſolent Vicarij generales; ad diſcrimen illorum, quibus demandata tantum eſt adminiſtratio quoad ſpiritualia, qui appellantur Vicarij in ſpiritualibus; & ad diſcrimen aliorum, quibus quoad ſola temporalia poteſtas commiſſa eſt, qui communiter appellari ſolent non Vicarij, ſed OEconomi. Dixi *qui conſtituti ſunt cum ea poteſtate pro tota diœceſi*: qui enim cum ea poteſtate conſtituitur pro aliqua tantum parte Diœceſis, non appellatur in Iure Vicarius generalis, ſed foraneus.

15. Officium igitur Vicarij generalis extenditur ad omnes cauſas Epiſcopali iuriſdictioni ſubiectas, exceptis ijs quæ ſpeciale mandatum requirunt, aut quæ vel ex iure ſcripto, vel ex recepta conſuetudine cognoſcendæ ſunt immediatè ab Epiſcopo, *c. Licet 2. de Off. Vicarij in 6.* ſub quo genere excepto nume-

merantur cauſæ criminales, poteſtas deponendi à Beneficijs, Officijs, vel Adminiſtrationibus, facultas viſitandi diœceſim, Synodum congregandi, dandi litteras dimiſſorias Clericis præſente Epiſcopo, diſpenſandi in caſibus, in quibus Epiſcopus poteſt, conferendi Beneficia, aut admittendi reſignationes Beneficiorum, & iuxta aliquorum ſententiam cauſas matrimoniales cognoſcendi: circa quæ aliaquæ plura ſine ſpeciali mandato Vicarijs prohibita, videri poteſt Rebuff. in *praxi benefic. tit. De Vicar. Epiſc.* Azor. *p. 2. lib. 3. c. 43.* cum tribus ſeqq. Barb. *De Off. Epiſc. p. 3. alleg. 54.* alijque ab ipſis citati.

16. Forma inſtituendi Vicarium refertur à Rebuff. in cit. tit. *De Vicar. Epiſc.* tum ea per quam committitur generalis poteſtas; tum etiam ea per quam inſuper aliqua ſpecialia particulare mandatum requirentia demandantur: quæ vt in effectu ſint conceſſa, debent ſpecialiter exprimi, itaut non ſufficiat generalis clauſula, per quam dicantur communicari etiam ea, quę requirunt ſpeciale mandatum, nihil tamen in particulari exprimendo, vt docet Gloſ. in *c. 2. de Off. Vicar. in 6. v. committantur*, arg. *c. Qui ad agendum 4. De Procurat. in 6* vbi Procurator generaliter conſtitutus ad omnia etiamſi mandatum exigant ſpeciale, ex

vi generalitatis huiuſmodi non admittitur ad aliquem articulum, in quo ſpeciale mandatum exigatur. Quod ſi aliquis, vel aliqui de articulis ſpeciale mãdatum exigentibus exprimantur, adiecta clauſula generali etiã de alijs ſpecialem commiſſionem poſtulantibus; tunc vigore talis commiſſionis poterit etiam alia, quæ vel minora, vel æqualia ſint expreſſis, non autem quæ maiora, vt docet cit. Gloſ. in *c. 2 De Off. Vicar. in 6. v. committantur* iuncta ibid. Gloſ marginali. Vox enim *alius*, vel *alia* non comprehendit maiora expreſſis, ſed ſolum, vel æqualia, vel minora, ex *Clem. 2. de Procur. & c. Sedes 15. De reſcript.* niſi tamen aliud conſtet de mente committentis, vt notat Layman in cit. *cap. Sedes n. 4.*

17. In conſtituendo autem Vicario illud ſpecialiter attendendum eſt ab Epiſcopo, vt idoneum eligat, & requiſitis à Iure qualitatibus exornatum. In particulari, hominem eligat neceſſe eſt maturæ ætatis, nempè 25. annorum, vt colligitur ex *c. Cum in cunctis 7. §. Inferiora de Elect.* forenſium rerum cauſarumque peritum, & ſaltem in Iure Canonico Doctorem, vel Licentiatum, ex Trid. *ſeſſ. 24. De refor. c. 16.* item Clericum non coniugatum, ex *c. In nona 22. 16. quæſt. 7. c. 2. De iudicijs*, & c. 2.

De

De Clericis coniug. demum probatis moribus, qualem eſſe decet, qui vices Epiſcopi tenet in adminiſtratione Eccleſiaſticæ iuriſdictionis.

18. Vicarius eſt pro libito ab Epiſcopo reuocabilis, ex Gloſ. in *Clem: 2. De reſc. v. Per electionem*. Debet tamen reuocatio denunciari Vicario: ſi enim illam ignoret, eius geſta ſunt valida, vt cum communi ſententia docet Azor. *p. 2. lib. 3. c. 45. q. 14.* Nam vniuerſim non ceſſat iuriſdictio Iudicis, donec certior de reuocatione reddatur ex *l. Si forte 17 ff. de Off. Præſidis*.

19. Sed & reuocatur ipſo Iure Vicarius per mortem, ſiue naturalem, ſiue ciuilem Epiſcopi, ſicut & per ipſius Epiſcopi translationem ad aliam Eccleſiam, itaut nèc perficere poſſit cauſas, quas ante eam mortem, vel translationem incœperat, vt poſt Oſtienſ. notat Gloſ. fin. in *Clem. vlt De Procurator.* in eoque differt Vicarius à Iudice delegato, cum poteſtas delegati per mortem delegantis re non integra non expiret, *c. Relatum 19 & c. Gratum 20 De Offic. Deleg.* Ratio diſparitatis eſt: quia poteſtas, & tribunal Vicarij eſt idem, ac tribunal Epiſcopi, vnde (vt ſupra dictum eſt num. 3.) ab vno ad alterum appellari non poteſt: impoſſibile igitur eſt, ceſſante poteſtate Epiſcopi, perſeuerare

Vi-

Vicarij poteſtatem. At poteſtas, & tribunal Delegati eſt diſtinctum à Tribunali Delegantis, vnde ab vno ad alium appellatio admittitur, vt inferius explicabitur in tit. *De appellationibus*. Ex eadem quoque ratione deſcendit, Epiſcopo excommunicato, interdicto, vel ſuſpenſo, ſuſpenſam etiam eſſe iu[illegible] riſdictionem. [illegible] vacante Sede Epiſ-
20. [illegible] iuriſdictio deuoluatur ad Capitulum Cathedralis Eccleſiæ, ex *c. Si Epiſcopus 3. & c. vlt. De ſupplenda neglig. Prælator. in 6.* inde fit, poſt Epiſcopi mortem ad idem Capitulum pertinere conſtituere Vicarium ijs qualitatibus præditum, de quibus ſupra dictum eſt n. 17. aut conſtitutum ab Epiſcopo confirmare, quod vt fiat intra 8. dies poſt mortem Epiſcopi, ſtatutum eſt a Trid. *ſeſſ. 24. De refor c. 16.* Vicarius ita conſtitutus vocari ſolet Vicarius Capitularis, cuius officium tamdiu durat, quamdiu prouiſum non fuerit Eccleſiæ per alium Sponſum, quo electo, & confirmato poſſeſſionemque Epiſcopatus accipiente, ceſſat ipſo iure eius poteſtas. Debet tamen Epiſcopus ab eodem Vicario Capitulari, ſicut & ab alijs Officialibus vacantis Eccleſiæ (etiamſi fuerint ex eodem Capitulo) rationem adminiſtrationis, & officiorum exigere, eoſque punire

nire

nire poterit ſi in Officio, ſeu adminiſtratione deliquerint, quamuis redditis rationibus, à Capitulo, vel à Deputatis ab eodem, abſolutionem, aut liberationem obtinuerint, vt expreſſe ſtatutum eſt à Trid. in cit. *c.* 16. *De refor. ſeſſ.* 24.

T. VIII.
De Presbiteris.

1. QVemadmodū Chriſtus Dominus præter Apoſtolos ſub Petro ipſorum Principe aliòs ſeptuaginta duos Diſcipulos elegit qui infra Apoſtolos Eccleſię inſeruirent; ita & nunc in Eccleſia præter Epiſcopos, qui in locum Apoſtolorum ſucceſſerunt, ſub Romano Pontifice Petri ſucceſſore, ſunt alij Miniſtri in locum Diſcipulorum ſuffecti, qui Presbiteri dicuntur, denominatione deſumpta à ſenectute, vt explicatur in *c. Cleros* 2. *v. Presbiter græce diſt.* 21., quia ſcilicet in ipſis requiritur maturitas morum, & ſapientiæ, quæ frequentius in ſenibus reperitur.

2. Ad eum miniſterij gradum aſſumuntur per ſacram Ordinationem, quæ eſt Cœremonia ſacra, per quam Ordinatis firmiter, & ſtabiliter confertur poteſtas offerendi Deo verum, & propitia-

torium Sacrificium Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini: vnde etiam appellantur Sacerdotes, quaſi Sacrum dantes, vt explicat Iſid. relatus in *c. Cleros 2. v. Sacerdos autem diſt.21.*; in eoſque Sacerdotalis dignitas Teſtamenti veteris, quę ad Victimarum Sacrificia ordinabatur, cum multa nouæ dignitatis acceſſione translata eſt, quemadmodum Sacrificijs illis mortuarum Victimarum ſucceſſit in Hoſtiam Deus viuus, & verus, qui ſimul eſt Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech peccatorum propitiatio, Gratię donorumque fons, & præmium beatiſſimum, ex *Trid ſeſſ. 22. c. 1. & 2*

3. Inde fit, multo perfectiores animæ corporiſque diſpoſitiones requiri, tum de Iure Diuino, tum etiam de Iure Canonico in Sacerdotibus nouę legis, vt ſuo munere rite fungantur, quam in Sacerdotibus legis veteris exigitę fuerint. Quare quod omnibus Clericis pręcipitur à Trid. *ead. ſeſſ. 22. c. 1. De refor.*, id à fortiori locum habet in Sacerdotibus, vt ſcilicet vitam moreſque ſuos omnes ita componant, vt habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, alijſque omnibus rebus nil niſi graue, moderatum, ac Religione plenum prçſeferant: leuia etiam delicta, quę in ipſis maxima eſſent, effugiant, vt eorum actiones

cun-

cunctis afferant venerationem. Item ſeruent, quę à Summis Pontificibus, & à Sacris Concilijs de Clericorum vita, honeſtate, cultu, doctrinaque retinenda, ac ſimul de luxu, commeſſationibus, choreis, aleis, luſibus, ac quibuſcumque criminibus, necnon ſęcularibus negotijs fugiendis copiosè, ac ſalubriter ſancita fuerunt.

4. In immolanda autem ſuper Altare viuifica illa Hoſtia, qua Deo Patri reconciliati ſumus, omnem operam, & diligentiam ponant, vt quanta maxima fieri poteſt interiori cordis munditia, & puritate, atque exteriori deuotionis, ac pietatis ſpecie peragatur. Quod ſi conſcientiam habeant peccati mortalis, quantumuis ſibi contriti videantur, attamen ad celebrandum non accedant, niſi præmiſſa Sacramentali Confeſſione, modo ipſis non deſit copia Confeſſoris: & ſi quiſpiam neceſſitate vrgente, abſque præuia Confeſſione contritione prę-miſſa celebrauerit, quāprimum confiteatur. Abſtineant demum à cuiuſuis generis mercedum conditionibus, & pactis, necnon ab importunis atque illiberalibus eleemoſynarum exactionibus potius quam poſtulationibus, alijſque huiuſmodi, quæ à Simoniaca labe, vel à turpi quæſtu non longe abſunt, de quibus alijſque ſimilibus videatur Trid. in

cit.

cit. *ſeſſ.* 22. tum in Decreto *De obſeruandis, & euitandis in celebratione Miſſa*, tum *De refor.c.* 1. & in *ſeſſ.* 13.*c.*7.

5. Huic eidem animæ corporiſque puritati ſeruandæ conſultum eſt per cœlibatum, quem de Iure Diuino annexum eſſe Sacerdotio graues aliqui Authores tradiderunt citati ab Azor *tom.* 1. *lib.* 13. *cap.* 12. *q.*1., alijs contra probabilius ſentientibus, annexum eſſe ſolum de Iure Canonico ab Apoſtolorum tempore. Mos iſte ſeruatus ſemper fuit ad hæc vſque tempora in Eccleſia latina, vt conſtat ex pluribus, quæ late congerit Bellar. *lib.* 1. *de Clericis c* 19. Quin & in ipſa Sacra Ordinatione votum ſolemne caſtitatis implicitè annexum eſt, quod eſt impedimentum dirimens matrimonij contrahendi, vt conſtat ex *c. vnico de Voto ex Voti redempt. in 6.* cuius meminit etiam Trid. *ſeſſ* 24. *can.9.*

6. Idem Iuris ſeruatur etiam in Diaconis, & Subdiaconis, de quibus in ſequenti titulo ſermo erit: tenentur enim & ipſi ad cœlibatum tum ratione legis, tum etiam ratione Voti ſolemnis, quod pariter eorum Ordinationibus implicite annectitur, & eſt impedimentum dirimens matrimonij contrahendi, vt conſtat ex *c* 1. *&* 2. *Qui Clerici vel vouentes &c. c.* 1. *De Clericis coniug. cit. c. vnico De voto, & voti redempt. in 6.* & ex cit.

can.

can. 9. Trid. Seſs. 24. Inde eſt quod Ordo Presbiteratus, ſicut etiam Diaconatus, & Subdiaconatus, appellatur ſpecialiter Ordo Sacer ad differentiam aliorum minorum Ordinum, quia ſcilicet eſt caſtitatis voto ſacratus: quidquid ſit vtrum Subdiaconatus in Eccleſia ſemper fuerit eo modo Sacer, de quo videri poteſt Azor. *tom.* 1. *l.* 13. *c.* 13. *q.* 2.

7. Quod ſi contingat aliquem contracto antecedenter Matrimonio alligatum ad Sacrum Ordinem promoueri, ſi id fiat annuente vxore, tenebitur & ipſe obligatione perfectæ continentiæ, ita vt nec petere poſſit, nec reddere debitum coniugale, vt expreſſe declarat Leo I. *Epiſt.* 84. per ea verba *vbi promouendi ſunt aliqui ſi habent vxores, ſint tanquam non habentes; & ſi non habent permaneant ſingulares*, quod idem etiam expreſſe decernitur in pluribus capitibus *diſt.* 31. *&* 32.; ac propterea in *c. coniugatus* 5. *de conuerſ. coniugator.* præcipitur vt nullus Coniugatorum ad Sacros Ordines promoueatur, niſi ab vxore continentiam profitente fuerit abſolutus. Si tamen aliquis de facto promoueatur vxore non conſentiente, adhuc tenebitur obligatione non petendi debitum, ſed non erit a reddendi obligatione ſolutus, vt docet communis ſententia cum S. Th. in *additionib. ad* 3. *part. q.* 53. *art,* 4. *ad.* 1.

Hęc

8. Hæc dicta procedunt quoad ordinatos in Eccleſia latina. Quod autem attinet ad ordinatos in Eccleſia græca, prohibentur & ipſi matrimonium contrahere poſt ſuſceptionem Ordinis Sacri, vt conſtat ex *c. Si quis eorum* 8 *diſt.* 32 deſumpto ex 6. Synodo generali, quod conſuetudo communis etiam apud Grecos ita interpretatur, vt ea Ordinis Sacri ſuſceptio ſit impedimentum dirimens matrimonij contrahendi; at matrimonio ante Sacrum Ordinem contracto permittunturvti, ex *c. cum olim* 6. *de Clericis coniug. c Quæſitum* 7. *De pœnit. & remiſſion. c. Vt Clericorum* 13. *De vita, & honeſtate Clericorum.*

9. Præter poteſtatem ſacrificandi Deum verum Deo vero Sacerdotibus competentem, cui potiſſimum per Sacros Canones tanta animi corporiſque puritate conſultum eſt; alia etiam ſunt officia, quorum vel ordinarius Miniſter eſt Sacerdos, vel ſaltem Delegatus eſſe poteſt. Eius generis eſt poſt acceptam ab Ordinario approbationem, Sacramentum Pęnitentię miniſtrare, ex Trid. *ſeſſ* 14. *c.* 6. Infantes baptizare, ex *cap. Conſtat* 18 *De Conſecr. diſt.* 4. ſanctificato Oleo ægrotantes inungere, Trid. *ſeſſ.* 14. *De Sacr. Extremę Vnctionis c.* 3. benedicere dona Dei, *c. Perlectis* 2. *verſ ad Presbiterum, diſt.* 25. In caſu autem

extremæ neceſſitatis poſſe etiam delegari a Summo Pontifice Sacerdotem ad miniſtrandum Sacramentum Confirmationis (cuius cæteroquin ordinarius Miniſter eſt Epiſcopus) clare deſumitur ex *c. Peruenit* 1. *diſt* 95. Sed de his inferius ſuo loco ſermo erit, quando tractabitur de Sacramentis Eccleſiæ, vbi etiam exponentur tum ea quę pertinēt ad materiam, & formam Ordinis Sacerdotalis, Ordinumq; reliquorum; tum quę ad qualitates requiſitas in Ordinandis. &c.

TIT. IX.

De reliquis qui ſunt in Sacris conſtituti.

1. INfra Presbiterum ratione Ordinis immediate Diaconus ſubſequitur, & infra Diaconum Subdiaconus, qui ambo dicuntur eſſe in Sacris, quia Ordinem habent caſtitatis voto ſacratum, vnde tenentur ambo ad cęlibatum, vt paulo ante dictum fuit,

2. *Diaconus* gręcè idem eſt ac latinè *Miniſter*: quia ſicut in Sacerdote conſecratio ita in Diacono miniſterij diſpenſatio habetur *c. Cleros* 2. *verſ. Et græcè diſt.* 21. Eius enim officium eſt aſſiſtere Sacerdotibus, & miniſtrare in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis Chriſti, in Baptiſmo, ſiue in Chriſmate, & Patena

na, & Calice: oblationes quoque inferre, & diſponere in Altari: componere etiam menſam Domini, atque veſtire; Crucem ferre: tempore Sacrificij legere ad Populum Euangelium, & etiã Apoſtolum ſeu Epiſtolam cum abeſt Subdiaconus. Nam ſicut Lectori vetus Teſtamentum; ita Diacono nouum publice legere præceptum eſt.

3. Ad ipſum quoque pertinet Officium precum, dicendo Litanias, & recitatio nominum Ordinandorum, & baptizandorum, & mortuorum, & excommunicatorum. Ipſe præmonet aures habere ad Deum, dicendo *humiliate capita &c.* Ipſe hortatur clamare, cum dicit *Kyrie eleiſon* in Rogationibus. Ipſe donat pacem. Ipſe annuntiat feſtiuitates. Sumuntur hęc ex *c. perlectis 2 verſ. ad Diaconum diſt.* 25 iuncta Gloſ. ibid. Item in abſentia Epiſcopi, & Preſbiteri poteſt licite miniſtrare Baptiſmum, & Sacram Euchariſtiam populo diſtribuere ſi extrema neceſſitas id exigat, *c. Diaconus* 13 *& c. Præſente* 8 *diſt.* 93

4. Inde eſt, quod Diaconi appellentur etiam ex hæbraica lingua Leuitæ: quia ſcilicet ſicut in lege veteri de Tribu Leui aſſumebantur homines, qui in Templo Dei Sacrificijs miniſtrarent; ita in lege Euangelica aſſumuntur Diaconi ad miniſtrandum Sacerdotibus in admi-

E 2 ni-

niſtratione Sacramentorum ex cit. *c. Cleros verſ. Leuitæ diſt.* 21.

5. *Subdiaconus* latinè idem eſt ac *Hypodiaconus* grçce, ideo ita dictus, quia ſubiacet præceptis, & officijs Leuitarum, ex eod. *c. Clerosverſ. Hypodiacones.* Eius officium eſt Calicem, & Patenam ad Altare Chriſti deferre, & Leuitis tradere, eisque miniſtrare: Presbiteris, & Leuitis pro lauandis ante altare manibus aquam prębere: oblationes in Templo Domini a Fidelibus ipſis ſuſcipere; & Leuitis ſuperponendas Altaribus deferre: Pallas demum, & Corporalia abluere. Sumuntur hæc ex *c. Perlectis* 2. *verſ. Ad Subdiaconum diſt.* 25. *c. Cleros v. Hypodiaconos. diſt.* 21, *c. non oportet* 31; & *c. Non liceat* 32. *diſt.* 23.

TIT. X.

De ijs qui ſunt in minoribus Ordinibus conſtituti.

1. INfra Ordinem Diaconatus, & Subdiaconatus, ſubſequuntur quatuor Ordines, nempe Acolythatus, Exorciſtatus, Lectoratus, & Oſtiariatus, qui dicuntur minores, & non Sacri, non quod ſint ſeculares, & prophani, ſed quia illis prohibitum eſt Sacra Vaſa contingere, & ad Altare defer-

ferre ex cit c.*Non liceat* & c.*Non oportet*; ac præterea quia non ſunt caſtitatis voto ſacrati. Clerico enim in ijs Ordinibus conſtituto permiſſum eſt matrimonium contrahere, vt apertè declarant plures textus ſub tit. *De Clericis coniug.*

2. Illud tamen Iuris in eiuſmodi Clericis matrimonium contrahentibus ſeruandum eſt, vt ſi quod beneficium Eccleſiaſticum habuerint, ſint ipſo facto eo Beneficio priuati, omnique iure quod habuerint ad quodlibet Beneficiũ, iuxta Textum in c. 1. alijſque Iuribus *De Clericis coniug.* Cum enim vir cogitet quomodo placere poſſit Vxori, & quaſi diuiſus in duo plenam ſui non habeat poteſtatem, minus quæ Dei ſunt valet cogitare quàm in Clerico beneficiato requiratur, *c.Diuerſis 5.eod. tit.* Quod ſtatutum de ſtylo Curiæ extenditur etiã ad penſiones Clericales, vt cum pluribus teſtatur Azor.*to.1. lib.13.c.15. q.8.* Ad id autem ſatis eſt ſi Matrimonium ſit tantummodo ratum non conſummatum, vt docet communis ſententia Canoniſtarũ in cit.c.1. Vnde etiamſi ſponſa ante conſummationem matrimonij Religionem profiteatur, Maritus Beneficium non recuperat, quia fuit amiſſum, nec iterum repetitur niſi iterum conferatur, cum Beneficium Eccleſiaſticum ſine Canonica inſtitutione obtineri non poſſit, *reg.1. de reg.iuris in 6.*

 3.Aco-

3. Acolythus olim Acoluthus vocabatur, ita dictus quaſi pediſſequus ab ἀκολουθέω quod eſt *ſequor*. Eius enim munus eſt ſequi Diaconum ad locum Euangelij cum cereo accenſo (vnde etiam Ceroferarius appellatur,) & preparare, ac Subdiacono porrigere vinum & aquam ad Euchariſtiã Sanguinis Chriſti, ex *c. Acolytous 17. diſt. 23. c. Cleros 2. verſ. Acolythi diſt. 21. & c. Perlectis 2. verſ. Ad Acolythum diſt. 25.*

4. Exorciſtæ ex græco in latinum adiurantes ſiue increpantes vocantur: inuocãt enim ſuper Cathecumenos, vel ſuper eos qui habent ſpiritum immundum nomen Domini Ieſu, adiurantes per Eũ vt egrediatur ab eis, ex cit. *c. Cleros v. Exorciſtæ.* Ipſorum etiam eſt aquam in Miniſterium Baptiſmi præparare, locumque communicaturis diſtribuere.

5. Lector a legendo dicitur: ad ipsũ enim pertinet lectiones pronunciare, & ea quę Prophetæ vaticinati ſunt publicè legere *c. Perlectis 2. v. ad Lectorem d. 25.*

6. Oſtiarij demum dicuntur ex eo quod præſint oſtijs Templi. Ipſi enim tenentes claues omnia intus, extraque cuſtodiunt, atque inter bonos & malos habentes Iudicium, fideles recipiunt, & reſpuunt infideles, cit. *c. Cleros* in fine.

7. Omnibus iſtis Ordinibus præmittetur

titur prima Tonſura, quam non eſſe rigoroſe, & ſtricto modo Ordinem tradunt communiter Theologi apud Vaſq. alioſque relatos a Caſtrop. *part.* 4 *tract.* 27. *De Sacramento Ordinis pun* o . *n.* 4. Ea enim non confert aliquod particulare officium relate ad miniſterium Altaris; ſed tantummodo diſponit proxime hominem ad recipienda eadem officia, ſegregando illum a ſtatu laicali, & admittendo ad Clericalem. Vide etiam quæ dicentur infra *l.* 2. *t.* 8. *n.* 7.

TIT. XI.

De Præbendis, ſeu Beneficijs Clericorum.

1. ABſolutis ijs, quæ pertinent ad varios ſtatus Clericorum, poſtulat ordo doctrinæ, vt de eorum præbendis beneficijſq; tractetur. Quamuis enim iſta pars Iuris videatur eſſe extra propoſitam materiam huius libri, in quo agitur de Iure Perſonarum; attamen non habet hic locum incongruum: quia Beneficia ſunt annexa ſtatui Clericali; ea autem quæ ſui natura iunguntur, debent quoque coniunctis tractatibus comprehendi, vt colligitur ex §. 1. *Inſt. D. Legatis*, & *l. Eum actum* 17. *ff. De negotijs geſtis.*

2. Beneficium in genere, & late ac-

ceptum ſignificat gratiam, ſeu munus alteri collatum in eius vtilitatem, vt explicat Rebuff. in *Praxi tit.* 1. *Quid ſit Beneficium num.* 2. & 3. Ex hac generalitate ſignificationis deriuata eſt appellatio Beneficij in ea genera gratiarum, ſeu munerum, quæ ab Eccleſia conferuntur Clericis, quando ipſis ius concedit percipiendi redditus annuos ex Eccleſiaſticis bonis propter aliquod ſpirituale miniſterium, vt qui Altari ſeruiunt de Altari viuant, & qui Diuinis adſcribuntur obſequijs, Eccleſiæ ſtipendijs ſuſtententur, *c. Cum ſecundum* 16. *De Præben.* Atque ea ſunt, de quibus hic nobis ſermo eſt.

3. Beneficium Eccleſiaſticum eo modo acceptum definiri poteſt: Ius authoritate Eccleſiaſtica conſtitutum percipiendi fructus annuos ex bonis Eccleſiæ collatum in perpetuum Clerico ob ſacrum, & Eccleſiaſticum miniſterium. Ita Azor. *p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 1. *q.* 2. Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell. gloſ.* 5. *in princip.* alijque relati a Caſtrop. *p.* 2. *tract.* 13. *puncto* 1. *num.* 1. In idem recidit nomen Præbendæ prout plerumque ab Authoribus vſurpatur, & vt etiam ſumitur in Decretalibus tit. *De Præbendis*, vbi generaliter intelligitur de omni Beneficio Eccleſiaſtico: quamuis etiam aliquando ſumatur contractiùs pro Canonica por-

portione, ea videlicet, quæ de communi redditũum Eccleſiaſticorum maſſa capitur,& præbetur ſingulis pro ſua portione, vt in *c. Cum M. Ferrarienſis 9. De Conſt.* & *c. Dilectus 27. De Præben.*

4. Dicitur *Ius*. Beneficium enim Eccleſiaſticum non eſt proprie actualis perceptio fructuum, ſed Ius ipſos percipiendi. Dicitur *authoritate Eccleſiaſtica conſtitutum*: quia Beneficium Eccleſiaſticum proprie non cenſetur, niſi per Epiſcopum ſit ordinatum, vt docet Gloſ. communiter recepta in *Clem 2. De Decimis v. Si Beneficiorum* circa finem. Dicitur *ex bonis Eccleſiæ*: quia bona illa, vnde redditus colliguntur permanent ſub dominio Eccleſiæ, nec alienari poſſunt à Beneficiato, eoque mortuo ad Eccleſiam reuertuntur. Dicitur *collatum in perpetuum Clerico*: quia Beneficium nonniſi Clerico dari poteſt, *c. Ex litteris 6. De Tranſactionib.* & *c. Cum adeo 17. De reſcr.*, eidemque confertur in perpetuum, hoc eſt quamdiu viuit ipſe Clericus, *c. Sanctorum 2. diſt. 70.* Ea enim, quæ conferuntur ad certum tempus, ſeu reuocabiliter ad nutum conferentis, non dicuntur ſimpliciter, & ſine addito Beneficia, ſed ſolum minus proprie, & cum addito, videlicet Beneficia manualia. Dicitur demum *ob ſacrum, & Eccleſiaſticum miniſterium*, cu-

ius generis eſt cura Animarum, Chorus, recitatio Horarum Canonicarum, &c., ex *c. Quia per ambitioſam 15. de reſcr. in 6.*, vbi dicitur Beneficium Eccleſiaſticum dari propter officium: ac propterea Beneficium, ſeu illud Ius percipiendi redditus, eſt ius ſpirituale, vtpote fundatum in officio ſpirituali, eidemque annexum.

5. Tria igitur in quolibet Beneficio Eccleſiaſtico attendenda ſunt, Primum eſt ipſum officium, ſeu obligatio ad aliquod ſpirituale miniſterium; & hoc non tam Beneficium, quàm Beneficij fundamentum, & cauſa vocari debet. Alterum eſt Ius percipiendi redditus ex bonis Eccleſiaſticis propter officium ſpirituale; & in eo Iure proprie conſiſtit ratio Beneficij. Tertium ſunt ipſi fructus ex bonis Eccleſiaſticis prouenientes, qui ſunt quid conſequens ad Beneficium

6. Beneficia Eccleſiaſtica multipliciter diuiduntur. Primo enim alia ſunt Curata; alia non curata. Beneficia Curata dicuntur, quibus cura Animarum annectitur, ſiue ſit cura Animarum proprie dicta, & quoad forum internum, qualem habet Parochus reſpectu Parochianorum ſuorum, de quo ſermo eſt in *Clem. 2. § Verum de Sepulturis*; ſiue ſit cura Animarum improprie dicta, & quoad forum externum, & contentio-

tioſum, qualem habet de iure communi Archidiaconus, vt ſupra explicatum eſt *nu.* 7. Beneficia non curata ſunt, quibus nulla eiuſmodi cura annexa eſt.

7. Secundo alia ſunt ſimplicia, alia duplicia, ſeu maiora. Duplicia ſunt, quę ſpecialē aliquam, ac ſolemnem Iuris qualitatem annexam habēt: Simplicia, quæ nullam. Cum autem ſpeciales, ac ſolemnes Beneficiorum qualitates numerentur communiter, Cura Animarum; Iuriſdictio, Prœeminentia, Adminiſtratio rerum Eccleſiaſticarum; inde eſt totidem quoque numerari duplicium, ſeu maiorum Beneficiorum genera, ex quibus ea quæ qualitatem habent curæ Animarum vocantur Curata, vt dictum eſt; quæ habent annexam iuriſdictionem ſimul cum adminiſtratione rerum Eccleſiaſticarum, ſeu cum prœeminentia ſupra reliquos quoad locum magis honorificum, dicuntur habere Dignitatem, qualia ſunt Abbatia, Archidiaconatus, &c. quæ habent annexam ſolam prœeminentiam quoad locum magis honorificum abſque vlla iuriſdictione rerumq; adminiſtratione, dicuntur habere Perſonatum; quæ demum habent annexam ſolam rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrationem abſque vlla iuriſdictione in Clericos, & abſque gradu eminentiore, habere dicuntur Officium, cuius gene-

ris eſt munus Sacriſtæ, Cuſtodis, ſeu Theſaurarij, &c. Sumuntur hæc ex Gloſ. in *cap. 1. De conſuetud.* Vbi etiam notat, non obſtante eo inter Dignitatem Perſonatum, & Officium diſcrimine, aliquando Iura vti promiſcue illis nominibus, vt in *c. Cum acceſſiſſent* 8. *de conſtitut* in quo idem Primiceriatus circa initium textus vocatur Perſonatus, poſtea appellatur Dignitas, ac deinde circa finem capitis nominatur Officium.

8. Tertio alia ſunt Beneficia ſæcularia, alia Regularia, que diuiſio deſumitur ex *c. Cum de Beneficio 5. de Præben. in 6.* Beneficium ſæculare dicitur, quod conferri debet ſæcularibus Clericis, ex fundatione, vel ſaltem ex conſuetudine legitimè præſcripta, *eod. c. Cum de Beneficio.* Regulare Beneficium eſt quod conferri debet Religioſo, idque pariter ex fundatione, vel ex inſtitutione Superioris, vel ex preſcriptione legitima.

9. Quarto ex ſupradictis Beneficium latius acceptum aliud eſt manuale, aliud non manuale, quæ diuiſio deſumitur ex Gloſ. in *Clem. vnica de ſupplen. negligen. Prælator.* Manuale dicitur, quod confertur reuocabiliter ad nutum conferentis: non manuale, quod confertur in perpetuum dum viuit Beneficiatus, itaut à tali Beneficio amoueri non poſſit, niſi

cer-

certis de cauſis à Iure conceſſis, vel permiſſis; atque illud eſt, quod magis proprie Beneficium appellatur, vt ſupra dictum eſt.

10. Quinto demum alia ſunt Beneficia collatiua, quæ ſcilicet conferuntur pro libera voluntate eorum, ad quos collatio pertinet: alia electiua, quæ conferuntur mediantè electione à Clericis, ſeu Canonicis facta, legitime confirmata à Superiore: alia Patronata, ſeu mixta, quæ nominante, & deſignante Patrono cuius eſt Clericum promouendũ præſentare, & inſtituẽte Epiſcopo conferuntur.

TIT. XII.

De ætate, & qualitate promouendorum ad Beneficia.

1. COgnita natura, & diuiſionibus Beneficiorum, conſequens eſt vt agatur de ijs, quæ requiruntur ad legitimam eorundem collationem, tum ex parte eorum, quibus conferenda ſunt, tum etiam ex parte Conferentium, quorum primum tractabitur in præſenti titulo, alterum in ſequentibus.

2. Quod igitur attinet ad eos quibus conferri Beneficia debent, certi Iuris eſt eos nonniſi Clericos eſſe debere prima

ma ſaltem Tonſura initiatos, vt in præced. tit. dictum eſt num. 4. ex *c. Ex litteris 6. de Tranſactionib.*, eoſque idoneos, qui Deo, & Eccleſijs velint, & valeant gratum impendere famulatum, *c. Graue 29. De Præben.* Huic Iuri ſeruando cautum eſt à Trid. *ſeſſ. 7. De refor. c. 13.*, vbi decernitur, vt præſentati, ſeu electi, vel nominati à quibuſuis Eccleſiaſticis perſonis, etiam Sedis Apoſtolicæ Nuncijs, ad quæuis Eccleſiaſtica Beneficia, non inſtituantur, nec confirmentur, neque admittantur, etiam prætexu cuiuſuis priuilegij, ſeu conſuetudinis etiam ab immemorabili tempore præſcriptæ, niſi fuerint prius à locorum Ordinarijs examinati, & idonei reperti. Et nullus appellationis remedio ſe tueri poſſit, quo minus examen ſubire teneatur; Exceptis tamen præſentatis, electis, ſeu nominatis ab Vniuerſitatibus, ſeu Collegijs generalium ſtudiorũ.

3. Idoneitas autem eiuſmodi ex pluribus attendi debet, quorum aliqua numerantur in cit. *c. Graue 29 De Præben.* & in Trid. *ſeſſ. 24. de refor. c. 1.*, ſuntque potiſſimum morum honeſtas, ſcientia litterarum, ætas legitima, de quibus etiam ſermo eſt in *c. Cum in cunctis 7. de elect.*, & *Clem. 1. de ætate, & qualit.* Quæ omnia fortiori Iure requiruntur pro Beneficijs curatis, multoque adhuc fortiori

tiori pro prouiſionibus Cathedralium Eccleſiarum, in quibus maius Animarum periculum vertitur, ſi per inhabiles miniſtrentur: quia, vt loquitur Trid. *ſeſs.* 24 *de reſor. c.* 1. totius familiæ Domini ſtatus, & ordo nutabit, ſi quod requiritur in corpore, non inueniatur in capite.

4 Inde factum eſt, vt non ea ſola Iuris remedia pro legitime conferendis ijs maioribus Beneficijs ſeruanda ſint, quæ ſufficiunt pro minoribus; ſed alia inſuper ſpecialia circa examen, & inquiſitionem de promouendis habendam aliaque ſimilia, quæ pro conferendis Beneficijs curatis ſancita leguntur in Trid. cit. *ſeſs.* 24. *de reſor. c* 18., & in Bulla 33. B. Pij V., quæ incipit *In conconferendis*, quam refert Quaran. in *Summa Bullary v. Beneficiorum Parochialium collatio*; pro conferendis autem Eccleſijs Cathedralibus, alijſque Superioribus, ſeu Monaſterijs, ac cæteris Dignitatibus, quæ in Conſiſtorio prouidentur; in ead *ſeſs.* 24. *de refor c.* ., & in Conſtit. 6. Gregorij XIV. quæ incipit *Onus Apoſtolicæ* edita anno 1591. apud eundem Quaran. in cit. *Summa Bullary v. Electio*.

5. Sed neque ſatis eſt eadem Beneficia dignis, & idoneis prouideri: requiritur enim, vt in concurſu plurium

di-

dignorum dignioribus cõferantur, quod de Epiſcopatibus alijſque Beneficijs curatis expreſſe definitum eſt à Trid. in cit. *c. 1. & 18. de refor. ſeſs. 24.* cum præſertim tales Dignitates conferri ſoleant mediante concurſu, & examine competitorum, ex quo oritur quidam quaſi contractus, & obligatio naturalis, ratione cuius peccatur etiam grauiter contra Iuſtitiam, ſi inuentus in examine dignior negligatur.

6. Circa Beneficia ſimplicia controuerſi Iuris eſt, vtrum idem ſeruandum ſit, alijs opinantibus ad eadem non extendi illud graue præceptum de dignioribus præferendis; alijs in contrarium affirmantibus extendi, inter quos citatur S. Th. 2. 2. *qu 63. art. 1. & 2. & q. 185 art. 3.* Valent. *to. 3. diſp. 5. quæſt. 7. puncto 2. qu. 2.*, alijque plures quos refert Garz. 7. *par. de Beneficijs c. 16.* Caſtrop. *par. 2. tract 13. diſp. 2. puncto 11. num. 8.*, & Azor. *to. 2. lib. 6. c. 15. q. 1.* Hæc ſecunda ſententia videtur probabilior, tum quia magis eſt Sacris Canonibus conformis, in quibus ſupponi videtur illud generale præceptum pro omnibus Beneficijs etiam ſimplicibus, vt in *c. vnico. Vt Eccleſiſtica Beneficia, &c.* in ijs verbis: *non ex affectu carnali, ſed diſcreto iudicio debuiſti Eccleſiaſticum Officium, & Beneficium in perſona ma-*

gis

gis idonea diſpenſare: ſermo autem ibi eſt de Beneficio non curato, ſed ſimplici, vt patet ex contextu: tum etiam quia prætermiſſio dignioris haberi non poteſt ſine aliqua acceptione perſonarum, quæ prohibita eſt in *c. In iudicijs 12. de reg. Iuris in 6.*

7. Dignior autem penſatis omnibus ille cenſendus eſt, qui habito reſpectu ad doctrinam, & mores vtilior Eccleſiæ futurus eſſe iudicatur. Quare ſi contingat aliquem præditum eſſe minori doctrina, quam alium, ſufficienti tamen ad Beneficium, ſed multum in probitate morum, atque prudentia præualere, ratione cuius cenſeatur multo vtilius Eccleſiam adminiſtraturus; præferendus erit doctiori, quia ſic vtilius Eccleſiæ prouidetur. Qua ratione tradunt etiam Authores nonnulli apud Azor. in cit. *cap.15. q.* 3. *&* 4. poſſe nonnumquam ignobili doctiori, ac ſanctiori præferri nobiliorem, & potentiorem ſufficienti doctrina, ac probitate dotatum, quando ſcilicet Beneficium indiget defenſore, vel protectore adminiſtrante: item præferri poſſe qui certo cognoſcitur eſſe dignus ſeu ſufficienter doctus, & probus, relicto doctiori cuius vita ignoratur, de qua re extat etiam declaratio Cardinal. Concilij citata à Piaſec. in *Praxi p. 2. c. 5. art. 3. num.* 10. Ex eadem

dem quoque maioris vtilitatis Eccleſiæ ratione deſcendit, externo magis idoneo præferri debere idoneum, qui ſit ex eadem ciuitate, vel de gremio Eccleſiæ, ex *c Nullus* 13.*diſt.*61. Præſumitur enim vtilius, & cum maiori peritia adminiſtraturus res Eccleſiæ, qui in eadem ſuam tranſegit ætatem: & ita Sacrum Cardinalium Collegium ex ipſis Cardinalibus digniorem eligit, vt præſcribitur in *c. Oportebat.* 3.*cum ſeq. diſt.* 79. quamuis extra Collegium alius ipſo dignior inueniatur.

8. Vtrum autem ad eam prælationem dignioris teneatur etiam Patronus in preſentando, & renuncians in renunciando, ſeu permutando Beneficio, indicabitur infra, vbi de Iurepatronatus, & vbi de Renunciatione, ac permutatione Beneficiorum.

9. Quod ſi de facto contingat aliquem idoneum ad Beneficium promoueri digniore prætermiſſo, quamuis eiuſmodi promotio ſit illicita, erit tamen valida, ne litibus occaſio aperiatur, & Chriſtiana Reſp. perturbetur, iuxta communem ſententiam, vt videre eſt apud Couarr. in reg. *Peccatum p*:2.§.7.*num* 3. alioſque relatos à Vaſq. *de Beneficijs cap.* 2.§.3 *dub.*17. in fine, & à Caſtrop. *p* 2. *tract.*13.*diſp.*2.*pun.*11 §. 3. vbi tamen rectè excipit Beneficia curata per concur-

cur-

curſum prouiſa, quia Trid. *ſeſſ. 24 de refor. cap. 18.* mandat ea conferri dignioribus ex approbatis ab Examinatoribus, & poſtea ſubdit: *prouiſiones omnes, ſeu inſtitutiones præter ſupradictam formam factæ, ſubreptitiæ eſſe cenſeantur*, quod idem pręcipit B. Pius V. in ſupracit. Conſtit. *In conferendis* ſuper collatione Eccleſiarum Parochialium edita anno 1567. quæ in Bullario eſt 33. inter Conſtitutiones eiuſdem Pontificis, vbi inter reliqua digniori prætermiſſo dat facultatem appellandi à mala electione: ita tamen, vt ea appellatio interpoſita, interim non impediat aut ſuſpendat quo minus electio per Ordinarium primo loco facta interim debitæ demandetur executioni, & prouiſus ab eadem Eccleſia causa appellationis huiuſmodi dependente non amoueatur.

10. Vtrum autem in eodem caſu promotionis ad Beneficium minus digni præ magis digno, & à fortiori in caſu promotionis indigni, detur in promouente aliqua obligatio reſtituendi ſiue Eccleſiæ, ſiue digno aut digniori prætermiſſo, videri poteſt fuſe tractatum à Theologis, inter quos Vaſq. *De Beneficijs in cit. cap. 2. §. 3. dub. 17* Caſtrop. in *cit. pun. 11* §. 4. alijſque ab ipſis citati.

11. Quod attinet in particulari ad ea, quibus dictum eſt conſtitui idonei-

ta-

tatem Clerici promouendi, prima eſt morum honeſtas, ex cuius defectu Clerici criminoſi, *c. inter dilectos* 11. *de exceſ. Prælat.* Excommunicati, *c. poſtulaſtis* 7. *de Clerico excommunic.* Suſpenſi, *c. cum dilectus* 8. *de conſuet.* & *c. cum bonæ* 8. *de ætat. & qualit.* Interdicti, *c.* 1. *de poſtulat. Prælat.* iuncta communi ſententia Canoniſtarum: Infames demum ſiue infamia iuris, ſiue infamia facti, *c. infamibus* 87. *de reg. iur. in* 6. iuncto cit. *c. inter dilectos* 11. *de exceſſ. Prælat.* ad Beneficia ſunt inhabiles. Cum enim Beneficium detur propter officium, æquum eſt, vt qui crimine, vel cenſura ab Officio, ſeu Ordinis executione ſunt prohibiti, etiam à Beneficij aſſecutione prohibeantur.

12. Hæc ratio extenditur etiam ad Clericos in prima tantum Tonſura conſtitutos, qui pariter compræhenduntur ſub generali prohibitione ne Beneficia criminoſis, aut cenſura ligatis conferantur. Quamuis enim ij per cenſuram aut crimen à nullius Ordinis executione prohibeantur cum nullum Ordinem habeant, & ex altera parte non reddantur inhabiles ad recitandas priuatim Horas Canonicas, quæ ſunt vnicum Officium quibuſdam Beneficijs annexum; adhuc tamen ab ijſdem Beneficijs obtinendis per criminoſitatem, vel cenſuram remouentur, quia per eandem prohibiti ſunt

Ec-

Eccleſiaſtico Ordine initiari, & Sacramenta percipere, quę ratione ſui muneris, & officij ſuſcipere debet qui ad Beneficium promouetur, vt colligitur ex *c.ſi celebrat.vlt.de Clerico excom.* vbi ex eadem ratione decernitur, excommunicatum excommunicatione minori eligi ad Beneficia non poſſe, & ſi de facto eligatur, electionem irritandam eſſe, pro eo quod ad ſuſceptionem eorum electus ſit, quorum perceptione à Sanctis Patribus eſt priuatus.

13. Hæc dicta procedunt etiamſi excommunicatus aut alia cenſura ligatus toleratus ſit: conſtitutione enim Còncilij Conſtantienſis *Ad euitanda*, per quam cæteroquin permittitur communicare cum excommunicato tolerato nullus fauor eidem excommunicato indulgetur, ſed tantummodo conſulitur reliquorum Fidelium conſcientiæ.

14. Item dicta procedunt etiamſi cenſura aut excommunicatio ſit penitus, & inuincibiliter ignorata. Tàlis enim ignorantia quamuis excuſet à culpa iuxta *c. Apoſtolicæ 9.de cler. excomm.* non tamen dat valorem actui aliàs inualido, neque impedit effectum prouenientem ex cenſura contracta. Quod circa excommunicationem maiorem conuenit inter Authores, vt tradit Couarr. in *c. Alma p.1.§.7.n.* 3. Circa minorem autem ex-

excommunicationem, negatum id fuit à quibuſdam tacito nomine citatis ab Azor *p.2, lib 6.cap.7.q.7.* ea ratione ductis quod in cit. *c ſi celebrat* dicatur irritanda electio excommunicati excommunicatione minori, *ſi ſcienter talis electus fuerit*; at alij paſſim, & multo probabilius cum communi ſententia docent irritandam quoque eſſe eius electionem, etiamſi eius excommunicatio ſiue ſolum ab Electo, ſiue ab Electoribus, ſiue ab vtriſque ſit inuincibiliter ignorata. Irritatur enim ea electio non propter peccatum quod Electus committat acceptando eam electionem, aut propter peccatum, quod committant Electores; ſed propter incapacitatem perſonæ, vt ſatis indicant ea verba textus: *pro eo quod ad ſuſceptionem eorum eligitur, a quorum perceptione à S. Patribus eſt priuatus* quæ ratio locũ habet ſiue excõmunicatio cognoſcatur, ſiue inuincibiliter ignoretur. Neque obſtant illa verba Textus *Si ſcienter talis electus fuerit*. Nam vt explicat Suar. *De cenſ. diſp. 24. ſect. 2. n.* 18. illa particula *ſcienter*, poſita videtur potius ad augendum, quam ad limitandum, itaut ſenſus ſit *etiamſi ſcienter*, ne videretur irritari ſolum debere talis excommunicati electio quaſi ſubreptitia, & inuoluntaria electoribus, quando eius excommunicatio ignoratur; ſed etiam

quan-

quando eſt electio omnino voluntaria, cum notitia minoris excom̃unicationis.

15. Quod ſi de facto contingat Beneficium excomunicato conferri præterquam quod ea collatio nulla eſt, debet etiam Collator, qui ſcienter ita contulerit, tamdiu a Beneficiorum collatione ſuſpendi, donec ſuper hoc veniam conſequi mereatur, vt puniatur in hoc in quo peccare pręſumpſit, juxtà textum expreſſum in *c. poſtulaſtis* 7. *De Cler. ex com.* Ejuſmodi pœnam Gloſ. in *c. Si celebrat vlt. eod. tit. v. ſcienter* extendit etiam ad eum, qui ſcienter conferat Beneficium excomunicato excomunicatione minori. Contrarium tamen ſequitur Panor. in cit *c. Si celebrat n* 7. Suar. *De cenſ. diſp* 24. *ſect.* 2. *n.* 22. & vt ipſi teſtantur, alij communiter.

16. Quæſtionis eſt vtrum collatio Beneficij facta habenti cenſuram ſit ipſo iure irrita, an ſolum per ſententiam irritanda? Hac in re conueniunt Authores collationem factam ligato excomunicatione maiori, eſſe ipſo iure nullam, vt videre eſt apud Couarr. in cit. §. 7. *n.* 1. ſatiſque probat textus in cit. *c. Poſtulaſtis* 7. *de Cler. ex com.* Idem Iuris ſeruandũ eſſe etiam in ſuſpenſo, vel interdicto aſſerit communis ſententia, quam ex varijs Rotæ deciſionibus firmat Garz. *De Benef. p.* 7. *cap.* 14. *n.* 1. alijque paſſim

tra-

tradunt, quos citat, & ſequitur Caſtrop. *De cenſ. diſp. 2. pun. 10. n. 25.* quamuis in contrariū ſentiat Suar. *de cenſ. diſ. 26. ſect. 3. n. 8. & diſp. 27. ſect. 1. n. 26.* Circa excomunicatum excomunicatione minori controuerſia maior eſt, alijs aſſerentibus Beneficij collationē ipſi factam eſſe ipſo iure nullam, inter quos citatur ab Azor. *p. 2. l. 6. c. 7. q. 7.* Innoc. Hoſt. Ioan. And. Panor. in cit. *c. Si celebrat;* alijs in contrarium affirmantibus eam collationē validam eſſe, ſed irritari debere, quos abūdè citat Caſtrop. *diſp. 2. De cenſ. pun. 21. n. 15.*

17. Quæſtionis etiam eſt vtrum ad Beneficium ante excomunicationem electus illud valide acceptet poſtquam eſt excommunicatione ligatus? In qua duplex eſt ſententia, quarum prima aſſerit eam acceptationem validam eſſe, atque ita tradit Couar. in c. *Alma p. 1. §. 7. n. 4.* alijque ab ipſo citati, quos etiam ſequitur Azor. *p. 2. l. 6. cap. 7. q. 9. & Garz. De Benef. p. 7. c. 13. n. 35.* Altera ſententia, quam ſequitur Suar. *De cenſ. diſp. 13. ſect. 1. n. 17.* Vaſq. *De Benef. c. 4. § 4. dub. 2. n. 245.* alijque, eam validitatem negat: quia per acceptationem acquiritur perfectum ius in Beneficio, vt colligitur ex *c. Si tibi abſenti 17. de præben. in 6.* adeoque ſupponitur eiusdem iuris capacitas in acceptatione: quare vbi ea capacitas non datur, acceptatio nihil facit.

Quæ-

18. Quæſtionis demum eſt vtrum collatio Beneficij alicui facta quando erat excommunicatus, aut alia cenſura ligatus, per abſolutionem a cenſura validetur; an contra opus ſit poſt abſolutionem alia collatione? Hanc difficultatem, in qua ſunt diuiſi Doctores, latè tractat Sanc. *De matrim: l.* 8. *diſp.* 7. *n.* 12 *& ſeq.* Caſtrop. *De cenſ. diſp.* 2. *pun.* 10. *n:* 21. alijque ab ipſis citati. Sententia autem reliquis probabilior ea videtur, quæ docet prædictam collationem per ſolam abſolutionem a cenſura regulariter non validari, ſed ſicut ſi matrimo nium contrahatur a perſona inhabili, per ſolam ablationem impedimenti dirimentis non validatur prior ille contractus, ſed debet iterum contractus celebrari; ita pariter per ſolam abſolutionem a cenſura prior collatio Beneficij, quæ nulla fuit ipſo iure, non conualeſcit, ſed opus eſt eam iterum fieri, quod eſt exemplum allatum a Suar. *De cenſ. diſp.* 13. *ſect.* 1. *n.* 29. Videri poteſt idē Sanch. in loco cit. vbi aliquas pro hac re limitationes adducit.

19. Hactenus dicta de inualiditate electionis excommunicati, aut alia cenſura ligati ad Beneficia, Dignitateſque Eccleſiaſticas, limitationem patiuntur quoad electionem Summi Pontific s, quæ nullatenus inualidatur per vllam

cenſuram, qua antecedenter ad electionem innodatus electus exiſteret, vt colligitur ex *c. Licet 6. de elect.* vbi dicitur electus a duabus partibus Cardinalium, abſque vlla exceptione pro legitimo Pontifice habendus, & expreſſius in conſt. Greg. XV. *Æterni Patris §. Volumus etiam*, vbi decernitur nullius cenſuræ prætextu Cardinales excludi poſſe ab electione actiua & paſſiua, quod ſtatutum fuit ad tollenda pericula fraudum aut ſchiſmatum, quæ ſequi poſſent, ſi eius generis exceptionibus locus eſſet.

20. Alterum, per quod ſupra dictum eſt conſtitui idoneitatem Clerici ad Beneficia, eſt litterarum ſcientia, quæ ex Innoc. in *c. Cum in cunctis De elect.* diſtinguitur in eminentem, mediocrem, & eam quæ ſufficit tanquam idonea: ex quibus & ſi eminens deſideranda ſit in Beneficiarijs omnibus, attamē etiā competens toleratur, quia imperfectum ſcientię poteſt ſupplere perfectio Charitatis, *c. Niſi cum pridem* 10. *De renunc.* Quod præſertim locum habet in ijs Beneficiorum generibus, quæ officium habent annexum, pro quo non ita eminens ſcientia necceſſaria eſt. In hac enim re eſt generalis regula, eam litterarum peritiam idoneam cenſendàm eſſe & ad Beneficia neceſſariam, quæ neceſſaria eſt ad exercendum officium Beneficijs

ſicijs annexum, cum Beneficium detur propter officium *c. fin. De reſcr. in 6.*

21. Inde ſit promouendum ad Epiſcopatum aliaſue Superiores Prælaturas, cum aſſumatur in Paſtorem Populorum, talis doctrinæ eſſe debere, vt potens ſit exhortari alios in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere, vt pręcipit Apoſtolus in Epiſt. ad Titum cap. 1. Ex eadem quoque ratione præſcriptum eſt a Trid. *ſeſſ. 22. de refor. c. 2.* vt antea in Vniuerſitate Studiorum Magiſter ſiue Doctor, aut Licentiatus in ſacra Theologia vel Iure Canonico merito ſit promotus, aut publico alicuius Academię teſtimonio idoneus ad alios docendos oſtendatur. Quod ſi Regularis fuerit, a Superioribus ſuæ Religionis ſimilem fidem habeat.

22. Idem gradus Doctoratus aut Licentiaturæ in Sacra Theologia, aut Iure Canonico requiritur pro Canonico Pœnitentiario Eccleſiæ Cathedralis, ex præſcripto eiuſdem Trid. *Seſs. 24 De refor. c. 8.* & pro Archidiacono, ead. *ſeſs. 24 De refor. c. 12.* Demum in *ſeſs. 23. De refor. c. 18. verſ. de cętero* vniuerſaliter pręcipitur, vt Officia, vel dignitates illæ, quæ ſcholaſteriæ dicuntur, non niſi Doctoribus, vel Magiſtris, aut licentiatis in ſacra Pagina, aut in Iure Canonico, & aliàs perſonis idoneis, &

 qui

qui per ſe ipſos id munus explere poſsit, conferantur, & aliter facta prouiſio nulla ſit, & inualida.

23. Non diſſimili ratione determinatur pro alijs Beneficiorum generibus quanta, & qualis ſcientia neceſſaria ſit, habito ſcilicet reſpectu ad Officium in quo fundata ſunt. Quotquot igitur Beneficia iurisdictionem habent annexam, cauſarumque iudicium, hominem exigunt in vtroque iure peritum, vt legitimum cauſis finem, iuſtamque ſententiam imponere valeat, vt tradit Menoch. *De arbitr. caſu* 425. *n.* 42. & Gonz. ad *reg.* 8. *Cancellar. gloſ.* 4. *n.* 68. Quod attinet ad Beneficia omnino ſimplicia, vel annexum habent aliquem Sacrum Ordinem, puta Presbiteratum, aut Diaconatum, vel Subdiaconatum, vt ſunt Canonicatus Cathedralis Eccleſiæ ex præſcripto Trid. *ſeſ.* 24. *de refor. c.* 12. vel nullum eiuſmodi Sacrum Ordinem annexum habent, ſed tantummodo horarum Canonicarum recitationi deſtinantur. Primi generis Beneficia eam ſcientiam poſtulant, quę pro talibus Ordinibus ſuſcipiendis neceſſaria eſt, quæ qualis ſit videri poteſt in Trid. *ſeſ.* 23. *de refor. c* 4. 11. 13. *&* 14. quibus adde *c.* 12. *De refor. Seſ.* 24. vbi Sacrum Concilium hortatur vt in Prouincijs, vbi id commode fieri poteſt, Dignitates omnes

&

& ſaltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus Eccleſijs, & Collegiatis inſignibus, conferantur tantum magiſtris, vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel Iure Canonico. Ad alterius autem generis Beneficia ea ſcientia per ſe neceſſaria eſt, quæ ad Horarum Canonicarum recitationem exigitur, puta vt ſciat latine legere, & intelligere, &c. vt tradit expreſſe Flaminius Pariſius *De reſignat. lib.* 4. *q. vlt. n.* 30. Gonz. in cit. *gloſs.* 4. *n* 73. Garz. *de Benef. p.* 7. *c.* 7. *n.* 8. & Azor. *par.* 2. *lib.* 6. *c.* 6. *q.* 2. & 3.

24. Quæſtionis eſt vtrum Collatio Beneficij facta illitterato ſit ipſo iure irrita? In hac re conueniunt Doctores, eſſe ipſo iure irritam ſi fiat penitus illitterato, puta qui legere, & ſcribere latine neſciat, vt ſumitur ex *c. Illitteratos* 2. *diſt.* 36. Si autem collatio fiat ei, qui aliquam ſcientiam habeat, vnde non ſit penitus inhabilis ad ſuum Officium peragendum, irritam ipſo iure non eſſe, ſed irritari debere, Authores aliqui docuerunt, quos citat, & ſequitur Caſtrop. *tract.* 13. *de Beneficijs diſp.* 4. *pun.* 6. *n.* 8. quibus etiam adhæret Leſs. *lib.* 2. *de Iuſtit. c.* 34. *dub.* 24. in fine, cum limitatione, niſi qui ita ad Beneficium promotus eſt, breui putaretur habiturus ſcientiam ſufficientem.

25. Tertium quo dictum eſt Clericorum idoneitatem ad Beneficia conſtitui, legitima ætas eſt, quæ pro diuerſis Beneficiorum generibus diuerſa requiritur. Ad Epiſcopatum enim opus eſt ætate 30. annorum completorum, vt præſcribitur in *cap. Cum in cunctis 7. de elect.* Ad dignitates Epiſcopatu inferiores, puta Decanatum, Archidiaconatum, aliaque quæ curam Animarum annexam habeant, neceſſe eſt ſaltem vigeſimum quintum ætatis annum attigiſſe, ex eod. *c. Cum in cunctis* §. *Inferiora*, & Trid. *ſeſs. 24. de refor. c.* 12. Pro reliquis dignitatibus, vel Perſonatibus, quibus nulla Animarum curæ ſubeſt, ſatis eſt viginti duobus annis non eſſe minorem, ex eod. *c.* 12. *Trid.* Beneficia demum ſimplicia, etiam ea quæ olim poſt ſeptimum ætatis annum conferri pueris poterant, vt tradit Syluester. *v. Ætas q.* 1. de iure recentiori ſtatuto à Trid. *ſeſs.* 23. *de refor. c.* 6. obtineri non poſſunt ante annum decimum quartum; præterquam quod ſi Beneficia eius generis ſint quæ annexum habeant aliquem Ordinem Sacrum, quales dictum eſt ſupra eſſe Canonicatus Eccleſiæ Cathedralis ex ſtatuto Trid. *ſeſs.* 24. *de refor. cap.* 12. pro ijs ætas illa requiritur, quæ ſatis eſt, vt intra annum poſſit Beneficiarius eo Ordine initiari: quemadmodum, & ſi

ali-

alicui Præbendæ ſit annexum munus Pœnitentiarij in Eccleſia Cathedrali, ætas exigitur ad id muneris requiſita, nempe annorum quadraginta, ex Trid. *ſeſſ. 24. de refor. c. 8.*

26. Præter hactenus dicta, alia quoque in promouendis ad Beneficia requiruntur ex præſcripto Sacrorum Canonum, vt eorum promotio ſit legitima. *Opus* enim eſt, eos eſſe ex legitimo matrimonio natos, aliàs ad Beneficia, ſicut & ad Ordines ſunt inhabiles, & irregulares, ex *c. Innotuit 20. de elect. c. Litteras 14. de filijs Presb. totoque eod. tit. in 6.* ſiue nati ſint ex parentibus non ſolum non coniugatis, ſed etiam tunc inhabilibus ad matrimonium inter ſe contrahendum, quales ſunt qui concipiuntur ex adulterio, in quo caſu appellantur Spurij, ſiue ſint nati ex parentibus tunc cæteroquin habilibus ad Matrimonium, in quo caſu generale nomen retinent illegitimorum.

27. Id tamen diſcriminis pro re præſenti inter ipſos eſt, quod filij illegitimi, qui ex parentibus ad matrimonium tunc habilibus nati ſunt, per ſubſequens matrimonium legitimantur, adeoque per idem redduntur habiles ad Ordines, & Beneficia, perinde ac ſi conſtante matrimonio nati eſſent; ſecus autem Spurij, qui ſemper ſpurij remanent, a-

deoque ſemper ad Ordines, & Beneficia ſunt inhabiles, etiamſi poſtea contingat ceſſante impedimento ipſorum parentes legitimo matrimonio copulari, vt expreſſe decernitur in c. *Tanta 6. Qui filij ſint legitimi*. Ratio diſparitatis eſt: quia beneficium legitimationis per ſubſequens matrimonium habetur ex conceſſione legis quodammodo fingentis, & retrotrahentis celebrationem matrimonij ad tempus in quo filius conceptus, aut natus eſt: fictio autem Iuris, & retrotractio non procedit, vbi non datur capacitas, & habilitas in termino fictionis, & retrotractionis, quia ſuper impoſſibili lex fictionem non admittit, vt pluribus confirmat Panor. in *c. 1. De conuerſ. infidel. n. 10.* & Bart. in *l. Si is qui pro Emptore ff. de Vſucap.*

28. Quod tamen dictum eſt habentes defectum natalium promoueri ad Beneficia non poſſe, non ita obtinet ex inſolubili neceſſitate, vt in nullo vnquam caſu poſſit cum illis rationabiliter diſpenſari, ſiue à Summo Pontifice cuius authoritas neceſſaria eſt, vt Illegitimus Beneficio curato potiatur, aut Dignitate, aut Perſonatu, ex *c. fin. de filijs Presb.* ſiue ab Epiſcopo, cuius diſpenſatio ſatis eſt pro ſimplicibus Beneficijs, ſicut & pro minoribus Ordinibus ſuſcipiendis, ex *c. 1. eod. in 6.*, ſi cæteroquin

Be-

Beneficia talis generis non ſint, quæ limites excedant diſpenſationis Epiſcopalis, qualia ſunt, quę vel ſecundùm ius commune, vel ſecundùm conſuetudinem Curiæ, vel ſecundùm ſtatutum Eccleſiæ particularis iuratum, aut à Sede Apoſtolica confirmatum negantur ſpeciali ratione illegitimis: ſub quo genere reperitur Beneficium quodlibet in ea Eccleſia, in qua Pater illegitimi eſt, aut fuit Beneficiatus, de quo expreſſe cauetur in Trid. *ſeſſ.* 25. *de refor. c.* 15. vbi ius antiquum immutatur, à quo non erat ſpeciali ratione prohibitum, Illegitimum in ea Eccleſia Beneficium ſaltem diſſimile accipere, in qua Pater de præterito Beneficiarius fuit, quę mutatio non procedit circa natos ex legitimo matrimonio, adeoque in his ſeruandum eſt Ius antiquum expreſſum in *c. Ad extirpandas* 11. *c. Dilectus* 17. & *c. Ex tranſmiſſa* 7. *de filijs Presb.* vt ſcilicet prohibeantur tantummodo immediate ſuccedere Patribus ſuis in Beneficio ad vitandam imaginem ſucceſſionis hæreditariæ; at mediate ſuccedere permittantur, vt pluries fuiſſe deciſum refert Barb. *de off. & poteſt. Epiſc. p.* 3. *alleg.* 65. *n.* 16.

29. Alterum etiam quod requiritur ad legitimã Beneficiorũ collationem eſt ex ſupradictis cęlibatus & Clericatus, vnde ſi quis Clericus in minoribus Ordinibus

conſtitutus matrimonium contrahat, eo ipſo Beneficium amittit, quod habebat, vt dictum eſt *tit.* 10. *n* 2. Sed & pro quibuſdam Dignitatum, ſeu Beneficiorum generibus certus aliquis Ordo prærequiritur, vt patet ex *c. Nullus* 1. *&* 2. *diſt.* 60. & ex Trid. *ſeſs.* 22. *de refor. c.* 2. vbi Dignitates aliquæ numerãtur quibus Sacer Ordo Sacerdotij, aut Diaconatus præmitti debet, & pro Epiſcopatu decernitur, vt Ordo Sacer acceptus ſit ante ſex menſes.

30. Hæc dicta procedunt quoad Ordinem in Beneficiorum collatione prærequiſitum. Cæterum pluribus Beneficiorum generibus, illud etiam ſpeciale eſt, vt vlteriorem aliquem Ordinem exigant ſi non antecedenter acceptum, ſaltem poſtea intra terminum certi temporis accipiendum. Sic ad Epiſcopatum aſſumptus tenetur intra tres menſes munus Epiſcopalis Conſecrationis accipere, ex Trid. *ſeſs.* 23 *de refor cap.* 2. Adepti Eccleſiam Parochialem tenentur intra annum ad Sacerdotium promoueri; *c. Commiſſa* 35. *de elect. in* 6. Aſſecuti Dignitates, Perſonatus, aut alia Beneficia, quibus annexa ſint aliqua munia, obligantur etiam intra annum ad ſuſcipiendum Ordinem ei muneri conuenientem, Trid. *ſeſs.* 22. *de reform. c.* 4. Adepti demum Canonicatus Ca-

the-

thedralis Eccleſiæ, quibus ex ſtatuto Trid. *ſeſs. 24. de refor. c. 12.* annexus eſſe debet aliquis Ordo Sacer, tenentur intra annum ad Sacrum Ordinem promoueri.

31. Demum generaliter illud pro legitima Beneficiorum cōceſſione attendendum eſt, ne vlli conferantur, qui quomodolibet arceatur à Sacro Miniſterio ratione alicuius irregularitatis, aut infamiæ, vtcumque contractæ, ex quo capite non ſolum hæretici, illorumque fautores, ſed etiam eorum filij à Beneficijs excluduntur vſque ad ſecundam generationem incluſiue in linea paterna, ad primam autem dumtaxat in linea materna, ſuppoſito quod hæretici ipſorum parentes ante mortem pœnitentes non fuerint, ex *c. Statutum 15. de hæreticis in 6.*

TIT. XIII.

De libera collatione Beneficiorum quoad Summum Pontificem.

1. ABſolutis ijs quę pertinent ad qualitates promouendorum, conſequens eſt vt ad promouentes tractatio dirigatur, ſiue ſint promouentes omnino liberi in determinanda perſone promouenda, de quibus primò ſermo erit, ſiue dependeant à pręſentatio-

ne Patroni, de quibus poſtea tractabitur.

2. Facultatem omnium Beneficiorum liberè collatiuam, etiam illorum, quæ cæteroquin ſiue de Iure ſcripto, ſiue de priuilegio, ſiue de legitima conſuetudine conferri poſſunt ab inferiori Collatore, pleniſſimè competere Summo Pontifici, manifeſtiſſimi Iuris eſt, ex *c. 2. de præben. in 6.* Si quid enim eiuſmodi facultatis alicui conceſſum ſit, id reſpectu Pontificis non priuatiuè, ſed cumulatiue, & conſeruata Pontifici maiori poteſtate, conceſſum dicendum eſt, vt habetur ex *c. dudum* 14. *eod. in* 6. Inde fit, ſi contingat vnum idemque Beneficium tum à Pontifice, tum ab inferiori Collatore conferri, præualere collationem à Pontifice factam, ex eod. *c. dudum.* niſi tamen Inferioris collatio legitimis documentis anterior fuiſſe demonſtretur, in quo caſu præualet ius Inferioris, vt expreſſe deciditur in *c. ſi à Sede* 31. *eod. in* 6. cum in ea cauſa potior ſit conditio poſſidentis, *reg.* 65. *de reg. iur. in* 6 In praxi tamen Summus Pontifex rarò vtitur eo iure præuentionis ſiue concurſus, vt vitetur confuſio.

3. Sed & præter eam liberæ facultatis vniuerſalitatem, aliqua ſunt Beneficiorum genera, quorum collatio priuatiue pendet à poteſtate Pontificis: ſiue ratione deuolutionis, quando ſcilicet

ius

ius, & poteſtas tota conferendorum Beneficiorum, ob negligentiam, vel delictum inferiorum Ordinariorum deuoluta eſt ad Pontificem: ſiue ratione affectionis, quando videlicet Summus Pontifex ſuam Iuriſdictionem exercere cœpit ſuper aliquo Beneficio ad effectum illud conferendi, in quo caſu inferior Ordinarius, cui cæteroquin facultas illius conferendi competeret, manus in illud immittere prohibetur: ſiue demum ratione reſeruationis ſuper aliquibus dignitatibus, ſeu Beneficijs de iure Canonico ſtatutæ, vt eorum conferendorum facultas cuilibet alteri Ordinario ſtabiliter, & perpetuo ſit negata, tum pro maieſtate Sedis Apoſtolicæ, tum etiam pro maiori vnione, & communicatione ſeruanda particularium Eccleſiarum toto Orbe exiſtentium cum Eccleſia Romana.

4. In particulari autem Beneficia Summo Pontifici reſeruata cenſentur primò quæ in Curia ſiue apud Sedem Apoſtolicam vacare contingat, iuxta textum expreſſum in *c licet 2. de præben. in 6.*, quod declaratur in *c.præſenti 34. eod.in 6* itaut intelligendum ſit de omnibus ijs Beneficijs, quæ venientes ad Rom. Curiam, vel etiam recedentes ab ipſa obtinere noſcuntur, ſi eos mori contingat in loco, vbi eſt Curia, vel in lo-

cis

cis vicinis, hoc eſt intra duas dietas legales, ſeu intra 40. milliaria, vt ibidem explicat gloſ. *v. legales* ex *l. Vicena millia 1. ff. ſi quis cautionib.* Idem iuris ſeruandum eſſe ſi quis illorum moriatur in loco, vbi tranſeunter etiam abſque ſua Cancellaria, & Audientia eſt Rom. Pontifex, expreſſe decernitur in Conſtit. 54. Clementis VIII. vbi declaratur in caſu abſentiæ Pontificis ab Vrbe, tum locum vbi ipſe moratur, tum Romanam Vrbem pro vna, & eadem Curia cenſendam eſſe quoad Beneficia, quæ ſiue in dicta Vrbe, ſiue in Ciuitate ad quam Papa ſe contulit, vacare contingat.

5. Quamuis autem huius reſeruationis decretum temperatum olim fuerit in *c. ſtatutum 3. de præb. in 6.* vt ea reſeruatio locorum haberet intra menſem à die vacationis, quo menſe tranſacto, ſi Pontifex non prouidiſſet, poſſent ij ad quos de iure ordinario prouiſio pertinebat, prouidere; attamen hoc ipſum temperamentum eſſe nunc reuocatum per *extrau. piæ ſollicitudinis* 1. aut per *extrau. ad regimen* 13. *de præb. inter comm.* adeoque etiam menſe tranſacto manere reſeruata Pontifici Beneficia, quæ in Curia vacaueru nt, tradunt Gonz. *De menſib. & alternatiuis* §. 5. *proœm. a n.* 148. Garz. *de beneficijs p. 5. cap* 1. §. 1. *à n.* 98. Caſtrop. *tract.* 13. *de benef. diſp.* 2. *pun.* 16. *n.* 5.

n 5. vbi teſtatur hanc eſſe conſuetudinem, & ſtylum Curiæ.

6. Excipienda tamen ſunt ab hac generali regula Beneficiorum in Curia vacantium nonnulla, quæ etſi in Curia vacare contingat, non propterea cenſentur Pontifici reſeruata. Huius excepti generis ſunt Beneficia Iuriſpatronatus laicalis, vt tradit Gloſ. in *c licet* 2. *de prab. in* 6. *v. collatio* quia illis non ſolet Papa facile derogare, vt colligitur, ex *reg.* 42 *cancellariæ* Item Beneficia regularia, ex eadem gloſ. ibid. Item Beneficia parochialia vacantia Sede vacante, ne ipſorum vacatio diutina periculum valeat animabus afferre; imò ex eadem ratione, & vacantia viuente Pontifice, ſi de ipſis per eum ante ipſius obitum non fuerit ordinatum, ex textu expreſſo in *c. ſi. Apoſtolica* 35. *eod in* 6. quam exceptionem pro eadem circumſtantia locum habere etiam in ijſdem parochialibus Beneficijs ex alio quolibet capite reſeruatis, quamuis non in deuolutis, tradiderunt Gonz. *de menſib. & alternat.* §. 5. *prœm. à n.* 138. & Garz. *de ben. p.* 5. §. 1. *n.* 104. Demum eiuſdem generis excepti ſunt illorum Beneficia, qui in loco, vbi degit Curia, originem, ſeu domicilium habentes moriuntur, itaut ibidem non morarentur occaſione Curię, & Curiales non eſſent, vt habetur expreſ-

ſe

ſe in *c. præſenti eod. 34. eod. in 6.*

7. Secundò aliæ plures reſeruationum ſpecies continentur in regulis Cancellariæ, quas ſinguli Pontifices initio Pontificatus ſui edere ſolent, in quas fuſe ſcripſerunt Mandoſius, Gonzal. Ioann. à Chokier, Garz. *p. 5. de beneficijs.* Caſtrop. in *tract. 13. de benefic. diſp. 2. pun. 17 & ſeqq.* eas explicat, quæ pertinent ad reſeruationem Beneficiorum, quas etiam attingit Azor. *p. 2. lib. 6. cap. 34* Nobis ſtudio breuitatis ſatis ſit, eaſdem regulas reſeruatorias breuiter indicaſſe, prout illas edidit SS. D. N. Innocentius XII.

8. In prima regulâ reſeruantur ea omnia Beneficia, quæ olim reſeruata fuerant in *extrau. ad regimen 13. & in extrau. execrabilis 4. de præb. inter comm.*; quibus additur in regula reſeruationem procedere quoad Beneficia Officialium Sedis Apoſtolicæ, quamuis tempore obitus Officiales eſſe deſierint, & quamuis Beneficia aſſecuti non fuerint tempore officij, ſed poſt dimiſſum Officium, & quandocumque. Extenditur quoque ibidem reſeruatio ad Beneficia tam obtenta, quam alia quæcumque, de quibus Ordinarij alijque Collatores contra decreta, & formam Concilij Tridentini diſpoſuerint, & in futurum diſponent

9. In ſecunda regula reſeruantur genera-

neratim omnes Eccleſiæ Patriarchales, Primatiales, Archiepiſcopales, Epiſcopales, necnon Monaſteria omnia Virorum, valorem annuum ducentorum florenorum auri excedentia, qui exceſſus debet in litteris exprimi. Vbi ea virorum Monaſteria intelligenda eſſe, quæ vel Monachis ſunt deſtituta, vel commendari ſolita, tradit Mandoſius. Item Beneficia omnia ad quorumcumque Collatorum, & Collatricum diſpoſitionem quamcumque (non tamen ad collationem cum alio, vel alijs, aut etiam ad alterius præſentationem, vel electionem) pertinentia, quæ poſt illorum obitũ, aut poſt Eccleſiarum, ſeu Dignitatum dimiſſionem, ſiue amiſſioné, vſque ad prouiſioné authoritate Apoſtolica faciendam, & adeptam à Succeſſore pacificam poſſeſſioné, vacare contingat.

10. In tertia regula decernitur, vt ſi alicui Beneficium pręſertim Curatum, aut perſonalem reſidentiam requirens prouideatur ab Apoſtolica Sede, nulla facta mentione alterius Beneficij incompatibilis, quod antecedenter habebat, idemque Beneficium incompatibile ille reſignet ſiue dimittat in manibus Sanctitatis Suæ, aut quorumlibet aliorum ante aſſecutionem Beneficij ita prouiſi, in fraudem Apoſtolicæ reſeruationis, vi cuius Beneficium incompatibile per aſſe-

ſecutionem, & poſſeſſionem ſecundi ipſo iure vacat, & eſt reſeruatum Summo Pontifici per cit. *extrau. execrabilis*; in eo caſu tum Beneficium prouiſum, tum Beneficium reſignatum vacare cenſeatur ac reſeruatum ſit Summo Pontifici.

11. In quarta regula reſeruantur generaliter Dignitates maiores poſt Pontificales in Cathedralibus Metropolitanis, Patriarchalibus. Item principales Dignitates in Collegiatis communi ęſtimatione excedentes valorem 10. florenorum auri. Item Prioratus, Præpoſituræ & aliæ Dignitates conuentuales (perpetuæ, vt explicat Mand.) ac præceptorię generales Ordinũ quorumcumq; (quarũ electio non fit à Religioſis ſimul cõgregatis, vt ex pluribus explicat Caſtrop. *p. 2. tract. 13. de beneficijs diſp. 2 pun. 19. n 6.*) non tamen Ordinũ Militarium. Demum quęcumque Beneficia, quæ familiares, & Commenſales Cardinaliũ nunc viuentium, & qui erunt, imo, & ipſius Pontificis dum Cardinalis eſſet, durante familiaritate obtinebant, aut obtinent, aut obtinebunt, etiamſi ab ipſa familiaritate per obitum Cardinalium eorundem vel aliàs receſſerint.

12. Per quintam regulam reſeruantur generaliter omnia Beneficia Eccleſiaſtica, quæ Collectores, & Subcollectores fructuum Cameræ Apoſtolicæ debi-

bitorum, durante hoc eorum officio obtinebant, aut ad quæ ius habebant.

13. Per regulam ſextam reſeruantur Beneficia quorumcumque Curialium, quos dum Curia de loco ad locum tranſfertur, eam ſequendo, decedere contigerit in loco quouis, quantumcumque etiam à dicta Curia remoto.

14. In regula ſeptima reſeruantur Beneficia Cubiculariorum Summi Pontificis, etiam honoris nuncupatorum, & Curſorum ſuorum. Sub qua reſeruatione comprehenduntur etiam Cubicularij qui ſunt extra muros, & ita honoris cauſa nuncupati, vt declarat Mandoſius.

15. In regula octaua reſeruantur Canonicatus, Præbendæ, Dignitates, Perſonatus, & Officia in Eccleſijs S. Io: Lateranen. & S. Petri, ac B. Mariæ Maioris de Vrbe. Item Beneficia quæcumque ad collationem, vel quamuis aliam diſpoſitionem Cardinalium à Rom. Curia abſentium, ratione Epiſcopatuum ſuorum, vel Titulorum, ſiue Eccleſiarum Cardinalatus ſpectantia, tam in Vrbe, quam extra Vrbẽ, quamdiu abſen ia illorum durauerit, vacantia aut vacatura.

16. In regula nona reſeruantur Beneficia qualitercumque aliter quam per reſignationem vacantia in menſibus Apoſtolicis, videlicet Ianuarij, Februarij, Aprilis, Maij, Iulij, Auguſti, Octobris,

&

& Nouembris, relictis quatuor menſibus pro Ordinarijs, nempe Martio, Iunio, Septembri, Decembri: exceptis Cardinalibus, aut alijs ſub certis Concordatis comprehenſis. Simulque decernitur, vt in ſupplicationibus, ſeu conceſſionibus gratiarum, quæ de dictis Beneficijs tunc vacantibus etiam motu proprio fient, de menſe, in quo vacauerint diſpoſitiuè mentio fiat; alioquin gratiæ nullę ſint. Patriarchis tamen, Archiepiſcopis, & Epiſcopis perſonaliter in ſuis Eccleſijs reſidentibus conceditur petita alternatiua ſex menſium diſcretorum ad conferenda Beneficia, quæ ad liberam ipſorum dumtaxat, & ab alijs independentem diſpoſitionem pertinent: itaut ſcilicet Ianuarius pertineat ad Summum Pontificem, Februarius ad Epiſcopum, Martius ad Pontificem, Aprilis ad Epiſcopum, & ſic alternatiue quoad reliquos menſes. Super hanc regulam fuſè ſcripſit Hieronymus Gonz. in præclaro opere, quod inſcripſit ad regulam octauam Cancellariæ, quia hæc regula olim erat octaua, ſed poſtea per additionem eius, quæ modo tertia eſt, factam à Greg. XV. euaſit nona.

17. Fuſior harum omnium regularum explicatio peti poteſt à citatis Authoribus. Sunt, & quædam aliæ in ſpecialibus aliquorum Pontificum Conſtitutio-

tutionibus reſeruationes ſtatutæ, quæ videri poſſunt apud Caſtrop. in cit. diſp. 2. p. 24.

TIT. XIV.

De libera collatione Beneficiorum quoad inferiores collatores.

1. INfra Summum Pontificem primus Beneficiorum collator de Iure communi eſt Legatus Pontificius; non tamen omnis ſed ſolum Cardinalis qui Legatus a latere dicitur: Legati enim Nuncij, & Legati nati, quantumcumque plenam Legationem obtineant, ex ipſius legationis munere nullam habent conferendi Beneficia poteſtatem, niſi aliunde eis ſpecialiter committatur, ex *c. 1. De Off. Leg. in 6*. At Legatus a latere poteſtatem habet ad omnia Beneficia in ſua prouincia vacantia, quæ Ordinarius conferre poteſt, cumque concurrit, & datur locus præuentioni, eo proportionaliter modo, quo ſupra dictum eſt Papam concurrere cum Ordinario: quidquid ſit vtrum idē Legatus poſſit etiam ea Beneficia conferre, quæ vacare contingat in menſibus Ordinarij alternatiua gaudentis, de quo eſt quæſtio inter Authores, circa quam videri poteſt Garz. *p. 5. De Benef. cap. 3. a. n. 45.*

2. Ea Legati a Latere poteſtas extẽditur quoque ad ea ſuę Prouinciæ Beneficia, quæ ad Sedem Apoſtolicam ſint deuoluta, vt colligitur ex *c. Venerabilis* 37. *De Preb.* & tradit Gloſ. in *c. 1. de Off. Leg. in 6 v. ampliori*; quamuis non ad ea, quæ Sedi Apoſtolicę ſint reſeruata, vt tradit communis ſententia arg. *c. Quod translationem. 4. de Off. Leg.* Item extenditur ad Beneficia Iuriſpatronatus Eccleſiaſtici, quę conferre poteſt etiam abſque conſenſu Patroni, vt conſtat ex *c. Dilectus filius 6. eod.* & ex *c. Cum dilectus 28. De iurepatron.* Secus accidit in Beneficijs Iuriſpatronatus laici ex eod. *c. cum dilectus*, & iuxta probabiliorem ſententiam etiam in Beneficijs Iuriſpatronatus mixti: ſuppoſito tamen quod Iuſpatronatus Laico competat non ex præſcriptione vel priuilegio, ſed ex Eccleſiæ fundatione, ædificatione, vel dotatione, cui iuri difficile derogatur, ne laici auertantur a fundandis, ædificandis, vel dotandis Eccleſijs vt ex pluribus limitat Garz. *De Ben. p. 5. c. 3. n. 72.*

3. Infra Legatum a latere, alij quoque ſunt Ordinarij Beneficiorum Collatores, inter quos de iure communi primum locum obtinent Epiſcopi quoad Beneficia ſuę diœceſis non reſeruata *ic. Ex frequentibus 3. de Inſtitut. & c. Ordinarij 3. de off. Ordin. in 6.* Quidquid ſit

vtrum

vtrum ea Beneficia conferre poſſint non niſi cum conſenſu, aut conſilio Capituli, aut etiam non expectato tali conſenſu, vel conſilio, pro qua re eſt attendenda diuerſa locorum conſuetudo, ratione cuius poteſt etiam Beneficiorum collatio ad ſolum Capitulum pertinere, irrequiſito Epiſcopo, vt conſtat ex *c. Cum Eccleſia Vulterana* 31. *de elect.* aut ad alios inferiores, puta ad Abbates, aut Priores, ex *c. fin. de Inſtitut. & clem.* 1. *de Suppl. neglig. Prælator.*

4. Omnibus his Beneficiorum collatoribus, de quibus hactenus in hoc titulo dictum eſt, certæ ſunt leges pro legitima collatione ſancitæ. Primo enim conferre debent gratis, hoc eſt nullo accepto pretio, prœmio, ſeu mercede, *c. Si quis obiecerit.* 7. 1 *q.* 3 alijſque iuribus; alias Simonia committitur. *c. Saluator* 8. *ead. cau. & q.* & collatio inualidatur, *extrau.* 2. *De ſim inter comm.*

5. Item conferre debent abſque vlla conditione ſuſpenſiua, arg. *c. in electionibus* 2. *De elect. in* 6. iuncta ibi Gloſ. *v. incerta*, & ſine limitatione ad certum tempus, ſed in perpetuum, vt colligitur ex *c. Sanctorum* 2. *diſt.* 70. ac proinde Beneficiorum collatio eſt de genere actuum legitimorum, qui neque conditionem recipiunt neque diem *cap. Actus legitimi* 50. *de reg. Iur. in* 6.

Pre-

6. Præterea conferre tenentur integrè, & ſine diminutione, vndè ipſis non licet vni tradere Beneficium, & ſimul alteri fructus, aut penſionem reſeruare, vel vnum idemque Beneficium in duos Beneficiatos diuidere, vt conſtat ex *c. vnico. vt Eccleſiaſt. Benef. ſine diminut. conferantur.*

7. Item Beneficium nequit ab ipſis conferri quod de facto non vacet, ne Beneficiarius ita prouiſus de Beneficio vacaturo, ſumat occaſionem captandæ mortis alienæ, ex *c. 2. & 3. de conceſ. præb.* & recentius ex Trid *ſeſs. 24. de refor. c. 19.* vbi prohibentur conferri expectatiuæ ad Beneficia vacatura.

8. Demum in ead. *ſeſ. 24. de refor. c. 17.* generatim ſtatutũ eſt vt in poſterum vnum tantum Beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur. Quod ſi ad vitam eius, cui confertur, honeſte ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo vtrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri: hæcque non modo ad Cathedrales Eccleſias, ſed etiam ad alia omnia Beneficia, tam ſæcularia, quam regularia quæcumque etiam commendata pertineant, cuiuſcumque tituli ac qualitatis exiſtant. Quibus adde quę decernuntur in *c. 1. de conſuet. in 6.* vt videlicet nulli liceat, niſi vnicum

Per-

Perſonatum, vel dignitatem, aut Præpoſituram, ſiue adminiſtrationem, vel Officium perpetuum, quocumque nomine cenſeantur, cum præbenda inſimul abſque diſpenſatione in eadem Eccleſia obtinere, vel iam obtenta tenere. Quod ſi a quoquam ſecus præſumptum fuerit, irritum ſit omnino.

9. Ne autem vacantia Beneficia cum eorundem detrimento diu maneant in ſuſpenſo, prædictis collatoribus tempus ſex menſium indulgetur in c. 2. *De conceſs. preb.* quod incipit a die quo habita eſt notitia vacationis, ex c. *Quia diuerſitatem* 5. *eod.* intra quod ſi Beneficium prouidere negligenter omiſerint, priuantur pro ea vice poteſtate prouidendi, eademque poteſtas ad proximum eorum ſuperiorem deuoluitur, ex eod c. 2. *De conceſs. preb.* & c. *Ne pro defectu* 41. *De elect.* Niſi tamen Eccleſia aliqua Cathedralis, aut Regularis prouidenda ſit per electionem aliqnorum, pro quo caſu ſancitum eſt in cit. c. *Ne pro defectu*, ne vltra tres menſes electio differatur, intra quos ſi celebrata non fuerit, earum prouiſio deuoluitur non ad proximum ſuperiorem, vt olim permittebatur in eod. c. *Ne pro defectu*, ſed ad Summum Pontificem, vt tradit Laym. ibi *n.6.* ſecundum iura recentiora ſtatuta præſertim in *extrau. Ad regimen* 13. *de*

 preb.

præb.inter com. in regulis Cancellariæ, & in concordatis Germaniæ, vbi prouiſio talium Eccleſiarum, aut ſaltem confirmatio reſeruata eſt Summo Pontifici. Eundem quoque trium menſium terminum ſeruandum eſſe, vbi Eccleſiæ Collegiatæ prouideri debeat Prelatus habens ordinariam, & generalem iuriſdictionem in Clericos ſuæ Eccleſiæ tradit idem Laym.in cit *c.Ne pro defectu n.* 2. poſt Panor. ibid. *n.*5. & poſt Gloſ. in *c. Quia propter* 42. *De elect. v. Eccleſijs viduatis*.

TIT. XV.

De Inſtitutionibus, & Iurepatronatus.

1. DIctum eſt in precedentibus titulis de collationibus Beneficiorum procedentibus a libera voluntate Prelati: agendum modo eſt de ijs prouiſionibus, quæ fieri debent ad præſentationem Patroni, hoc eſt illius, qui in eijsdẽ Beneficijs ius obtinent patronatus, cuius generis prouiſiones proprio vocabulo Inſtitutiones dicuntur, quique ita Beneficium a Prælato conſequitur, dicitur inſtitui.

2. Eſt autem Iuſpatronatus poteſtas præſentandi inſtituendum ad Beneficium vacans, vt explicant communiter Docto-

Doctores poſt Hoſt. in Summa *De Iurepatronatus*. Nomine præſentationis hic intelligitur legitima exhibitio perſonæ per Patronum facta Epiſcopo, vel alteri ad quem Inſtitutio pertinet, vt eidem perſonæ de Beneficio vacante prouideat. Tale ius ſiue poteſtas præſentandi, cum ſit ordinata ad inſtitutionem Beneficiarij, eſt ſpirituali annexa; vnde fit ipſam per ſe abſque labe ſimoniaca vendi non poſſe, ex *c. De Iure 16. de iurepatronatus*. Hoc tamen non obſtante conuenire ipſam poſſe etiam laicis Canonica æquitas ſtatuit in quandam oſtenſionem gratitudinis.

3. Sciendum enim eſt, Iuſpatronatus non aliter acquiri in aliqua Eccleſia, Beneficio, aut Cappella, quam ipſam de nouo fundando, & conſtruendo, aut iam erectam, quæ tamen ſine ſufficienti dote fuerit, de ſuis proprijs bonis competenter dotando, vt decernitur à Trid. *ſeſs. 14. de refor. c. 12.* cui conſonat apud Gloſ. in *c. Piæ mentis 26. 16. q. 7.* verſus ille: *Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus*; dummodo tamen Diœceſani aſſenſus interueniat, ſine quo Eccleſiam ædificans, Iuſpatronatus non acquirit, ex *c. Nobis 25. de iure patronatus*. Quidquid ſit vtrum olim etiam aliter acquiri potuerit, quod nunc non procedit poſt illud decretum Tridentini quodlibet

aliud Iuſpatronatus abrogantis, exceptis tantummodo patronatibus ſuper Cathedralibus Eccleſijs competentibus, & exceptis alijs, quæ ad Imperatorem, & Reges, ſeu regna poſſidentes, alioſque ſublimes, ac ſupremos Principes iura Imperij in dominijs ſuis habentes, pertinent, & quæ in fauorem ſtudiorum generalium conceſſa ſunt, prout excipiuntur ab eod. Trid. *ſeſſ. 25. de refor. cap. 9.*

4. Inde fit Iuſpatronatus diuidi in laicum, Eccleſiaſticum, & mixtum. Laicum eſt quod alicui competit ratione proprij patrimonij, ex cuius bonis Eccleſiam fundauerit, & conſtruxerit, ſeu eandem indotatam ſufficienter dotauerit. Eccleſiaſticum dicitur, quod ex bonis Eccleſiæ comparatum eſt, vel alicui competit ratione Eccleſiæ, ſeu quod Eccleſiæ, aut alteri pio loco donatum ſit à laico. Mixtum denique eſt, quod partim ratione patrimonij, partim ratione Eccleſiæ competit, ſeu quod ex Patronis Eccleſiaſticis, & laicis coaleſcit.

5. Multiplex autem ius in Iurepatronatus includitur in fauorem Patroni, quod explicatur ijs verſibus apud Gloſ. *in c. Nobis 25. de iurepatr. Patrono debetur honor, onus, vtilitaſque: Præſens vt præſit, defendat, alatur egenus.* Senſus eſt, Patrono deberi præcipuum in Eccleſia lo-

locum, ipſum habere onus, ſeu officium protegendi Eccleſiam eiuſque bona, tuendi, habere ius præſentandi ad Beneficium vacans, demum ſi forte ipſe, aut eius filij ad ſummam inopiam, & egeſtatem peruenerint, debere ſubleuari, ac ſuſtentari ex bonis Eccleſiæ à ſe fundatę, vt conſtat ex eod. *c. Nobis*.

6. Quod attinet ad actum pręſentandi, qui inter numerata potiſſimum attenditur, non ita conceſſus eſt Patrono, vt nullis limitibus per Sacros Canones ſit circumſcriptus. Primo enim fieri debet intra certum tempus ab eodem iure conceſſum, ne videlicet Beneficia diu maneant Rectore deſtituta, quemadmodum ſupra dicebatur, vbi de tempore ad conferenda Beneficia inferioribus Ordinarijs conceſſo ſermo fuit; quod pariformiter procedit tum in Eccleſiaſtico, tum in laico Patrono: cum eo tamen inter vtrumque diſcrimine, quod Eccleſiaſtico tempus ſex menſium incipiens a die notitię vacationis Beneficij; at Laico tempus quadrimeſtre concedatur ad pręſentandum, ex *c. vnico de Iurepatron. in 6.* itaut ſi vterque Patronus intra legitimum illud tempus neminem negligenter pręſentauerit, deuoluatur collatio Beneficij ad illum Superiorem, ad quem Inſtitutio pertineret. Idem iuris eſt, ſi circa idem Beneficium

ſint plures Patroni, & intra prędictum tempus legitimum de perſona inſtituenda non concordauerint, nec poſſit ſine ſcandalo inſtitui, quem maior numerus Patronorum, repugnantibus alijs, præſentet: in tali enim caſu debet Prælatus Eccleſiam ordinare, ſicut melius eam ſecundum Deum iudicauerit ordinandam; & id ipſum facere deberet, ſi de Iurepatronatus eſſet lis inter aliquos, & cui competat, intra quatuor menſes non fuerit definitum, ex *c. Quoniam 3. de Iurepatr.*

7. Iſta temporis inæqualitas inter Eccleſiaſticum, & Laicum Patronum ad prę́ſentandum, fundamentum habet in alio inter vtrumque Patronum diſcrimine, quod Patronus Eccleſiaſticus poſtquam aliquem idoneum præſentauit, non poteſt etiam intra ſuum tempus legitimum alium præſentare, ex *c. Cum autem 24. & c. Paſtoralis 29. eod. tit.*; ſecus autem Patronus laicus, cui non prę́ſumuntur ita cogniti mores Clericorum: æquum igitur fuit hanc Iuris diuerſitatem in Eccleſiaſtico Patrono compenſare per longioris temporis conceſſionē.

8. Secundò fieri debet præſentatio de perſona, quæ Officio ſit idonea, & non incapax inſtitutionis, vt colligitur ex *c. Significaſti 18. eod. & c. Cum vos 4. de off. Ordinar.* Si ſecus fiat, & vſque ad

vlti-

vltimum terminum temporis ad præſentandum conceſſi, perſiſtatur in præſentatione indigni, poterit Superior libere conferre Beneficium perſonæ idoneæ cui iudicauerit, tamquam ſi toto tempore legitimo nulla præſentatio facta eſſet, quia perinde eſt inidoneum pręſentare, ac nullum, vt colligitur ex *c.* 2. *de tranſlat. Epiſc.*, & ex *c. Tuæ* 12. *de Cler. non reſid.* Vtrum autem in eodem caſu pręſentationis indigni ſcienter factę, priuetur etiam Patronus pro ea vice poteſtate pręſentandi, & vtrum hac in re fieri debeat aliqua diſtinctio inter Eccleſiaſticum, & Laicum Patronum, eſt quæſtio à Canoniſtis agitata, & varie à varijs reſoluta, vt videre eſt apud Panor. in cit. *c. Cum vos n.* 5., alioſque ab ipſo relatos.

9. Sed neque poteſt Patronus præſentare ſe ipſum, ex *c. Per noſtras* 26. *de Iurepatron.* vbi dicitur, nullum ſe poſſe ad perſonatum alicuius Eccleſię pręſentare, quantumcumque idoneus ſit, & quibuſcumque ſtudijs, & meritis adiuuetur. Quęſitum etiam fuit vtrum Pater poſſit filium aliàs idoneum pręſentare, ſumpta ratione dubitandi ex eo quod in iure Pater, & filius cenſeantur quaſi vna perſona, ex *l. vlt. C. de Impuber. & alijs ſubſtitut.*, adeoque pręſentans filium videretur quaſi pręſentare

ſe ipſum. Hoc tamen non obſtante, poſt Gloſ. in *c. Conſuluit 15 de Iurepatron. v. propria authoritate*, & in *c. Quia Clerici 6. eod. v. filij*, docent paſſim Authores poſſe filium à Patre pręſentari: Pater enim, & filius cenſentur vna perſona, non re ipſa, ſed per iuris fictionem; vnde fit, vbi Ius illos pro eadem perſona non habet, eſſe reputandos vt realiter ſunt, hoc eſt tamquam duas perſonas, & ita in re pręſenti contingit, vt docet Abb. Panor. in cit. *cap. Conſuluit n. 3.*

10. Quæſtionis eſt vtrum Patronus ex duobus aut pluribus eiuſdem loci, aut familię dignis teneatur pręſentare digniorem? Hac de re fusè agit Cęſar Lambertin. *De Iurepatronat. par.1. lib.2. q.10. art. 3.*, vbi videri poteſt. Videatur etiam Azor. *par. 2. lib. 6. c. 21. q. 5.* Caſtrop. *par. 2. tract. 13. diſp. 2. pun. 11. n.* 10. alijque ab ipſis citati.

11. Poſt pręſentationem a Patrono factam ſequitur Inſtitutio, quę de iure communi pertinet ad Epiſcopos, vt poſt antiquiora Iura decernit Synodus Trident. *ſeſs. 14. de refor. cap.* 12. quamuis nonnumquam poſſit ad inferiores pertinere, in quo caſu inſtituendus examinari prius debet ab Epiſcopo: alioquin Inſtitutio ab inferioribus facta irrita eſt, & inanis, ex eod. Trid. *ſeſs.*

25 *de refor. c.* 9. Inſtitui autem debet illa perſona, quę fuerit pręſentata, dummodo ſit idonea, itaut ſi Epiſcopus illam negligat, & abſque cauſa legitima Beneficium alteri pro ſuo libito conferat ſine Patrono, ea collatio irritanda ſit, vt tradit Hoſt. teſte Lambert. *lib.* 2. *de Iurepatr. par.* 3. *q.* 2. *art.* 2. vel iuxta probabiliorem ſententiam ſit irrita ipſo iure, vt affirmat Ioan. And. in *c.* 2. *de Off. Vic. in* 6. teſte Panor. in *c. Illud* 5. *de Iurepatr. n.* 2. fundamento deſumpto ex *c. Decernimus* 32. 16. *q.* 7. Sed neque poteſt Epiſcopus pręſentationem à Patrono factam malitioſè repellere ad effectum vt Patronus alium pręſentet: ſi enim id accidat, quamuis futura ſit valida eius inſtitutio, qui fuerit ſecundo loco pręſentatus à Patrono laico; attamen Epiſcopus, qui malitioſè recuſauit primum admittere, tenebitur eidem prouidere in alio competenti Beneficio, vt ſcilicet in eo puniatur, in quo ipſum non eſt dubium deliquiſſe, iuxta textum expreſſum in *c. Paſtoralis* 29 *de Iurepatr.*

12. Secus accidit ſi Patronus laicus pro ſua libera voluntate plures ad idem Beneficium præſentauerit, quod fieri ab ipſo poſſe, dictum eſt ſupra n. 7. In quo caſu liberum erit Epiſcopo cum inſtituere ex illis pluribus, quem maluerit, ſup-

poſito quod ſint æque digni & idonei, ex c. *Cum autem* 24. *de Iurepatr.*, quia ſcilicet in eo caſu, quilibet inſtituatur, ſemper ſeruatur illæſum Ius Patroni, qui variando nominationem, non cenſetur reuocare priorem, ſed ſolum alteram priori cumulare, ex eod. c. *Cum autem* in ijs verbis *eo non refutato*, vt ibi notat Abb. n. 2. Quod ſi ex illis pluribus præſentatis vnus eſt alio dignior; tunc digniorem eſſe ab Epiſcopo inſtituendum, docet probabilior ſententia, quam in loco citato tradit idem Panor. alijque plures, quos citat, & ſequitur Caſtrop *part.* 2. *tract.* 13 *diſp.* 2. *pun.* 9. *n.* 3., arg. c. *vlt. diſt.* 63. vbi Metropolitano præcipitur præferre electionem dignioris, cum vota eligētium in duas ſe diuiſerint partes, cuius Canonis ratio in eo ſita eſt, quod in æquali iure electionis eum præferri deceat qui Eccleſiæ vtilior futurus eſt quę ratio ęque procedit in nominatione.

13. Iuſpatronatus ſemel habitum pluribus modis amitti, aut ab vno ad alium transferri poteſt. Primo enim amitti poteſt caſu, ſi Eccleſia patronata incendio conſumpta fuerit, aut terremotu, aut vitio ſuo corruerit, arg. §. *fin. Inſtit. de Vſuſructu*. Quod tamen limitatur à Panor. in c. *Quoniam* 3. *de Iurepatr. num.* 11. itaut intelligi debeat de Patronatu in conſtructione fundato, non

non autem de Patronatu fundato in dotatione, vel fundatione: vnde permanente dote vel fundo, ſi contingat Eccleſiam collapſam iterum ab alio ædificari, docet non ſolum acquiri ius Patronatus eidem ædificatori, ſed etiam priori dotatori, vel fundatori iuſpatronatus conſeruari.

14. Secundo amittitur Iuſpatronatus in pœnam, ſi Patronus Rectorem, vel alium Clericum ipſius Eccleſiæ, per ſe, vel per alios occidere, vel mutilare auſu nefando præſumpſerit: in quo caſu tam ipſe, quam eius hæredes iurepatronatus priuantur, & præterea illius poſteritas vſque ad quartam generationem prohibetur admitti ad Collegium Clericorum, & ad quamlibet prælationem in domibus regularibus, niſi fuerit miſericorditer diſpenſatum, iuxta textum in *c. In quibuſdam penult. de pœnis*. Item ex Triden. *ſeſſ.* 22. *de refor. c.* 11. ſi Patronus per ſe, vel per alios, quacumque arte, aut quocumque quæſito colore, iuriſdictiones, bona, cenſus, ac iura, etiam feudalia, & emphyteotica, fructus, emolumenta, ſeu quaſcumque obuentiones, quæ in Miniſtrorum, & pauperum neceſſitates conuerti debent, in proprios vſus conuertere, illoſque vſurpare præſumpſerit, ſeu impedire, ne ab ijs, ad quos iure pertinent,

percipiantur; vltra pœnam anathematis, eo ipſo priuatus eſt etiam iure patronatus. Demum idem Iuris eſt ſi Patronus incidat in hæreſim: in confiſcatione enim bonorum, cui ſubiacent hæretici ex *c. Vergentis* 10. *de hæreticis*, amittitur etiam iuſpatronatus.

15. Tertio Iuſpatronatns amittitur, aut ab vno ad alium transfertur ex libera voluntate Patroni, multipliciter. Primo per liberam ceſſionem, ſi videlicet laicus Patronus ſuum ius deponat, & conferat ipſi Eccleſiæ, ex *c. vnico de iurepatr. in 6.* Secundo ſi Patronus patiatur Eccleſiam, ſeu Cappellam patronatam, commutari in Eccleſiam Collegiatam, in quo caſu priuatur iurepatronatus quoad facultatem præſentandi, quia Eccleſiæ Collegiatę prouidetur mediante electione, cui ſe non immiſcet Patronus; quamuis eidem reliqua patronatus iura ſalua permaneant, ex *c. nobis* 25. *de iurepatr.* Tertio denique Iuſpatronatus transfertur mediante donatione, permutatione, venditione, & teſtamento ſiue iure hæreditariæ ſucceſſionis, vt tradit Innoc. in rubr. *de iurepatron.* Gloſ. in *c. piæ mentis* 26 16. *q.* 7. alijque communiter.

16. Donatione transferri poſſe conſtat ex *c. ex inſinuatione* 14. *de iurepatr.* ſiue fiat in fauorem alicuius Eccleſię aut loci pij, ſiue fiat in fauorem laici, ſiue

in

in fauorem alicuius Clerici, cauſa ipſius, non Eccleſiæ. Id tamen diſcriminis inter diuerſas eiuſmodi donationes aſſignant pro re præſenti Doctores, quod ſi Iuſpatronatus donetur alicui Eccleſiæ ſeu loco religioſo, ea donatio valeat, quamuis abſque aſſenſu Epiſcopi facta fuerit, iuxta textum expreſſum in *c. vnico de iurepatr in 6.* At ſi laico donetur, aut etiam Clerico cauſa ipſius, non Eccleſiæ, variant Doctores. Innocentius enim, alijque tacito nomine relati à Panor. in *c. illud 5. de iurepatr n. 5.* docuerunt neque tunc requiri conſenſum Epiſcopi; at idem Panor. ibidem cum Hoſt. Ioan. Andr. & Arch. docent in eo caſu ſine conſenſu Epiſcopi non valere donationem. Videri poteſt Azor. *p. 2. lib. 6. cap. 20. q. 5.*

17. Venditione etiam transferri, deſumitur ex *c. cum ſæculum 13 eod.* iuncta ibid. Gloſ. *v. emptorum*, quod tamen intelligi debet non itaut vendatur directe, & per ſe, quia ſic vendi nequit iuſpatronatus abſque ſimonia, vt ſupra dictum eſt ex *c. de iure 16. eod.* ſed indirecte, & cum vniuerſitate bonorum, veluti ſi villa aliqua vendatur, cui annexum ſit Iuſpatronatus: dummodo tamen non augeatur pretium intuitu Iuriſpatronatus annexi, nam ſic quoque committeretur ſimonia, iuxta ſententiam, quam com-

mu-

munem eſſe dicit Caſtrop. *p.2.tract.* 13. *diſp.2.puncto* 4.*n.*10.videri poteſt Azor. *in cit.cap.*20.*q.*8.

18. Permutatione vt transferri poſſit, requiritur, vt cum alio ſpirituali permutetur, ex *c. ad quæſtiones* 6. & *c.vlt. de rerum permutat.* cum iuſpatronatus ſit Ius, vel ſpirituale, vel ſaltem ſpirituali annexum, vt ſupra dictum eſt. Quod ſi in permutatione Iuſpatronatus in laicum transferatur, requiri quoque conſenſum Epiſcopi, docet Azor.ibid.q.7.

19. Iure demum hęreditario transferri Iuſpatronatus, ſumitur ex *c. quoniam* 3.*de iurepatron.Clem.* 2. *eod.* alijſque iuribus; idque locum habet non ſolum in hæredibus ſanguinis, ſed & in quibuſuis hæredibus quamuis extraneis, vtpoſt gloſ.in *c.filijs* 31.16.*q.*7.*v.propinquis*, docet Panor.in *c.* 1. *de iurepatr. n.* 2. alijque paſſim. Inde fit, quod ſi plures ſuccedant hæredes, cum Ius patronatus ſit ius incorporale adeoque diuidi nequeat, ex Gloſ.in *c.*1.*de iurepatr.v.nō debeat*, transfertur in ſolidū ad quēlibet illorū, etiamſi non ſint hæredes ex æqua portione inſtituti, vnde illorum cuilibet cōuenient omnes Iuriſpatronatus prærogatiuę, pręter ius nominādi, quod ita erit apud omnes cōmune, vt vnus per ſe tantū nominare non poſſit, ſed omnes communiter, & per modum vnius, iuxta tex-

tum

tum expreſſum in *Clem.2.de iurepatr.* niſi tamen ipſi inter ſe libere conueniant de Clerico à ſe alternis vicibus pręſentando, prout ipſis conceditur in *ead. Clement.*

20. Quæſtionis olim fuit, an in Iurepatronatus ſuccedant hæredes per ſtirpes, an per capitã? Nunc tamen ea quæſtio reſoluta eſt in *cit.clement* vbi decernitur, vt ſuccedant non per capita, ſed per ſtirpes: vt puta ſi Titio Patrono ſuccedant tres filij, Caius, Sempronius, & Seius, quibus mortuis vnus Nepos relinquatur ex Caio, duo ex Sempronio, tres ex Seio; tunc in Iurepatronatus, quod Titius auus fundauit, ſuccedunt duo filij Semproni non tamquam duo Patroni, ſed tamquam vnus, & tres filij Seij ſimiliter ſuccedunt tamquam vnus: quia videlicet ſuccedunt non vt ſuas perſonas referunt, ſed vt parentum ſuorum.

21. Quæſtionis etiam eſt, an Iuſpatronatus transferri poſſit titulo legati? De hac re agit Panor. in *c. cum ſæculum 13.de iurepatr.n.6.* vbi cum Ioan. Andr. reſoluit poſſe transferri, quia legatum eſt quædam donatio à teſtatore facta, ex §.1.*inſt.de legat.*, adeoque ſicut Iuſpatronatus donari poteſt, ita & poſſe legari. Cenſet tamen, ſi tale legatum fiat in fauorem laici, requiri conſenſum Epiſ-

Epiſcopi, ſicut in *c.illud 5.eod. n.5.* docuerat in donatione requiri: iura enim quæ concedunt Iuſpatronatus in ſucceſſione transferri, loquuntur communiter de hæredibus, non autem de legatarijs, vt in *c.filijs 31.16.q.7.& c.1.de Iurepatr.*

TIT. XVI.

De renunciatione, & permutatione Beneficiorum, ac de penſionibus.

1. DIctum in ſuperioribus eſt quomodo Beneficia acquirantur à Clericis; dicendum ſupereſt quomodo ab ipſis eadem Beneficia dimittantur: cum autem duplici via id preſtari poſſit, videlicet renunciatione, & permutatione, de vtraque agendum breuiter hic eſt, vt tractatui beneficiario terminus imponatur.

2. Renunciatio Beneficij eſt ſpontanea Beneficij dimiſſio legitimè facta, ex qua fit, vt Beneficium vacet, adeoque alteri poſſit à Collatore conferri. Ita colligitur ex Rebuf.*in praxi benef. p. 3. tit.de reſignat.* Azor.*p.2.lib.7.cap.18.q.1.* alijſque paſſim.

3. Diuiditur in tacitam, & expreſſam. Renunciatio tacita eſt, cum quis aliquid agit, quod vel ex natura rei, vel ex ſtatuto Iuris opponitur retentioni bene-

neficij: in quo caſu, etiamſi expreſſis verbis Clericus non remunciet beneficio, ãttamen per conſequentiam cenſetur eidem renunciare, vt contingeret v. g. ſi aliquis Clericus beneficiarius etiam minoribus tantummodo Ordinibus inſtitutus Matrimonium contraheret, aut in Religione ſolemniter profiteretur, aut miles factus arma caperet, & in bello pugnaret, & ſic de reliquis, quibus actibus eſt annexa de Iure vacatio beneficij, vt conſtat ex *c. 1. de clericis coniug. c. Bèneficium 4 de regular. in 6.* alijſque relatis à Gloſ. in *cap. fin. de clericis non reſidentib. v. redierint.* Renunciatio expreſſa eſt, per quam expreſſis verbis, aut ſcripto iuxta formam à iure ſtatutam, coram Ordinario dimittitur beneficium.

4. Eiuſmodi expreſſa renunciatio ſubdiuiditur in puram, ſeu ſimplicem, aut abſolutam, & in conditionalem. Renunciatio primi generis eſt, quæ fit abſque vlla conditione, vel pacto, in quo caſu Collator beneficij eſt liber ad illud conferendum cui voluerit. Renunciatio non pura, ſeu conditionalis eſt quæ fit adiecta aliqua conditione, vt puta ſub conditione annuę penſionis ſoluendæ, aut ſub conditione quod beneficium reſignatum conferatur certę perſonæ, & non aliter, cuius generis reſignatio vo-

cari

cari ſolet reſignatio in fauorem alterius.

5. Ad valorem cuiuſcumque renunciationis requiritur conſenſus Superioris Eccleſiaſtici, ex *c. Admonet 4. de renunciat.* Sicut enim ſine Superioris authoritate nemo poteſt Eccleſiaſticum beneficium obtinere iuxta *c. 1. de reg. iur. in 6.* ita ſine eadem nemo poteſt illud dimittere: quia *omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur, c. 1. de reg. iur.*

6. Superior autem, cuius authoritas ad renunciationem requiritur, ille eſt, non qui præcisè habet poteſtatem inſtituendi beneficiatos, ſeu conferendi beneficia; ſed qui facultatem habet eoſdem deſtituendi, ſeu deponendi, adeoque ſupra ipſos iuriſdictionem habet, vt poſt Innoc. docet Gloſ. *in Clem. vnica de renunciat. v. manibus.* Renunciatio enim habet vim deſtitutionis, ſiquidem beneficiatus mediate renunciatione deſinit eſſe beneficiatus; adeoq; nemo poteſt renunciationem admittere, niſi qui poteſt Clericum deſtituere, ſeu beneficio priuare.

7. In particulari autem eiuſmodi Superior eſt in primis Summus Pontifex, qui quaslibet poteſt quorumlibet beneficiorum renunciationes admittere, cum certi iuris ſit ad ipſum pertinere plenariam omnium beneficiorum Eccleſiaſticorum diſpoſitionem, *c. 2. de præb. in 6.*

Alij

Alij inferiores Prælati, quales ſunt Epiſcopi, poſſunt admittere renunciationes puras, & abſolutas beneficiorum illorum, quorum deſtitutio ad ipſos pertinet: idque extenditur à Flam. Pariſio *lib. 7. de reſig. q. 14. n. 6.* & ab Azor. *p. 2. lib. 7. c. 25. q. 9.* etiam ad beneficia Summo Pontifici reſeruata, quæ tantummodo reſeruata ſunt quoad collationem, vnde Ordinarius quamuis non poſſit illa conferre, non tamen prohibetur Clericos delinquentes ipſis priuare, adeoque nec prohibetur ipſorum reſignationes admittere. At indiſcriminatim admittere nequeunt renunciationes conditionales, quę ſcilicet fiant in fauorem certæ perſonæ, aut ſub conditione annuæ penſionis ſoluendę: quia eius generis renunciationes poſſe fieri ſolum in manibus Summi Pontificis, docet communis ſententia apud Rebuf. in *praxi tit. de renunciat. condition.* & apud Pariſium *lib. 6. de reſignat.* ſumiturque etiam ex expreſſa Conſtit. B. Pij V. quæ eſt 58. in Bullar. & incipit *Quanta Eccleſiæ Dei*, vbi etiam cauſæ declarantur, quibus dumtaxat interuenientibus admitti poſſint renunciationes puræ, & abſolutę ab Epiſcopis.

8. Quod ſi ex authoritate legitima contingat fieri aliquam eiuſmodi renunciationem in fauorem alterius, & non ali-

aliter, debet Superior illam admittens conferre beneficium ei, in cuius fauorem fuerit reſignatum, ſuppoſito quod ſit idoneus iuxta Sacros Canones, vt tradit Rebuff. loco cit. n. 4. Reſignatum enim fuit ſub ea conditione, adeoque ea conditione non adimpleta, non cenſetur facta reſignatio: quia actus conditionalis effectum non habet, niſi conditio ſub qua factus eſt adimpleatur, ex l. *cedere diem* 21; *ff. de verbor. ſignific.* & l. *ſub conditione* 16. *ff. de condictione indebiti*.

9. Excipi tamen debet caſus, in quo reſignator infra 20. dies poſt factam reſignationem moriatur: tunc enim reſignatio caret omni valore, & beneficium cenſetur vacare per obitum, ex *reg.* 19. *Cancellariæ Apoſtolicæ*: ad vitandas ſcilicet fraudes, & ne diſponatur de beneficijs per modum vltimæ voluntatis, ſicut diſponitur de bonis patrimonialibus.

10. Quæſtionis eſt vtrum ille, qui Beneficium reſignat in fauorem alterius, teneatur aſſumere digniorem, an ſatis ſit aſſumere dignum? Sed de hac re videri poteſt Gabr. Vaſq. *opuſc. de beneficijs cap.* 2. §. 3. *dub.* 7. Azor. *p.* 2. *lib.* 6. *cap.* 15. *q.* 10. Caſtrop. *tract.* 13. *de beneficijs Eccleſiaſticis diſp.* 2. *puncto* 11. *n.* 11. alijque ab ipſis citati.

11. Hactenus dicta de reſignationis

vali-

validitate procedunt, ſuppoſito quod aliunde particularis aliqua circumſtantia beneficij reſignationem non impediat; cuius generis circumſtantia inter reliquas vna eſt, ſi agatur de beneficio, cuius titulo ſit aliquis ordinatus in ſacris de hoc enim expreſſe decenitur in Trid *ſeſſ.21.de refor.cap.2.* vt reſignari non poſſit, niſi facta mentione, quod ad illius beneficij titulum ſit promotus: neque ea reſignatio admittatur, niſi conſtito, quod aliunde viuere commode poſſit: & aliter facta reſignatio nulla ſit. Item eiuſdem generis circumſtantia eſt de ſtylo Curiæ pro beneficijs reſidentiam poſtulantibus, ſi nondum per triennium poſſeſſa fuerint, in quo caſu eorum reſignatio non admittitur, ſi preſertim ſit in fauorem, ſeu ſub reſeruatione penſionis: vnde renuncians tenetur declarare tempus, à quo beneficium habuit, Pariſ.*de reſign.lib.3.q.2.n.21.* Garz. *de benef.11.p cap.3. à n.45.* quos citat, & ſequitur Caſtrop. *in tract.cit.diſp.5.puncto 2.§.5.n.9.*

12. Eiuſdem demum generis circumſtantia eſt, ſi reſignationi in fauorem alterius factæ, admiſceatur reſeruatio acceſſus, regreſſus, & ingreſſus. Nomine reſeruationis acceſſus intelligitur illa reſeruatio per quam alicui reſeruaretur potestas accedendi ad beneficium, ſe illius

illius poſſeſſionem capiendi, quam antea non cœpit ex aliquo impedimento, quo durante interim beneficium ab alio poſſideatur, vt puta ſi beneficium deſtinatum puero, interea conferatur alteri ea conditione, vt puer poſſit propria authoritate ad illud beneficium accedere, eiuſque poſſeſſionem capere, poſtquam peruenerit ad ætatem legitimam. Nomine reſeruationis regreſſus venit ea reſeruatio, per quam renuncianti beneficium ab ipſo poſſeſſum tribueretur facultas reuertendi propria authoritate ad idem beneficium reſignatum, ſi præmoriatur reſignatarius. Nomine reſeruationis ingreſſus intelligitur ea reſeruatio, per quam habenti ius, & titulum beneficij, ſed nondum eius poſſeſſionem, illudque reſignanti, daretur poteſtas, vt ſi reſignatarius præmoriatur, beneficium dimiſſum ipſe propria authoritate accipiat, eiuſque poſſeſſionem adeat. Videri poteſt Rebuf. *in praxi p. 3. tit. de regreſſibus.*

13. Eiuſmodi regreſſus, & acceſſus prohibentur expreſſe à Trid. *ſeſſ. 25 de reſor. cap. 7.* & recentius à B. Pio V. in Conſtitut. *Romani Pontificis prouidentia* edita anno 1571. quæ in Bullario eſt 134. inter Conſtitutiones eiuſdem Pontificis: vt videlicet de Eccleſia Dei tollatur omnis hæreditaria beneficiorum Eccleſiaſticorum ſucceſſio, ſimulque li-

libertati prouideatur beneficiorum huiuſmodi, & vt de perſona magis vtili, & idonea, prout requiritur, facilius prouideri valeat; quæ rationes deſumuntur ex *ead.cit.Conſtitut.*

14. Reſignationem factam ſubſequi debet promulgatio, ſeu publicatio, quæ quomodo, & intra quantum temporis facienda ſit, videri poteſt expreſſe decretum in Conſtit.Greg. XIII, quæ incipit *Humano vix iudicio* & in Bullar.eſt 85. inter Conſtitutiones eiuſdem Pontificis. Qua de re fuſe agit Azor.*p.* 2. *lib.* 7. *c.* 24. Caſtrop. *tract.* 13. *diſp.* 5. *puncto* 2. §, 6. alijque ab ipſis citati.

15. Alter modus quo a Clericis beneficium dimittitur, eſt permutatio, quæ tunc dicitur fieri, quando duo Clerici ſua Beneficia dimittunt, vt alter alterius Beneficium conſequatur, vt tradunt communiter Doctores in tit. *de rerum permutat.* qua de re tractatum ediderunt Ægidius Bellamera, Fridericus Senenſis, Petrus Vbaldus Peruſinus, & Petrus Andreas Gambarus.

16. Permutationem huiuſmodi permiſſam eſſe in Iure Canonico manifeſtu eſt tum ex pluribus Iuribus ſub rubr. *de rerum permut.* tum ex hactenus dictis de renunciatione, cum permutatio nihil aliud ſit quam mutua & reciproca duorum Beneficiorum reſignatio facta a duo-

duobus beneficiatis, vt Beneficium vnius alteri concedatur.

17. Id tamen intelligendum eſt, dummodo ſeruentur leges pro legitima permutatione præſcriptæ. Inter has illa præcipue curanda eſt, vt propria authoritate non fiat, ſed authoritate Superioris, vt conſtat ex ſupradictis n. 5. aliàs non ſolum permutatio eſſet nulla, ſed etiam Simoniaca, vt tradunt communiter Doctores, Rebuf. in *praxi* 3. *p. tit. de permut.* Suar. *lib.* 4. *De Simon. c.* 31. alijque paſſim, ſumiturque ex *c. Quæſitum* 5. *de rerum permut.* alijſque Iuribus; ac præterea vterque ita permutans ſpoliandus penitus eſſet in pœnam Beneficio iuxta textum in *c. Cum olim.* 7. *eod.*

18. Alia quoque permutationis eſt lex vt non fiat niſi inter duos: prohibita enim eſt & ſimoniaca ſpecies illa permutationis, quam Canoniſtæ triangularem aut quadrangularem appellant, vt puta ſi Titio tuum beneficium reſignes, vt Titius beneficium ſuum reſignet tuo Nepoti: eiuſmodi enim non tam eſſet permutatio, quæ nonniſi inter duos eſſe poteſt, ſed contractus quidam innominatus *Facio vt facias,* ſiue *Do vt des* qui a Iure Canonico circa ſpiritualia reprobatus eſt, eo quod in ſpiritualibus interdicta ſit omnis pactio, omniſque conuentio, ex *c. fin. de Pactis.* Ita Garz. 11.

p. de

p. de Benef. c. 4. n. 22. Azor, *p. 2. lib. 7. c. 30. q. 6.* alijque paſſim.

19. Alia etiam permutationis conditio eſt, vt ſi permutentur Beneficia inęqualia, exceſſus vnius non compenſetur pecunia aut alio temporali pretio ęſtimabili, ſed tantummodo nuda Beneficia permutentur. Quod locum habet, non ſolum ſi exceſſus ſit in dignitate aut alio ſpirituali, ſed etiam ſi ſit tantumodo exceſſus in fructibus temporalibus, ſuppoſito quod talis exceſſus ſit annexus tituloBeneficij: quia in eo caſu interueniret quædam venditio Beneficij; adeoque Simonia committeretur; nam vt dicitur in *c. Si quis obiecerit 7. 1. q. 3. Quisquis horum alterum vendit, ſine quo nec alterum prouenit: neutrum inuenditum derelinquit.* Videri poteſt Suar. *lib. 4. de Simon. c. 34.*

20. Alia demum permutationis eſt lex, vt non fiat niſi ex legitima cauſa, ex *c. Quæſitum 5. de rerum permut. §. Si autem,* qualis tantummodo eſt aliqua Eccleſiæ neceſſitas, vt qui vni loco minus eſt vtilis, alibi ſe valeat vtilius exercere, vt tradunt communiter Doctores, ex eod. *c. quæſitum*. Solus igitur fauor permutantis, aut priuatum eius commodum temporale non eſt cauſa ſufficiens approbandi permutationem.

21. Superior autem, cui de iure

H com-

communi facultas competit approbandi permutationem, eſt Epiſcopus ad quem cæteroquin pertineat in ijs beneficijs inſtitutio, & deſtitutio, ſuppoſito quod ſermo ſit de permutatione quæ ſimpliciter fiat inter beneficja ſine adiectione oneris ſeu penſionis ex alterutra parte; nam de adiectione penſionis paulo poſt dicetur. Deſumitur hoc aſſertum ex cit. *c. Quæſitum* in ijs verbis *Si autem Epiſcopus*, & ex c. vnico *de rerum permut. in 6.* ibi *in manibus tuis ipſa reſignant*. Inde fit quod ſi Beneficia permutanda reperiantur in diuerſis diæceſibus, neceſſe ſit vt ea permutatio ab vtroque Epiſcopo authoritatem accipiat, vt docet Gloſ. in cit. *cap. vnico de rerum permut. in 6. v. collationem*. Nullus enim Epiſcopus diſponere poteſt de Beneficio alienæ Diœceſis.

22. Queſtionis eſt, quid hic intelligatur nomine Epiſcopi; & vtrum Prelati Epiſcopis inferiores, ad quos cæteroquin pertineat Beneficiorum collatio, & inſtitutio, poſſint authoritatem permutationi præbere? Communis reſolutio primæ partis eſt, nomine Epiſcopi hic intelligi qui habet iuriſdictionem Epiſcopalem, etiamſi dignitatem Epiſcopalem non habeat, vt poſt Gloſ. in *Clem. vni. de rerum permut. v. conferantur* tradit Suar. *lib. 4. de Sim. c. 32. n.* 11. Re-

22. Reſolutio autem ſecundæ partis cõmunior & magis recepta eſt, inferiores Prælatos quamuis cæteroquin habentes poteſtatem Beneficiorum collatiuam, non poſſe authoritatem permutationi præbere ſi iurisdictionem Epiſcopalem non habeant, niſi titulo præſcriptæ conſuetudinis id obtinuerint. Videri poteſt Suar. ibid. n. 14.

23. Denique quia nonunquam contingit Beneficium aliquod a Clericis dimitti vel permutari ex authoritate Superioris cum reſeruatione annuæ penſionis ſoluendæ, dicendum aliquid breuiter hic eſt de penſione.

24. Nomine penſionis intelligitur communiter a Canoniſtis certa portio fructuum ex aliquo Beneficio Eccleſiaſtico iuſta de cauſa ad tempus detracta & ſeparata, quæ datur alicui ad vitam eius commode ſuſtentandam. Solet illa aliquando concedi occaſione renunciationis aut permutationis, vel ad aliquam litem, & controuerſiam circa Beneficium dirimendam, vel demum ex eo quod aliquis ſit de Eccleſia aut de Rep. Chriſtiana benemeritus, cui propterea aliqua penſio deſignatur.

25. Duplex aſſignari ſolet penſionũ ſpecies. Alia enim dicitur penſio laica, alia Clericalis. Penſio laica, ſeu temporalis eſt, quæ laicis datur propter ali-

quod officium vel obſequium temporale praeſtandum ab ipſis, aut aliàs præſtitum. Penſio Clericalis eſt quæ ſolis Clericis datur vt Clerici ſunt: eaque eſt vel ſimpliciter ſpiritualis, qualis eſt quę Clericis datur propter aliquod ſpirituale miniſterium exercendum; vel mixta, qualis eſt, quæ Clericatum exigit, non tamen datur ad ſpirituale miniſterium, ſed ob aliam cauſam, puta propter Clerici paupertatem, ſenectutem, litis compoſitionem, reſignationem Beneficij.

26. Hæc dicta procedunt attento iure antiquo: at de iure recentiori poſt Conſtitut. B. Pij V. quæ incipit *Ex proximo*, & eſt 135. in ordine Bullarum eiuſdem Pontificis in Bullario, cum omnes Clerici Penſionarij obligentur titulo penſionis recitare Officium parnum B. Virginis, itaut ſi recitationem omiſerint, peccent & fructus penſionis non faciant ſuos, quemadmodum ex decreto Concilij Later. ſub Leone X. *ſeſſ. 9. de refor. Curiæ* §. *Statuimus* & ex cit. Conſt. B. Pij, omnes Clerici Beneficiati titulo Beneficij tenentur recitare Horas Canonicas; quęlibet penſio Clericalis, dici poteſt ſpiritualis, vtpote data propter ſpirituale miniſterium. Vnde fit etiã omnes eiuſmodi penſiones eſſe inuendibiles abſque Simonia.

Pen-

27. Penſionem Beneficijs imponi poſſe a Summo Pontifice, indubitati iuris eſt, cum ad ipſum pertineat plenaria Beneficiorum diſpoſitio *c. 2. de præb. in 6. & Clem 1. Vt lite pendente*. Quinimo de Stylo Curiæ, ſolius Summi Pontificis eſt poſſe Beneficijs penſionem imponere, quod etiam deducitur ex præſcripto Sacrorum Canonum, iuxta quos Eccleſiaſtica Beneficia non poſſunt ab inferioribus prælatis cum diminutione conferri, vt patet ex *c. vnico. vt. Eccleſiaſtica Beneficia ſine diminut. conferantur.* Ita Suar. *lib. 4. de Sim. c. 24. n. 37. & c. 34. n. 16.* Azor. *p. 2. lib. 8. c. 6. q. 1.* alijque.

28. Dixi *Beneficijs penſionem imponere*. nam vt ibidem recte notat Azor: aliud eſt imponere penſionem Beneficio, aliud Beneficiario: penſio enim quæ in ipſo beneficio imponitur, eſt onus, & ſeruitus in ipſo beneficiō conſtituta, ac proinde non ceſſat morte beneficiarij, ſed transmittitur ad Succeſſorem; at penſio, quæ imponitur beneficiarij perſonæ, ad Succeſſorem in beneficio nō tranſmittitur, ſed ipſius beneficiarij, cui imponitur, morte finitur. Quod igitur dictum eſt de Stylo Curię eſſe ſolius Summi Pōtificis penſiones imponere, intelligi potiſſimum debet de penſionibus, quę beneficio imponantur. Quod enim atti-

net ad penſiones, quæ imponuntur beneficiario, non eſt vniuerſaliter interdictum Epiſcopis illas conſtituere; cum conſtituere poſſint cauſa tranſactionis, ex *c. Niſi* 21 *de Præb.* ſi videlicet caſus contingeret in quo ſuper vno, eodemque beneficio eſſet ius dubium ſeu controuérſia inter duos Clericos, in quo caſu Epiſcopus ad componendam litem, poſſet decernere, vt vnus beneficium habeat, ſed ſimul alteri penſionem ſoluere teneatur: ita tamen vt non ipſum beneficium, ſed perſona beneficiarij maneat onerata: ne forte circa prouentus aliqua videatur facta ſectio beneficij: ita quod ipſo beneficiario defuncto, ſucceſſor ipſius ad præſtationem penſionis minime teneatur, iuxta textum expreſſum in eod. c. *Niſi*. Atque ita Azor. in *cit. c. 6 q.* 1. interpretatur Authores qui citari ſolent pro ſententia aſſerente poſſe ab Epiſcopis penſiones imponi.

26. Plura alia de penſionibus videri poſsūt apud Gigan. in tractatu *de Penſionibus*, Caſtrop. *tract.* 13. *diſp.* 1. *punct.* 11. Azor. *p.* 2. *lib.* 8. *c.* 5. & *ſeqq.* alioſque ab ipſis citatos.

TIT. XVII.

TIT. XVII.

De Regularibus, & Abbatibus.

1. PRæter Clericos, de quibus hactenus in ſuperioribus egimus, eſt alius perſonarum ſtatus in Eccleſia; qui quamuis ex Clericis, & laicis componatur, participat tamen indiuiſim priuilegia Clericorum, ac propterea de illo agendum breuiter hic eſt, vt primam inſtitutionum partem, quę eſt de Perſonis Eccleſiaſticis abſoluamus:

2. Status autem iſte eſt ſtatus Religioſus, cuius eſſentia in eo sita eſt, vt per tria ſubſtantialia vota perpetuæ paupertatis, Caſtitatis, & obedientiæ homines dirigat ad perfectionem Chriſtianæ Charitatis ſub iurisdictione Superioris, qui poſſit illos corrigere, & ad ſeruandam regularem diſciplinam cogere; ſimulque ſit idem ſtatus per Sedem Apoſtolicam approbatus. Ita deſumitur ex Laym. *Theol. mor. lib. 4. tract. 5. c. 1.* aliiſque ab ipſo relatis.

3. In hac Religioſi ſtatus eſſentia, conueniunt omnes particulares Religiones, quæ ſunt in Eccleſia, quamuis inter ſe differant quoad alia media particularia, quibus ad perfectionem contendunt iuxta fines particulares, & for-

mam Inſtituti quam profitentur; Aliæ enim ſunt Religiones contemplatiuæ, quarum finis peculiaris eſt contemplatio. Alię actiuæ, quæ peculiariter exercent opera miſericordiæ ſiue ſpiritualia, ſiue corporalia. Aliæ mixtę, quæ tum ad contemplationem, tum ad actionem ordinantur. Rurſus aliæ ſunt Clericales, quæ ad miniſteria Clericorum propria ſpecialiter ordinantur: Aliæ Monachales, quæ ex vi ſuæ Regulæ magis ſectantur vitam ſolitariam. Item alię ſunt Mendicantes, quæ ex Inſtituto ſuo nulla poſſident bona immobilia, quamuis hodie ex conceſſione Tridentini *ſeſs. 25 de regular. c. 3.* ea in communi poſſideant, exceptis domibus Fratrum Sancti Franciſci Capuccinorum, & eorum qui Minorum de obſeruantia vocantur: aliæ non mendicantes, quæ etiam ex Inſtituto ſuo admittunt bona immobilia in communi poſſidenda. Demum aliæ ſunt Religiones militares, quę editis prędictis tribus ſubſtantialibus votis ſpecialiter ordinantur ad militandũ pro Religione Catholica.

4. Primum ad Religinem ingreſſum ſubſequitur probatio ſeu Nouitiatus, in quo poſt ſuſceptum habitum debet per Annum integrum verſari Nouitius antequam ad Profeſſionem admittatur, ita ut ſi profeſſio antea fiat, ſit nulla, ex

Trid.

Trid. in *cit Seſs. 25. de Regularib.c.15.* Quamdiu autem tempus illud probationis durauerit, poteſt Nouitius ad ſæculum libere redire, niſi euidenter appareat, quod abſolute voluerit vitam mutare, & in Religione perpetuo Domino deſeruire, iuxta textum in *c. Statuimus 23. de regular.*, & *c. 2 eod. in 6.*

5. Vt eiuſmodi Nouitiorum libertas ſeruetur indemnis, ſtatutum eſt à Trid. in *cit. Seſs. 25. de regular c. 16.* vt nulla renunciatio antea facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuſcumque causæ piȩ, valeat, niſi cum licentia Epiſcopi, ſiue eius Vicarij, fiat intra duos menſes proximos ante profeſſionem; ac non aliàs intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione: aliter vero facta etiamſi cum huius fauoris expreſſa renuntiatione, etiam iurata, ſit irrita, & nullius effectus. Decernitur etiam ibidem ab eodem Concilio, vt neque ante Profeſſionem, excepto victu, & veſtitu, Nouitij vel Nouitiæ illius temporis, quo in probatione eſt, quocumque prætextu, a parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius, Monaſterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur; ne hac occaſione diſcedere nequeat, quod totam, vel maiorem partem ſubſtantiæ ſuæ Monaſterium poſſideat; nec facile, ſi diſceſſerit, id recuperare poſſit: quin po-

tius præcipit Sancta Synodus ſub anathematis pœna dantibus & recipientibus, ne hoc vllo modo fiat; & vt abeuntibus ante profeſſionem omnia reſtituantur, quæ ſua erant: quod vt rectè fiat, Epiſcopus etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, ſi opus fuerit, compellat. Ita *Trid. in loco citato.*

6. Abſoluto probationis tempore, iuxta diuerſas diuerſarum Religionum conſuetudines, ab ijs qui habiles inuenti fuerint, celebratur religioſa profeſſio, quæ eſt contractus quidam Sacer, per quem homo voluntarie in Religione approbata tradit ſe irreuocabiliter Deo, quoad certum modum, & inſtitutum viuendi, editis tribus votis ſolemnibus paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, idque acceptante Prælato Regulari nomine Dei, quæ deſcriptio colligitur ex traditis à Suar. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 2.

7. Hæc religioſa profeſſio dupliciter fieri poteſt, nempe vel expreſſe, vel tacite. Expreſſe fit, quæ fit verbis, aut ſcripto, aut etiam nutibus, vel alijs ſignis externis indicantibus traditionem perſonæ profitentis, & acceptationem Religionis, vt colligitur ex *c. Porrect[illegible]* 13. *de regularib.* Tacite fieret [illegible] quis ſciens, & volens completo probationis tempore aſſumeret, & geſtaret habitum

tum proprium Profeſſorum, atque in eo actus proprios Profeſſorum ſponte exerceret, ſciente, & conſentiente Prælato regulari, qui poteſtatem habet admittendi ad profeſſionem, vt deſumitur ex *c. Vidua* 4. *eod.* Eiuſmodi tamen tacita profeſſio non ſolet nunc eſſe in vſu inter Regulares.

8. Sciendum tamen hîc eſt, ad vtriuſque generis profeſſionem nonnulla requiri, quibus deficientibus profeſſionis validitas tollitur. Huius generis eſt ætas legitima, quæ ex ſtatuto Trid. *ſeſ.* 25. *de regular. c.* 15. debet eſſe 16 annorum expletorum, ac præterea ex ſupradictis præceſſiſſe debet integer annus probationis: itant profeſſio antea facta ſit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obſeruationem, aut ad alios quoſcumque effectus.

9. Secundo requiritur vt profeſſio ſit ſpontanea, & libera, ex *c.* 1. *De his quæ vi, metuſue cauſa.*

10. Tertio opus eſt, vt profitens ſit ſui iuris, nullique aliqua obligatione adſtrictus, ratione cuius impediatur ab emittenda ſine eius conſenſu profeſſione: qua ratione coniugatus poſt conſummatum matrimonium, abſque alterius coniugis licentia, inualide profitetur, ex *cap. Quidam* 3. & *cap Placet*

12. *de conuerſione coniugator.*

11. Demum omiſſis alijs pluribus, quæ videri poſſunt apud Sanch. *lib. 5 in Decalog. cap. 4. per totum*, requiritur, vt acceptetur nomine Religionis ab eo, qui poteſtatem habet admittendi ad profeſſionem, ex *c. ad Apoſtolicam 16. de regularib.*, vt etiam indicat ipſa natura contractus vltro citroque obligatorij, pro quo vtriuſque partis contrahentis conſenſus requiritur.

12. Quod ſi Religioſus aliquis prætenderet, ſe ex defectu alicuius ex prædictis conditionibus, emiſiſſe profeſſionem inualidam, puta propter defectum ætatis, aut libertatis &c. ac propterea peteret à Religione diſceſſum; in tali caſu incumberet ipſi onus probandi talem inualiditatem, quod fieri ab ipſo deberet coram ſuo Superiore, & Ordinario. Imo nec ita audiri poteſt, niſi intra quinquenium tantum à die profeſſionis, vt decernitur à Trid. in cit. *ſeſſ. 25. de regular. cap. 19.*

13. Vt in Abbatem, ſeu Superiorem domus Religioſę quis eligi poſſit, requiritur de iure communi, vt in eadem Religione ſit Profeſſus, ex *c. Cum in magiſtrum 49. de elect.* Imo cum olim ſufficeret tacita profeſſio, vt probatur ex eod. *c. Cum in magiſtrum*, vbi ſolum requiritur, vt eligendus in Abbatem ſit

pro-

profeſſus; attamen de iure recentiori relato in *c. Nullus 28. de elect. in 6.* requiritur profeſſio expreſſe facta; alias electio irrita eſt.

14. Hæc autem intelligenda ſunt de Abbate regulari. Alij enim ſunt Abbates regulares, alij ſæculares. Abbates regulares ſunt Regulares illi Prę-lati, qui præſunt regimini, & gubernationi cæterorum Religioſorum. Abbates ſæculares dicuntur Clerici ſęculares qui habent beneficia Eccleſiaſtica inſignita nomine Abbatiæ, qui rurſus in plures claſſes diuiduntur.

15. Aliqui enim ſunt qui dicuntur Abbates ex eo quod præſint alicui Eccleſię, quę olim Regularis, & conuentualis fuit, ſed poſtea deficiente regulari diſciplina, aut ex aliqua alia iuſta cauſa, tranſiuit in ſæcularem, ſeu conferri cœpit ſęcularibus Clericis, retento nomine Abbatis pro Rectore talis Eccleſię, quamuis Monaſterium ſublatum eſſet.

16. Alij ſunt, qui dicuntur Abbates Commendatarij, ex eo quod illis in Commendam traditum ſit aliquod Monaſterium. Vſum eiuſmodi tradendi Clericis in commendam Monaſteria, obſeruatum fuiſſe à temporibus Leonis IV. colligit ex *cap. Qui plures 21. qu. 1.* Rebuf. *in praxi tit. de Comm. n. 6.* Tambur.

bur. *to.* 1. *de Iure Abbatum diſp.* 4. *q.* 1. alijque. Idque ex duplici potiſſimum cauſa obſeruatum fuiſſe notat Gonz. in *c. Cum Monaſterium* 13. *de elect. n.* 13. Primò, ex eo quod Prælatorum electio ob lites, & controuerſias eligentium nimis protraheretur: tunc enim ne Monaſteria diu abſque Superiore detrimentum aliquod paterentur, commendabantur interim alicui Eccleſiaſticę perſonę. Secundò, ex eo quod decreſcente paulatim Monachorum numero, & Monaſterijs pene deſtitutis, vix idonei regulares reperirentur, qui rebus Monaſterij vtiliter prçeſſent. Inde eſt quod eiuſmodi commendę olim eſſent non in perpetuum ſed ad tempus, vt indicat etiam ipſa vox Commendę: nam commendare nihil aliud eſt quam deponere, *l. Commendare* 186. *ff. de verbor. ſignif.* & *l. Lucius* 24. *ff. Depoſiti.*

17. Alij demum ſunt qui vocantur Abbates, non quia Monaſterijs pręficiantur, ſed quia dignitatem habent in Eccleſia Collegiata, vel Cathedrali, cui dignitati, vel ex priuilegio, vel ex conſuetudine annexum ſit nomen Abbatis; quemadmodum etiam in pluribus locis talium dignitatum poſſeſſores vocantur Priores.

18. Inter iſtorum generum Abbates aliud quoque diſcrimen notandum eſt, quod

quod aliqui iuriſdictionem habeant quaſi Epiſcopalem ſupra ſuos ſubditos tam Clericos, quam laicos, unde Pontificijs etiam inſignibus vtuntur, nempe anulo, Mitra, & baculo paſtorali: alij autem nec iuriſdictionem Epiſcopalem habeant, nec Pontificijs vtantur inſignibus.

19. Quoad Abbates regulares, multiplex quoque illorum ſpecies eſt. Aliqui enim ſunt, qui non ſolum præſunt Religioſorum regimini; ſed pręterea territorium habent, in quo Epiſcopalem iuriſdictionem, & aliquando etiam temporalem exercent. Alij ſunt, qui ſub ſe tantum habent Subditos Regulares, quorum regimini pręſunt. Alij demum ſunt Abbates ſolo nomine, qui non habent ſub ſe ſubditos Regulares, vel quia Monaſterium eſt alio translatum, vel quia Monachi locum relinquerunt &c. vnde vocari etiam ſolent Abbates titulares.

20. De iure antiquiori poterant Abbates Ordinum Monachalium exempti & habentes ius ferendi baculum, & Mitram poſtquam ſemel benedicti eſſent, conferre minores Ordines, aut ſaltem primam Tonſurã ſubditis non ſolum Monachis, ſed etiam laicis, ſupra quos Eccleſiaſticam, & quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem obtinebant, vt probat textus in *cap. Abbates 3. de priuil. in 6.*

Ho-

Hodie tamen ex Trid. *ſeſs. 23. de refor. cap.* 10. non licet Abbatibus, ac alijs quibuſcumque, quantumuis exemptis, intra fines alicuius diœceſis conſiſtentibus, etiamſi nullius diœceſis, vel exempti eſſe dicantur, cuiquam, qui Regularis ſubditus ſibi non ſit, Tonſuram, vel minores Ordines conferre: imò nec concedere poſſunt litteras dimiſſorias aliquibus Clericis ſæcularibus, vt ab alijs ordinentur: ſed horum omnium ordinatio pertinet ad Epiſcopos, intra quorum diœceſis fines exiſtant: non obſtantibus quibuſuis priuilegijs, præſcriptionibus, aut conſuetudinibus, etiam immemorabilibus. Concedentes autem dimiſſorias contra formam decreti, ab officio, & beneficio per annum ſunt ipſo iure ſuſpenſi.

21. De Abbatibus ſi quis plura ſcire velit, conſulere poteſt Tambur. in tractatu cui titulus eſt *De iure Abbatum*, Barboſam *de Iure Eccleſiaſtico lib.* 1. *cap.* 17. aliosque plures ab ipſis citatos.

IN-

INSTITVTIONVM IVRIS CANONICI

LIBER SECVNDVS.

TIT. I.

De rerum Eccleſiaſticarum diuiſione.

1. SVperiore libro actum eſt de iure perſonarum; agendum modo eſt de Eccleſiaſticis rebus, quę ſunt altera pars tractandorum iuxta diuiſionem indicatam à nobis in *tit. proœm. lib.* 1 *n.* 2.

2. Eccleſiaſticarum igitur rerum ſpecies atque diuiſio multiplex eſt. Alię enim ſunt res ſpirituales, aliæ temporales. Spirituales ſunt, quæ immediate ad Animam ordinantur, eiuſque cauſa immediata ſunt inſtitutæ, qualia ſunt Sacramenta, Eccleſiæ, Altària, & ſimilia. Temporales autem, quæ immediate corpori inſeruiunt, qualia ſunt prædia, domus, aliaque eiuſmodi, quæ ordinantur immediate ad alimentum Miniſtrorum Eccleſiæ, aut ad Eccleſiæ ſuſtentationem; vnde ſaltem remo-

mote ordinantur etiam ad bonum Animæ: quia ſicut Anima ſine corpore non viuit in Miniſtris Eccleſiæ; ità Eccleſia, aut Miniſtri Eccleſiæ ſine rebus corporalibus in nullo proficiunt, vt dicitur in *c. Si quis obiecerit 7. 1. q. 3.*

3. Rurſus res ſpirituales ſubdiuiduntur in corporales, & incorporales. Res incorporales ſunt quæ ſenſu corporeo percipi non poſſunt, cuius generis ſunt virtutes, & interna dona Dei, item ea quæ in iure conſiſtunt, puta ius eligendi, ius inſtituendi, & ſimilia. Res corporales dicuntur, quæ aliquo humano ſenſu percipi poſſunt, & huiuſmodi ſunt Sacramenta, res ſacræ ac religioſæ, &c.

4. His prænotatis, iuxta communem methodum Canoniſtarum, ſpecialem tractatum de rebus incorporalibus hic non inſtituimus, cum plura ad illas concernentia dicta iam ſint in prima parte Inſtitutionum, aliaque plura dicenda ſint infra ſuis in locis; ſed immediate progredimur ad tractandum de corporalibus, ac primum de Sacramentis, quæ earundem rerum ſunt nobiliſſima ſpecies, dicturi poſtea de rebus ſacris, & religioſis, & vltimo loco de temporalibus.

TIT. II.

De Sacramentis in genere.

1. SAcramentum in genere definitur à Magiſtro *in 4.diſt.1.c. Quid ſit Sacramentum: inuiſibilis gratiæ uiſibilis forma, eiuſdem gratiæ ſimilitudinem gerens, & cauſa exiſtens.* Hæc definitio vtpote aliquantulum ſuboſcura, ſolet in hunc, vel alium ſimilem modum à recentioribus Theologis reformari: *Signum ſenſibile à Chriſto Domino ſtabiliter inſtitutum, collatiuum ſanctificantis gratiæ, ex opere operato, cuicumque obicem non ponenti.*

2. Conſtituitur ex rebus, & verbis, tamquam ex materia, & forma, iuxta Conc.Florent.in inſtruct. ad Armenos: quia res, quæ ſecundum ſe non ſignificarent practice, ſeu cauſatiue gratiam, determinantur per verba ad eandem ita ſignificandam. Cum autem inſtitutio Sacramenti proceſſerit à libera voluntate Chriſti Domini, qui annectere potuit, & voluit aliquibus potius ſenſibilibus ſignis, quam alijs gratiam infallibiliter conferendam; ſequitur illis tantummodo rebus, illiſque verbis quodlibet Sacramentum conſtare, quibus ſecundùm ſubſtantiam à Chriſto

Domino eſt inſtitutum, itaut ſi eadem ſubſtantialiter mutentur, Sacramentum non ponatur.

3. Sed & ad validitatem Sacramenti requiritur etiam in Miniſtro intentio faciendi quod facit Eccleſia ex *Florent. in loco cit.* & *Trid. ſeſſ. 7. can* 11. quæ intentio iuxta communem ſententiam debet eſſe vel actualis, vel ſaltem virtualis: vtraque enim aliquo modo influit ſiue per ſe, ſiue per aliquid à ſe relictum in actionem ſacramentalem externam, & vtraque ſatis eſt ad operandum moraliter humano modo; ſola autem intentio habitualis, nempe intentio præterita nõ retractata, quę nullo modo influat in prædictam actionem externam, ad Sacramentum non ſufficit, vt tradit communis Theologorum ſententia, teſte Suar. *to. 3. in 3 p. diſp. 13. ſect. 3.*

4. Septem ſunt nouæ legis Sacramenta à Chriſto Domino inſtituta, iuxta definitionem Tridentini *ſeſſ. 7. can. 1.* videlicet Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, extrema Vnctio, Ordo, & Matrimonium. Quæ multum differunt à Sacramentis antiquę legis. Illa enim non cauſabant gratiam, ſed eam ſolum per paſſionem Chriſti dandam figurabant. Hæc verò noſtra, & continent gratiam, & ipſam dignè ſuſcipientibus conferunt, ex *Florent. in cit. inſtruct. ad Armenos.* Ho-

5. Horum quinque prima ad ſpiritualem vniuſcuiuſque hominis in ſe ipſo perfectionem, duo vltima ad totius Eccleſiæ regimen, multiplicationemque ordinata ſunt. Per Baptiſmum enim ſpiritualiter renaſcimur: per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide: renati autem & roborati, nutritudine Diuina Euchariſtiæ alimonia. Quod ſi per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam ſpiritualiter ſanamur. Spiritualiter etiam & corporaliter (prout animæ expedit) per extremam Vnctionem. Per Ordinem verò Eccleſia gubernatur & multiplicatur ſpiritualiter: per Matrimonium corporaliter augetur. *Florent. in loco cit.*

6. Inde fit, iſtorum Sacramentorum quædam eſſe neceſſaria, itaut prætermitti libere non poſſint. Talia ſunt Baptiſmus, quia ex Euang. Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnum Dei.* Item Confirmatio, quæ in homine baptizato prætermitti non debet, niſi morte præueniente, ex *c. 1. & c. De his 3. de conſecr. diſt. 5.* Item Euchariſtia, quæ ad minus ſingulis Annis in Paſcha ſuſcipi debet ab omnibus vtriuſque ſexus fidelibus, ex *c. Omnis vtriuſque 12. de pœnit. & remiſſionib.* Item Pœnitentia, quæ neceſſaria ſpecialiter eſt ei qui lapſus fuerit

rit in lethale peccatum ex *Trid. ſeſ.* 14. c. 1. & præterea ex eod. c. *Omnis vtriuſque* ſuſcipi debet ſaltem ſemel in anno ab omnibus vtriuſque ſexus fidelibns. Demum extrema Vnctio, quę conferri debet grauiter ęgrotantibus, de quorum morte probabiliter timeri poteſt. Sed de his omnibus ſermo erit infra in particulari, vbi in particulari de his Sacramentis ſermo erit.

7. Alia autem dicuntur Sacramenta voluntaria quia ſcilicet ſine ſalutis ęternæ diſpendio pro cuiuſcumque arbitrio regulariter ſuſcipi poſſunt, aut non ſuſcipi, qualia ſunt Ordo, & Matrimoniū.

8. Rurſus ex prędictis ſeptem Sacramentis, alia ſunt, quæ imprimunt in anima characterem, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, vnde iterari non poſſunt, in quo genere ſunt Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, ex *Trid ſeſſ. 7. can. 9.* Alia, quæ characterem nullum imprimunt, vnde eadem iterari minime prohibentur, qualia ſunt Eucharistia, Pœnitentia, extrema Vnctio, & Matrimonium *Florent. in loco cit.*

9. Cum autem iſtorum omnium Sacramentorum Chriſtus Dominus fuerit Inſtitutor, vt ſupra dictum eſt ex *Trid. ſeſſ. 7. can. 1.* idem quoque Dominus eſt, qui in ſingulis Sacramentis principaliter operatur, vnde homines Sacramenta

admi-

administrantes ſunt tantūmodo eius Miniſtri, nec propriam perſonam referunt, ſed Domini qui Sacramenta inſtituit. Inde eſt qnod quamuis ijdem in adminiſtratione Sacramentorum debeant eſſe immunes a culpa mortali; ſi tamen contingat eos malos eſſe, nihilominus, quamuis illicite, valide tamen Sacramenta conficiunt, dummodo omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, ſeruauerint, vt definitur a Trid in cit. *ſeſſ.* 7. *can.* 12.

TIT. III.

De Baptiſmo, & eius effectu.

1. HIs circa Sacramenta generaliter præcognitis, agendum primo eſt de Sacramento Baptiſmi, quod vt in loco ſupracitato loquitur Conc. Florentinum, *vitæ ſpiritualis ianua eſt: per ipſum enim membra Chriſti, ac de corpore efficimur Eccleſiæ, Et cum per primũ hominem mors introierit in vniuerſos, niſi ex aqua & Spiritu Sancto renaſcimur, non poſſumus (vt inquit Veritas) in regnum Cœlorum introire.*

2. Baptiſmus latè ſumptus diuidi ſolet in Baptiſmum fluminis, Baptiſmum flaminis, & Baptiſmum ſanguinis. Baptiſmus ſanguinis eſt Martyrium, ita dictum

ctum, quia ſicut Sacramentum Baptiſmi per aquam emundat a culpa; ita & Martyrium, quod prodeſt etiam infantibus ante vſum rationis, ſi illud patiantur in odium fidei, ex *c. Baptiſmi vicem.* 33. *de conſecr. diſt* 4.

3. Baptiſmus flaminis dicitur perfecta cótritio vel dilectio Dei ſuper omnia, ea præſertim quæ antecedit realem Sacramenti Baptiſmi ſuſceptionem & includit votum eius, quæ etiam a peccatis emundat, ex *Trid. ſeſſ.* 14. *c* 4. vnde quoad hunc effectum ſupplet vicem Baptiſmi aquæ. Dicitur autem Flaminis, ideſt Spiritus Sancti, quia amor Charitatis, & perfectę contritionis tribuitur inſpirationi, & adiutorio Spiritus Sancti.

4. Vterque tamen iſte Baptiſmus eſt ſolum metaphorice Baptiſmus, neuterque eſt proprie Sacramentum nouæ legis a Chriſto Domino inſtitutum; imo neuter excuſat per ſe a reali ſuſceptione Baptiſmi fluminis, ſuppoſito quod hic ſuſcipi poſſit ex *c. Non dubito* 149. *de conſecr. diſt.* 4. quia datur generale præceptum illius ſuſcipiendi, ijs verbis intimatum *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* quemadmodum propter præceptum ſubijciendi clauibus Eccleſię omnia peccata mortalia, non excuſatur quis a confeſſione Sacramentali ex eo quod de ſuo peccato mortali actum perfectæ contritionis elicuerit.

So-

5. Solus igitur Baptiſmus fluminis, hoc eſt qui per aquam miniſtratur, eſt vere, & proprie Sacramentum nouę legis a Chriſto Domino inſtitutum, atque cōficitur per exteriorem corporis ablutionem cum aqua elementari ſub prę́ſcripta verborum forma ſignificante practicè ſeu cauſatiue gratiam, & interiorem animæ ablutionem a culpa.

6. Materia itaque remota Baptiſmi eſt aqua naturalis, ſeu elementaris, vt clare colligitur ex illo Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua* &c. & definitur a Trid. *ſeſ. 7. can. 2* poſt Florentinum in inſtruct ad Armenos. Aliæ igitur aquarum ſpecies artificiales, quales ſunt quæ ex herbis, aut floribus exprimuntur, non ſunt apta materia Sacramento: quod idem de omni alio liquore differente ſpecie ab aqua naturali dicendum eſt iuxta communem Doctorum ſententiam.

7. Materia autem proxima Baptiſmi eſt ablutio: hęc enim per formam Baptiſmi, (*Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti* ex c. 1. *de Baptiſmo, & eius effectu*), determinatur ad practice ſeu cauſatiue ſignificādam interiorem animę ablutionem. Conſiſtit ea ablutio in contactu ſuceſſiuo aquę ad corpus baptizati, fierique valide poteſt vel per immerſionem corporis in aquam; vel

per aſperſionem ſeu effuſionem aquæ in corpus. Olim de præcepto fiebat trina immerſione, vt conſtat ex *c. Si quis presbiter* 78. alijſque *de conſecr. diſt.* 4. idque ex duplici ratione, vt indicatur in *c. Poſtquā vos* 77. *ead. diſt.* Primo quia illa demerſio typum exprimebat Dominicæ ſepulturæ, a qua Dominus tertia die reſurrexit: ſecundo vt Baptiſmus conferretur in nomine Sanctę Trinitatis, non ſolum verbo, ſed etiam facto, ad confutandum expreſſius Eunomitarum, aliorumque hæreticorum errorem, qui à Baptiſmo excludebant Sanctæ Trinitatis inuocationem; quorum hęreſis cum poſtea euanuiſſet, ceſſauit iam pluribus in locis obligatio illa trinę immerſionis. Debet tamen quoad hanc ſeruari Eccleſiæ Diœceſanæ conſuetudo, vt Baptiſmus non ſolum valide, ſed etiam licite miniſtretur: alicubi enim eſt conſuetudo baptizandi per immerſionem; alibi autem per effuſionem. Colligitur ex *c. de trina* 79. *de conſecr. diſt.* 4.

8 Subiectum capax Baptiſmi eſt omnis homo viator, non ſolum adultus, ſed etiā Infans ſtatim ac ex vtero matris prodijt *c. firmiter de Sūma Trinit. & Fide Cathol. c maiores* 3. *de Bapt. & Trid. ſeſ.* 7. *de Bapt. can.* 13. Imo in caſu neceſſitatis poſſe baptizari Infantem antequam totus de vtero matris prodierit, dummodo ſaltem

tem natus ſit ſecundum aliquam notabilem ſeu principalem ſui partem in qua Baptiſmus perfici poſſit, oſtendit praxis Eccleſiæ.

9. Illud tamen diſcrimen eſt inter Infantem qui baptizetur, & inter adultum, quod in Infante nulla ex parte ipſius diſpoſitio prærequiratur, quia Chriſtus, & Eccleſia eorum voluntatem, & intentionem ſupplet, vt docet D. Th. ab omnibus receptus 3. *p. q.* 68 *art.* 9. *ad* 2. At in adultis, vt valide, & licite Baptiſmum recipiant, requiritur intentio, ſaltem præterita quæ moraliter duret, & retractata non ſit, ſuſcipiendi Baptiſmum, vt ſumitur ex cit. *c. Maiores*, alijſque traditis a Suar. *to.* 3. *in* 3 *p. diſp* 24. *ſect.* 1. Item vt iiſdem Baptiſmus digne miniſtretur, opus eſt vt habeant fidem Trinitatis & Ieſu Chriſti &c. vnde debent prius inſtrui in articulis fidei, & in præceptis a Chriſtiano ſeruandis, iuxta illud Chriſti Domini Matth. vlt. *Docete omnes gentes, baptizantes &c.* & illud Marci vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit* &c. Denique opus eſt vt habeant contritionem ſeu attritionem de peccatis commiſſis, iuxta illud Actor. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum &c.* Deſumuntur etiam hæc ex *cit. c. Maiores* 3. *de Baptiſmo.*

10. Miniſter Baptiſmi, quoad Sacramenti

menti valorem, & in caſu neceſſitatis poteſt eſſe quilibet, non ſolum Sacerdos, vel Diaconus, ſed etiam laicus, & mulier; imo etiam paganus, & hæreticus, dummodo formam ſeruet Eccleſiæ, & facere intendat quod facit Eccleſia, ex *Florent. in decr. ad Armenos, c. firmiter de Summa Trinit.* Trid. *ſeſ. 7. de Bapt. can. 4. c. mulier 19. c. in neceſſitate 20. c. Romanus 22. alijſque de conſecrat. diſt. 4.*

11. Vt autem Baptiſmus non ſolum valide, ſed etiã licite adminiſtretur, ſecluſo caſu neceſſitatis, conferri ſolum debet ab eo qui iuriſdictionem habeat tamquã Paſtor Eccleſiaſticus in eo loco vbi habitat baptizandus; adeoq; tale munus competit tum Epiſcopis tum etiam Parochis ex officio ſuo reſpectu ſuorum Parochianorum: reliquis autem Sacerdotibus ex defectu Iuriſdictionis non competit extra caſum neceſſitatis, aut niſi illis committatur ex Epiſcopi, vel Parochi delegatione. Videri poteſt Vaſq. *to. 2. in 3. p. diſp. 147. c. 3.*

12. Item vt Baptiſmus licite adminiſtretur, conferri debet non in priuatis domibus, ſed dumtaxat in Eccleſijs, vbi ſunt fontes ad hoc ſpecialiter deputati, vt conſtat ex *Clem. vn. de Baptiſmo,* vbi duo tantum caſus excipiuntur, videlicet: Niſi Regum vel Principum, qui-

bus

bus valeat in hoc caſu deferri, liberi extiterint, aut talis neceſſitas emerſerit, propter quam nequeat ad Eccleſiam abſque periculo, propter hoc acceſſus haberi.

13. Solemnitates, & ritus in Baptiſmo ſeruandi quinam ſint, videri poteſt in rituali. Inter reliqua illud eſt, vt præter perſonam baptizantem & perſonam baptizati, interueniat etiam aliquis, qui baptizatum leuet de Sacro fonte, & in ſui tutelam & fidem ſuſcipiat, erudiẽdum poſtea in doctrina, & bonis moribus, quod ſeruatur ex veteri Eccleſiæ conſuetudine, & indicatur in *c. Non plures* 100. *c. Vos ante* 104 *de conſecr. diſt.* 4. & jn toto tit. *de cognation. ſpirit.* Qui tali munere fungatur, vocari ſolet Compater ſiue Patrinus, vt vocatus etiam fuit ab Higino Papa in *c. in Cathechiſmo* 99. *ead. diſt.*

14. Munus patrini ſuſcipi poteſt a quolibet baptizato rationis compote, ſiue ſit vir, ſiue mulier: a qua tamen generali regula excipitur Abbas vel Monachus, ex *c. Non licet* 102. & *c. Monachi* 103. *de conſecr. diſt.* 4. eo quod ipſum non deceat familiaritatem contrahere cum parentibus baptizati, imo & cognationem ſpiritualem, de qua mox dicetur. Item ex alia ratione excipiuntur hæretici, & ij qui ſint moribus infames,

quia ſcilicet non ſunt idonei ad rite inſtruendum baptizatum, ad quod ordinatur munus Patrini. Videri poteſt Caſtrop. *p. 4. tract. 19. pun. 11. §. 1.*

15. Antiquitus nonniſi vnus patrinus in Baptiſmo adhiberi potuit ſiue vir, ſiue mulier, vt conſtat ex *c. Non plures 100. & c. In Cathechiſmo 99. de conſecr. diſt. 4.* Poſtea ſucceſſu temporis introductum fuit vt plures adhiberentur, vt colligitur ex *c. fin. de cognat. ſpirituali in 6.* At Conc. Trid. *ſeſſ. 24. de refor. matrim. c. 2* ſtatuit iuxta priſtina inſtituta vt vnus tantum, ſiue vir, ſiue mulier, vel ad ſummum vnus & vna baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant. Non poſſunt igitur plures viri, vel plures fęminę in patrinos ſuſcipi; ſed tantummodo deſignandus eſt & admittendus vnus tantum vir aut vna fęmina, vel ad ſummum duo, vir & fęmina.

16. Illud quoque Iuris in patrino ſeruatur, vt inter ipſum & inter baptizatum, & illius patrem, & matrem ſpiritualis cognatio contrahtur, quæ eſt impedimentum dirimens matrimonij contrahendi vt conſtat ex toto titulo *de cognat ſpirit. & ex cit. c. 2. Trident.* Vbi etiam additur ſimilem cognationem contrahi inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem; & quod ſi alij, vltra deſignatos, baptizatum

teti-

tetigerint, cognationem nullo pacto contrahant: De hoc impedimento reſultante ex cognatione ſpirituali ſermo etiam recurret infra, vbi de Sacramento Matrimonij.

TIT. IV.

De Sacramento Confirmationis.

1. QVemadmodum homo poſtquam carnaliter natus eſt, augmentatione opus habet, & virium corroboratione; ita quicumq; ſpiritualiter regeneratur per Baptiſmum, corroborari debet per gratiam Spiritus Sancti, per quam armatus, & inſtructus confirmetur ad pugnam: & ad hoc fuit à Chriſto Domino inſtitutum Sacramentum Confirmationis, ex *c. Spiritus Sanctus 2. de Conſecr. diſt. 5. & Trid. ſeſſ. 7. de Confirmatione can. 1. & 2.*

2. Vſus huius Sacramenti fuit a primis vſque Eccleſiæ temporibus ex inſtitutione Chriſti, quidquid in contrarium dixerint recentiores hæretici, contra quos late diſputat Bellar. *to. 2 Controu. lib. 2.* Videri etiam poteſt Suar. Doctor Eximius *tom. 3. in 3. p. diſp. 32. ſect. 1.*

3. Materia remota huius Sacramenti eſt Chriſma confectum ex oleo, quod

nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto, ex Florent. *in inſtru . . ad Armenos, & c. vn. de Sacra Vnctione*, Materia proxima eſt vnctio Chriſmatis per Epiſcopum benedicti, ea ratione, qua in præced. tit. n. 7. dictum eſt, materiam proximam Baptiſmi eſſe ablutionem. Debet autem ea vnctio per manum Epiſcopi fieri in fronte confirmandi, vbi verecundiæ ſedes eſt, in figuram Crucis ſub hac verborũ forma: *Signo te ſigno Crucis, & Confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, ne videlicet Confirmatus Chriſti nomen confiterĩ erubeſcat, & præcipue Crucem eius, quæ Iudæis eſt ſcandalum, gentibus autem ſtultitia, ex Flor. *in loco cit.*

4. Ordinarius Miniſter Confirmationis eſt Epiſcopus, *c. de his 3. de conſecr. diſt. 5. c. Presbiteri 119. de conſecr. diſt. 4. c. quanto 4. de conſuet. Trid. ſeſs. 7. de Confir. can. 3. & Flor. in cit. decreto fidei ad Armenos*. Ex ſpeciali tamen & extraordinaria delegatione Summi Pontificis poſſe ſimplicem Sacerdotem ex rationabili, & vrgente admodum cauſa miniſtrare Sacramentum Confirmationis Chriſmate per Epiſcopum confecto, docent paſſim Authores, ſumiturque ex *c. Peruenit 1. diſt. 95.* ipſumque

Con-

Concilium Florent. in loco citato aſſe-rit, legi id aliquando factum eſſe per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ex ra-tionabili, & vrgente admodum cauſa.

5. Sed & opus eſt, vt ſit Epiſcopus proprius confirmandi: cum enim licita miniſtratio huius Sacramenti exigat iu-riſdictionem in perſonam cui Sacra-mentum miniſtrandum eſt; nemo po-teſt, quantumuis Epiſcopus, alienum ſub-ditum confirmare, ſine debita facultate, vt ex omnium ſententia tradit Syluester *v. Confirmatio diuina q. 5.* Suarez. *to. 3. in 3 p. diſp. 38. ſect. 2.* in fine, & Ca-ſtrop. *tract. 20. puncto 9. n. 7.* Item ex Trid. *ſeſs. 6. de refor. cap. 5.* debet Con-firmatio ab Epiſcopo in propria diœceſi miniſtrari: aliàs ſi in aliena diœceſi ir-requiſito proprio Epiſcopo hoc Sacra-mentum etiam ſibi ſubditis miniſtraret, eſſet ipſo iure ſuſpenſus ab exercitio Pontificalium. Illud quoque diligen-ter ſeruandum ab eo eſt, vt nonniſi Chriſmate eo anno conſecrato vtatur in adminiſtratione Sacramenti: ſi enim veteri (niſi præoccupante morte) vtere-tur, peccaret mortaliter, vt ſumitur ex Epiſt. 2. Fabiani Papæ *c. Quoniam 19. de ſent. excom. in 6.* iuncta ibid. Gloſ. *ver. dubium non exiſtit.*, *&* *cap. Si quis de alio 121. de conſecr. diſt. 4.* vbi eſt ſermo de vnctione Chriſmatis, quæ ſit in Bap-

tiſmo, eſt autem maior ratio de vnctione Confirmationis, vt recte notat Suar. in loco ſupra citato.

6. Omnibus baptizatis miniſtrari debet hoc Sacramentum, vt pleni Chriſtiani inueniantur, ex *c. 1. de Conſecr. diſt. 5.*, & nonniſi ſemel, cum ſit de genere eorum Sacramentorum, quę characterem imprimunt, adeoque reiterari non poſſunt, vt ſupra dictum eſt in hac ſecunda parte Inſtitutionum *tit. 2. num 8.* Non tamen debet miniſtrari pueris antequam vſum rationis habeant: non enim Confirmatio ad ſalutis neceſſitatem inſtituta eſt, ſicut Baptiſmus; ſed vt eius virtute optime inſtructi, & parati inueniremur, cum nobis pro Chriſti fide pugnandum eſſet: ad quod ſanè pugnæ genus pueros qui adhuc vſu rationis carent, nemo aptos iudicarit, ex *Cathec. Rom. B. Pij V. 2. p. c. 3. n. 14.*

7. Inde fit, ex eod. Catech. ibid. n. 15. vt qui adulta iam ætate confirmandi ſunt, ſi huius Sacramenti gratiam, & dona conſequi cupiant, eos non ſolum fidem, & pietatem afferre, ſed grauiora etiam peccata, quæ admiſerunt, ex animo dolere oporteat. Qua in re etiam elaborandum eſt, vt peccata etiam prius confiteantur, & Paſtorum cohortatione ad ieiunia, & alia pietatis opera ſuſcipienda incitentur, admoneanturque laudabi-

dabilem illam antiquæ Eccleſiæ conſuetudinem renouandam eſſe, vt nonniſi ieiuni, hoc Sacramentum ſuſciperent.

8. Effectus Confirmationis multiplex eſt. Primò enim eſt augmentum gratiæ per Baptiſmum receptæ, vt Chriſtianus audacter Chriſti confiteatur nomen, vt dicitur in cit. decreto Conc. Florentini. Dixi *augmentum gratiæ*: quia Confirmatio numeratur inter ea Sacramenta, quæ dicuntur Sacramenta viuorum, eo quod per ſe poſtulet ſuſcipientem eſſe in gratia conſtitutum. Alius quoque eiuſdem effectus eſt ſpeciale auxilium ſuo tempore concedendum ad fidem abſque vllo timore, cum opus fuerit, confitendam, vt docet communis Theologorum ſententia, teſte Suar. *to*. 3. *in* 3. *p. diſp* 34. *ſect.* 2. Alius denique effectus eſt character indelebiliter Animæ inhærens, vnde reiterari non poteſt, vt paulo ante indicatum eſt, ſumiturque ex *c. De homine* 9. *de conſecr. diſt.* 5. & ex Trid. *ſeſſ.* 7. *de Sacramentis in genere can.* 9.

9. Præter reliquas ſolemnitates in Confirmatione adhibendas, quæ videri poſſunt in Pontificali, etiam illa ſeruatur, quam ſeruari diximus in Baptiſmo; vt videlicet interveniat Patrinus, qui teneat confirmandum, de quo ritu ſermo eſt in *c. Si quis filiaſtrum* 2. & *c. De his*

6. 30. q. 1. eiuſque ratio recte traditur à *Catechiſ. Rom. in loco ſupra citato n. 14.* quia videlicet ſicut qui progreditur ad certamen, indiget aliquo, cuius arte, atque conſilio doceatur Aduerſarium, vincere; ita qui Sacramento Confirmationis quaſi firmiſſimis armis tectus, ac munitus, deſcendit in ſpirituale certamen, cui æterna ſalus propoſita eſt, indiget duce, ac Monitore; quale munus ſuſcipitur à Patrino.

10. Sicut autem, ex ſupradictis, in Baptiſmo contrahitur ſpiritualis cognatio inter Patrinum, & baptizatum, eiuſque Patrem, & Matrem, necnon inter baptizantem, & baptizatum eiuſq. Patrem, & Matrem; ita & in Confirmatione cognatio ſimilis cõtrahitur, quę pariter non egreditur Confirmantem, & Confirmatũ, illiuſq. Patrem, & Matrem, ac Tenentem, vt decreuit Trid. *ſeſs. 24. de refor. matrim. c. 2.* de qua cognatione ſermo etiam erit infra vbi de Sacramento Matrimonij.

TIT. V.

De Venerabili Euchariſtiæ Sacramento.

1. EXcellentiſſimum, inter omnia reliqua, Sacramentum, eſt Euchariſtia in qua præter id quod eſt cæteris Sacramentis commune nempe ſymbolum eſſe rei ſacræ, & inuiſibilis gra-

gratiæ formam viſibilem, illud excellens, & ſingulare reperitur, quod reliqua Sacraměta tunc primùm ſanctificandi vim habent, cum quis illis vtitur; at in Euchariſtia ipſe ſanctitatis Author aute vſum eſt, ex Trid. *ſeſſ.* 13. *cap.* 3.

2. Hoc Sacramentum fuit inſtitutum à Chriſto Domino in vltima Cœna illius noctis, in qua traditus fuit in mortem pro omnium hominum redemptione, in eoque diuitias Diuini ſui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium ſuorum; & in illius ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit, ſuamque annuntiare mortem, donec ipſe ad iudicandum mundum veniat, ex cit. *ſeſſ.* 13. *cap.* 2. Eius autem eſſentia in eo eſt, quod ſub ſpeciebus Panis, & vini vere, & proprie contineatur Corpus, & Sanguis Chriſti Domini, cum eius Anima, & Diuinitate: panis enim vinique ſubſtantia nullatenus remanet poſt verba conſecrationis, & propterea ea mirabilis conuerſio panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Domini, conuenienti & proprio vocabulo Tranſubſtantiatio eſt appellata, ex ead *ſeſſ.* 13. *c.* 4 *can.* 1. *&* 2.

3. Materia igitur remota huius Sacramenti eſt panis triticeus, & vinũ de vite, vt manifeſte colligitur tum ex Euangeliſtarũ hiſtoria, tum ex *Con Flor. in decr. fi-*

dei

dei ad Arm., & ex Trid. *in cit. ſeſſ. 13. c. 1.* Debet autẽ eſſe panis vſualis, qualis venit nomine panis ſimpliciter, ſiue ſit azimus, ſiue fermẽtatus: quãuis de neceſſitate præcepti ſeruari debeat mos Eccleſię, adeoque in Eccleſia latina omnes Sacerdotes teneantur in azimo conſecrare, in Eccleſia autem Græca in fermentato, vt expreſſe tradidit Conc. Florent. §. *Item in azimo*. Vinum pariter debet eſſe vſuale de vite, ſeu ex vuis expreſſum, vnde alij liquores, & acetum ipſum quamuis ex vino fiat, nullatenus ſunt apta materia conſecrationis. Debet autem de neceſſitate præcepti admiſceri vino modicum aquæ, vt ex perpetua Eccleſiæ traditione docuit Flor. *in cit. decr. fidei ad Armenos*, & Trid. *ſeſſ. 22. c. 7.* tum quod Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur, tum etiam, quia è latere eius aqua ſimul cum Sanguine exierit: quod Sacramentum hac mixtione recolitur. Et cum aquæ in Apocalypſi Beati Ioannis populi dicantur, ipſius populi fidelis cum capite Chriſto vnio repræſentatur, vt ibid. loquitur Trid.

4. Forma huius Sacramenti duplex eſt. Vna per quam conſecrantur ſpecies panis, nempe *Hoc eſt enim Corpus meum*, altera per quam conſecrantur ſpecies vini, ſcilicet *Hic eſt enim Calix Sanguinis mei noui, & æterni teſtamenti, &c* Ea enim

enim ſunt Verba Saluatoris, quibus Sacerdos in Perſona Chriſti loquens hoc conficit Sacramentum, ex *Florent. cit.* eorumque virtute verborum, ſubſtantia panis in Corpus Chriſti & ſubſtantia vini in Sanguinem conuertuntur, ita tamen quòd totus Chriſtus continetur ſub ſpecie panis, & totus ſub ſpecie vini, ſub qualibet quoque parte Hoſtiæ cõſecratæ, & vini conſecrati, ſeparatione facta, totus eſt Chriſtus, vt ibid. loquitur Florent. vi ſcilicet naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui iam ex mortuis reſurrexit non amplius moriturus, inter ſe copulantur, ex *Trid. ſeſſ. 13. c. 3.*

5. Miniſter huius Sacramenti eſt omnis & ſolus Sacerdos, cui ea poteſtas in Sacra Ordinatione Presbiteratus tribuitur, indicaturque etiam *à Trid. ſeſs. 22. c.1.* qui vtcumque malus ſit, valide conſecrat, quamuis illicite, dummodo debitam materiam, & formam adhibeat cum intentione, vel formali, vel ſaltem virtuali conſecrandi, vt ſupra dictum eſt vbi de Sacramentis in genere, ex *Trid ſeſſ. 7. can. 11. & 12.* Vt autem etiam licite conſecret, debet eſſe in gratia conſtitutus. Quod ſi alicuius peccati mortalis ſibi conſcius ſit, quantumuis ſibi contritus videatur, præmittere debet Sacramentalem Confeſſionem,

nem, etiamſi illi ex officio incumbat celebrare, modo illi non deſit copia Confeſſoris. Quod ſi neceſſitate vrgente Sacerdos abſque præuia Confeſſione celebrauerit, quamprimum confiteatur, vt præcipitur a *Trid. ſeſſ.* 13. *c.* 7.

6. Subiectum capax recipiendi Euchariſtiam eſt omnis homo baptizatus, qui ſufficienter vſum rationis habeat, quo diſcernere poſſit cibum iſtum cœleſtem à cibo vulgari, & ad illius ſuſceptionem actuali ſe deuotione diſponere, vt habetur *ex Catech. Rom c.* 4. *n.* 62. dummodo tamen tum ex parte animæ, tum etiam ex parte corporis debitas diſpoſitiones habeat, quæ vel de iure Diuino, vel de iure Eccleſiaſtico requiruntur.

7. Inter reliquas autem diſpoſitiones ex parte animæ requiſitas ea eſt quæ indicatur à Paulo 1. Corint. 11. in illis verbis: *Probet autem ſeipſum homo: & ſic, de Pane illo edat, & de Calice bibat*, quam probationem ad communicandum neceſſariam Eccleſiaſtica conſuetudo dedeclarat, eſſe eam, vt nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat, vt definit Trid. in cit. *ſeſſ.* 13. *c.* 7. Concordat textus in *c. Qui ſcelerate* 24. alijſque iuribus *de conſecr. diſt.* 2.

8 Diſ-

8. Diſpoſitio neceſſaria ex parte corporis eſt ieiunium perfectum, & naturale, itaut excludat cuiuslibet vel minimi cibi, & potus vitalem ſumptionem ante perceptionem Euchariſtiæ à media nocte præuia illius diei, in quo ſumenda eſt. Colligitur hoc ex *c. Ex parte 5. de celebrat. Miſſar.*, *cap. Sacramenta Altaris 47. de conſecr. diſt.* 1. & ex alijs iuribus. Conſuetudinem hanc ab Apoſtolis emanaſſe, abunde teſtantur antiquiſſimi Eccleſiæ Patres, Epiphanius *lib 3. contra hæreſes* in fine, Nazianz. *orat. 40. quæ eſt de Baptiſmo* ſub finem, Chriſoſt. *hom. 27. in 1. ad Corint.*, alijque citati à Suar. *to. 3. in 3. p. diſp. 66. ſect.* 3. Quamuis enim Chriſtus Dominus hoc Sacramentum inſtituerit, poſtquam Paſcha cum Diſcipulis manducaſſet; id tamen fecit, non vt Diſcipuli eundem ritum in Eccleſiam introducerent percipiendi Euchariſtiam poſt cœnam; ſed quia cum vetus Paſcha eſſet figura Euchariſtiæ, conueniens fuit, vt veritatem figura præcederet. Antiquitùs fuit etiam præceptum, vt ſumpta mane Euchariſtia, continuaretur ieiunium vſq. ad ſextam, & ſumpta hora tertia, vel quarta, ſeruaretur ieiunium vſq. ad veſperas, vt conſtat ex *c. Tribus gradibus 23. de conſecr. diſt.* 2. Sed hoc fuiſſe conſuetudine abrogatum tradit Caſtrop. *tract.* 21. *puncta*

Ho 13. *n.* 10. cum pluribus alijs quos citat ibidem : quamuis maxime deceat cibum non ſumere, quamdiu ſpecies Sacramentales acceptæ creduntur non eſſe conſumptæ.

9. Ab hac tamen generali lege præmittendi ieiunium ſumptioni Euchariſtiæ, excipitur qui ſit in mortis periculo conſtitutus: poteſt enim eidem etiam non ieiuno præberi Euchariſtia tanquam Viaticum vt oſtendit praxis Eccleſiæ. Item excipitur caſus, in quo niſi ſumeretur Euchariſtia a non ieiuno, grauis fieret iniuria eidem Sacramento, vt puta adueniret in manus Infidelium, aut igne conſumeretur &c. Denique caſus excipitur, in quo perfici debet Sacrificium inchoatum, idemque perfici non poſſit niſi a non ieiuno, Videri poteſt Suar. *to.3. in 3. p. diſp. 66. ſect. 6.*

10. Obligatio ſumendi Euchariſtiam diuerſis Eccleſiæ temporibus diuerſa fuit. Tempore naſcentis Eccleſiæ, quia charitas fidelium feruentior erat, & grauior neceſſitas propter infideliū perſecutiones, omnes ſingulis diebus communicabant, vt colligitur a Doctorib. ex *c. Epiſcopus 56 de conſecr. diſt. 1. & c. Peracta 10. de conſec diſt. 2.* vbi præcipitur vt peracta conſecratione omnes communicēt; vnde ſicut vſus audiendi Miſſam erat quotidianus, ita & vſus communicandi.

Po-

Poſtea frigeſcente charitate præceptum fuit vt ſaltem ter in anno Euchariſtia ſumeretur, nempe in Paſchate, & Pentecoſte, & Natali Domini, vt conſtat ex *c. Et ſi non frequentius* 16. *& c. Sæculares* 19. *de conſecr. diſt.* 2. Tandem Innoc. III. in *c. Omnis vtriuſque ſexus* 12. *de pœnit. & remiſ.* propter varias cauſas decreuit vt ſaltem ſemel in anno, nempè in Paſcha ſumatur Euchariſtia, quod prçceptum alijs abrogatis vſque ad hæc tempora viget.

11 Datur preterea obligatio ſumendi Euchariſtiam in periculo mortis, quam obligationem Authores nonnulli docent eſſe de Iure Diuino. Hanc obligationem ſupponere videtur Conc. Nicçnum relatum in *c. de his vero* 9. 26. q. 6., vbi vocat Viaticum neceſſarium. Conſonat etiam Synod. Tridentina *ſeſ.* 13. *cap* 6.

TIT. VI.

De pœnitentijs, & remiſſionibus.

1. SEquitur Pœnitentiæ Sacramentum, quod eſt ſecunda poſt naufragium tabula, a reliquis Sacramentis diſtinctum, & a Chriſto Domino tunc prçcipue inſtitutum, cum a mortuis excitatus, inſufflauit in Diſcipulos ſuos, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum*;

quo-

tentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit, vt ibid. expreſſe Trid. Perfecta igitur contritio, quamuis ſit perfectior, & vtilior materia Sacramenti Pœnitentiæ, non tamen eſt materia neceſſaria, quia etiam contritio imperfecta ſufficit cum Sacramento, ſi prædictas conditiones includat, nempe ſi ſit ſupernaturalis, & voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ. Videri poteſt Suar. Doctor eximius *to 4. in 3. p. diſp. 20. per totam.*

6. Confeſſio, quæ eſt alter pœnitentis actus, reſpicit peccata poſt Baptiſmum commiſſa, vt ſupra diximus ex *Trid. ſeſ. 14. cap. 2.* quæ ſi mortalia ſint, dicuntur materia neceſſaria, quia neceſſarium eſt illa huic Sacramento ſubijcere. Si autem venialia ſint, vocantur materia ſufficiens, quia quamuis poſſint vtiliter in Confeſſione aperiri; quod piorum hominum vſus demonſtrat; taceri tamen citra culpam, multiſque alijs remedijs expiari poſſunt, vt ibidem docet *Trid. cap. 5.* quemadmodum etiam vocari poſſunt materia ſufficiens peccata mortalia aliàs rite confeſſa, quæ quamuis de neceſſitate non ſit, vtile tamen eſt iterum confiteri, vt declarauit Benedictus 11. *Extrau. 1. de priuilegijs §. cæterum licet, inter comm.* Cum

7. Cum autem Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum ſit per modum cuiuſdã Iudicij, in quo Sacerdos tamquam Chriſti Miniſter exercet munus Iudicis, pœnitens autem Rei; inde fit debere aperta, & verecunda Confeſſione omnia, & ſingula peccata mortalia, prout ſunt in conſcientia, aperiri, explicato eorumdem numero, & circumſtantijs mutantibus ſpeciem: Sacerdotes enim hoc iudicium incognita cauſa exercere non poſſunt, nec ab ipſis æquitas ſeruaretur in pœnis iniungendis, ſi pœnitens in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie ac ſingillatim ſua peccata declararet, vt expreſſe docet Trid. in cit. *ſeſſ.* 14. c. 5.

8. Poteſt tamen multipliciter caſus contingere, in quo pœnitens inculpabiliter omittat alicuius peccati mortalis Confeſſionem, & hoc non obſtante effectum Sacramenti conſequatur. Primus caſus eſt, ſi pœnitens habeat phyſicam impotentiam manifeſtãdi aliquod peccatum, puta ſi poſt ſatis diligens conſcientiæ examen, alicuius peccati commiſſi non recordetur: in quo caſu ſatisfacit, ſi reliqua peccata aperiat, quorum memoriam habet: quia in illorum confeſſione intelligitur incluſum etiam peccatum oblitum, dummodo ad illud ſaltem in confuſo, ſeu in genere ſe extendat animi dolor, & deteſtatio,

iuxta

6. 30. q. 1. eiuſque ratio recte traditur a *Cat chiſ. Rom. in loco ſupra citato n.* 14. quia videlicet ſicut qui progreditur ad certamen, indiget aliquo, cuius arte atque conſilio doceatur Aduerſarium vincere; ita qui Sacramento Confirmationis quaſi firmiſſimis armis tectus, ac munitus, deſcendit in ſpirituale certamen, cui æterna ſalus propoſita eſt, indiget duce, ac Monitore; quale munus ſuſcipitur à Patrino.

10. Sicut autem, ex ſupradictis, in Baptiſmo contrahitur ſpiritualis cognatio inter Patrinum, & baptizatum, eiuſque Patrem, & Matrem, necnon inter baptizantem, & baptizatum eiuſq. Patrem, & Matrem; ita & in Confirmatione cognatio ſimilis cõtrahitur, quę pariter non egreditur Confirmantem, & Confirmatũ, illiuſq. Patrem, & Matrem, ac Tenentem, vt decreuit Trid. *ſeſſ. 24. de refor. matrim. c. 2.* de qua cognatione ſermo etiam erit infra vbi de Sacramento Matrimonij.

TIT. V.

De Venerabili Euchariſtiæ Sacramento.

1. EXcellentiſſimum, inter omnia reliqua, Sacramentum eſt Euchariſtia in qua præter id quod eſt cæteris Sacramentis commune nempe ſymbolum eſſe rei ſacræ, & inuiſibilis

gra-

gratiæ formam viſibilem, illud excellens, & ſingulare reperitur, quod reliqua Sacramēta tunc primùm ſanctificandi vim habent, cum quis illis vtitur; at in Euchariſtia ipſe ſanctitatis Author ante vſum eſt, ex Trid. *ſeſs.* 13. *cap.* 3.

2. Hoc Sacramentum fuit inſtitutum à Chriſto Domino in vltima Cœna illius noctis, in qua traditus fuit in mortem pro omnium hominum redemptione, in eoque diuitias Diuini ſui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium ſuorum; & in illius ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit, ſuamque annuntiare mortem, donec ipſe ad iudicandum mundum veniat, ex cit. *ſeſs.* 13. *cap.* 2. Eius autem eſſentia in eo eſt, quod ſub ſpeciebus Panis, & vini vere, & proprie contineatur Corpus, & Sanguis Chriſti Domini, cum eius Anima, & Diuinitate: panis enim viniique ſubſtantia nullatenus remanet poſt verba conſecrationis, & propterea ea mirabilis conuerſio panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Domini, conuenienti & proprio vocabulo Tranſubſtantiatio eſt appellata, ex ead *ſeſs.* 13. *c.* 4 *can.* 1. & 2.

3. Materia igitur remota huius Sacramenti eſt panis triticeus, & vinū de vite, vt manifeſte colligitur tum ex Euangeliſtarū hiſtoria, tum ex *Con Flor. in decr ſi-*

dei

dei ad Arm., & ex Trid. *in cit. ſeſs. 13. c. 1.*
Debet autē eſſe panis vſualis, qualis venit nomine panis ſimpliciter, ſiue ſit azimus, ſiue fermētatus: quāuis de neceſſitate præcepti ſeruari debeat mos Eccleſię, adeoque in Eccleſia latina omnes Sacerdotes teneantur in azimo conſecrare, in Eccleſia autem Græca in ſermentato, vt expreſſe tradidit Conc. Florent. §. *Item in aximo*. Vinum pariter debet eſſe vſuale de vite, ſeu ex vuis expreſſum, vnde alij liquores, & acetum ipſum quamuis ex vino fiat, nullatenus ſunt apta materia conſecrationis. Debet autem de neceſſitate præcepti admiſceri vino modicum aquæ, vt ex perpetua Eccleſiæ traditione docuit Flor. *in cit. decr. fidei ad Armenos*, & Trid. *ſeſs.* 22. *c.* 7. tum quod Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur, tum etiam, quia è latere eius aqua ſimul cum Sanguine exierit: quod Sacramentum hac mixtione recolitur. Et cum aquæ in Apocalypſi Beati Ioannis populi dicantur, ipſius populi fidelis cum capite Chriſto vnio repræſentatur, vt ibid. loquitur Trid.

4. Forma huius Sacramenti duplex eſt. Vna per quam conſecrantur ſpecies panis, nempe *Hoc eſt enim Corpus meum*, altera per quam conſecrantur ſpecies vini, ſcilicet *Hic eſt enim Calix Sanguinis mei noui, & æterni teſtamenti, &c* Ea

enim

enim ſunt Verba Saluatoris, quibus Sacerdos in Perſona Chriſti loquens hoc conficit Sacramentum, ex *Florent. cit.* eorumque virtute verborum, ſubſtantia panis in Corpus Chriſti & ſubſtantia vini in Sanguinem conuertuntur, ita tamen quòd totus Chriſtus continetur ſub ſpecie panis, & totus ſub ſpecie vini, ſub qualibet quoque parte Hoſtiæ cõſecratæ, & vini conſecrati, ſeparatione facta, totus eſt Chriſtus, vt ibid. loquitur Florent. vi ſcilicet naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui iam ex mortuis reſurrexit non amplius moriturus, inter ſe copulantur, ex *Trid. ſeſs. 13. c. 3.*

5. Miniſter huius Sacramenti eſt omnis & ſolus Sacerdos, cui ea poteſtas in Sacra Ordinatione Presbiteratus tribuitur, indicaturque etiam à *Trid. ſeſs. 22. c. 1.* qui vtcumque malus ſit, valide conſecrat, quamuis illicite, dummodo debitam materiam, & formam adhibeat cum intentione, vel formali, vel ſaltem virtuali conſecrandi, vt ſupra dictum eſt vbi de Sacramentis in genere, ex *Trid ſeſs. 7. can. 11. & 12.* Vt autem etiam licite conſecret, debet eſſe in gratia conſtitutus. Quod ſi alicuius peccati mortalis ſibi conſcius ſit, quantumuis ſibi contritus videatur, præmittere debet Sacramentalem Confeſſionem,

nem, etiamſi illi ex officio incumbat celebrare, modo illi non deſit copia Confeſſoris. Quod ſi neceſſitate vrgente Sacerdos abſque præuia Confeſſione celebrauerit, quamprimum confiteatur, vt præcipitur a *Trid. ſeſs. 13. c. 7.*

6. Subiectum capax recipiendi Euchariſtiam eſt omnis homo baptizatus, qui ſufficienter vſum rationis habeat, quo diſcernere poſſit cibum iſtum cœleſtem à cibo vulgari, & ad illius ſuſceptionem actuali ſe deuotione diſponere, vt habetur *ex Catech. Rom c. 4. n. 62.* dummodo tamen tum ex parte animæ, tum etiam ex parte corporis debitas diſpoſitiones habeat, quæ vel de iure Diuino, vel de iure Eccleſiaſtico requiruntur.

7. Inter reliquas autem diſpoſitiones ex parte animæ requiſitas ea eſt quæ indicatur à Paulo 1. Corint. 11. in illis verbis: *Probet autem ſeipſum homo: & ſic, de Pane illo edat, & de Calice bibat*, quam probationem ad communicandum neceſſariam Eccleſiaſtica conſuetudo dedeclarat, eſſe eam, vt nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat, vt definit Trid. in cit. *ſeſs. 13. c. 7.* Concordat textus in *c. Qui ſcelerate 24.* aliiſque iuribus *de conſecr. diſt. 2.*

8 Diſ-

8. Diſpoſitio neceſſaria ex parte corporis eſt ieiunium perfectum, & naturale, itaut excludat cuiuslibet vel minimi cibi, & potus vitalem ſumptionem ante perceptionem Euchariſtiæ à media nocte præuia illius diei, in quo ſumenda eſt. Colligitur hoc ex *c. Ex parte 5. de celebrat. Miſſar.*, *cap. Sacramenta Altaris 47. de conſecr. diſt. 1.* & ex alijs iuribus. Conſuetudinem hanc ab Apoſtolis emanaſſe, abunde teſtantur antiquiſſimi Eccleſiæ Patres, Epiphanius *lib 3. contra hæreſes* in fine, Nazianz. *orat. 40. quæ eſt de Baptiſmo* ſub finem, Chriſoſt. *hom. 27. in 1. ad Corint.*, alijque citati à Suar. *to. 3. in 3. p. diſp. 66. ſect. 3.* Quamuis enim Chriſtus Dominus hoc Sacramentum inſtituerit, poſtquam Paſcha cum Diſcipulis manducaſſet; id tamen fecit, non vt Diſcipuli eundem ritum in Eccleſiam introducerent percipiendi Euchariſtiam poſt cœnam; ſed quia cum vetus Paſcha eſſet figura Euchariſtiæ, conueniens fuit, vt veritatem figura præcederet. Antiquitùs fuit etiam præceptum, vt ſumpta mane Euchariſtia, continuaretur ieiunium vſq. ad ſextam, & ſumpta hora tertia, vel quarta, ſeruaretur ieiunium vſq. ad veſperas, vt conſtat ex *c. Tribus gradibus 23. de conſecr. diſt. 2.* Sed hoc fuiſſe conſuetudine abrogatum tradit Caſtrop. *tract. 21. pun-*

cto 13. *n.* 10. cum pluribus alijs quos citat ibidem : quamuis maxime deceat cibum non ſumere, quamdiu ſpecies Sacramentales acceptæ creduntur non eſſe conſumptæ.

9. Ab hac tamen generali lege præmittendi ieiunium ſumptioni Euchariſtiæ, excipitur qui ſit in mortis periculo conſtitutus: poteſt enim eidem etiam non ieiuno præberi Euchariſtia tanquam Viaticum vt oſtendit praxis Eccleſiæ. Item excipitur caſus, in quo niſi ſumeretur Euchariſtia a non ieiuno, grauis fieret iniuria eidem Sacramento, vt puta adueniret in manus Infidelium, aut igne conſumeretur &c. Denique caſus excipitur, in quo perfici debet Sacrificium inchoatum, idemque perfici non poſſit niſi a non ieiuno, Videri poteſt Suar. *to.3. in 3. p. diſp. 66. ſect. 6.*

10. Obligatio ſumendi Euchariſtiam diuerſis Eccleſiæ temporibus diuerſa fuit. Tempore naſcentis Eccleſiæ, quia charitas fidelium feruentior erat, & grauior neceſſitas propter inſideliũ perſecutiones, omnes ſingulis diebus communicabant, vt colligitur a Doctorib. ex *c. Epiſcopus 56 de conſecr. diſt.* 1. *& c. Peracta* 10. *de conſec diſt.* 2. vbi præcipitur vt peracta conſecratione omnes communicẽt; vnde ſicut vſus audiendi Miſſam erat quotidianus, ita & vſus communicandi.

Po-

Poſtea frigeſcente charitate præceptum fuit vt ſaltem ter in anno Euchariſtia ſumeretur, nempe in Paſchate, & Pentecoſte, & Natali Domini, vt conſtat ex *c. Et ſi non frequentius* 16. & *c. Seculares* 19. *de conſecr. diſt.* 2. Tandem Innoc. III. in *c. Omnis vtriuſque ſexus* 12. *de pœnit. & remiſ.* propter varias cauſas decreuit vt ſaltem ſemel in anno, nempè in Paſcha ſumatur Euchariſtia, quod preceptum alijs abrogatis vſque ad hæc tempora viget.

11 Datur preterea obligatio ſumendi Euchariſtiam in periculo mortis, quam obligationem Authores nonnulli docent eſſe de Iure Diuino. Hanc obligationem ſupponere videtur Conc. Nicęnum relatum in *c. de his vero* 9. 26. q. 6., vbi vocat Viaticum neceſſarium. Conſonat etiam Synod. Tridentina *ſeſ.* 13. *cap* 6.

TIT. VI.

De pœnitentijs, & remiſſionibus.

1. SEquitur Pœnitentiæ Sacramentum, quod eſt ſecunda poſt naufragium tabula, a reliquis Sacramentis diſtinctum, & a Chriſto Domino tunc precipue inſtitutum, cum a mortuis excitatus, inſufflauit in Diſcipulos ſuos, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum; quo-*

quorum remiſeritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta ſunt. Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis, & eorũ legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, vniuerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit, ex *Trid. ſeſ.* 14. *cap.* 1.

2. Forma huius Sacramenti, in qua præcipue ipſius vis ſita eſt, ſunt ea Miniſtri verba: *Ego te abſoluo &c.* quibus de Eccleſię Sanctę more preces quędam laudabiliter adiunguntur, ad ipſius tamẽ formæ eſſentiam nequaquã ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationẽ ſunt neceſſariæ, vt expreſſe docet Trid. *in cit. ſeſs.* 14. *cap.* 3. Nequit igitur abſolutio dari per nutus, aliaue ſigna a prædictis verbis diſtincta: imo verba illa debent articulata voce proferri, vnde abſens non poteſt abſolui, neque per epiſtolam *ex conſtit. Clementis VIII. edita die* 20. *Iulij* 1602. quæ eſt 87. eiuſdem Pontificis in Bullario.

3. Actus pœnitentis, nempe Contritio, Confeſſio, & ſatisfactio, ſunt quaſi materia eiuſdem Sacramenti, ex Trid. *cit. ſeſs.* 14. *cap.* 3. quæ omnia, nempè abſolutio, & contritio, & confeſſio, & ſatisfactio verſantur circa peccata actua-

lia

lia poſt Baptiſmum commiſſa; & propterea eadem peccata vocari ſolent materia remota, circa quam abolendam actus illi verſantur, vt colligitur ex *ead. ſeſ. c. 2.*

4. Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor, ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero. *Trid. ibid. cap.* 4. Alia eſt perfecta, alia imperfecta. Contritio perfecta eſt, quæ charitate formatur, ſeu concipitur ex motiuo charitatis, hoc eſt propter Deum, ſummamque eius bonitatem ſuper omnia dilectam. Imperfecta contritio, quæ etiam attritio vocari ſolet, dicitur, quando concipitur ex inferiori motiuo, puta ex gehennæ & pœnarum metu, aut ex turpitudinis peccati conſideratione.

5 Contritio charitate perfecta hominem Deo reconciliat, etiam priuſquam Sacramentum Pœnitentiæ actu ſuſcipiatur, *ex cit cap.* 4. *Trid.* quamuis adhuc obligationem relinquat confitendi ſacramentaliter peccata mortalia cōmiſſa, quia *ex eodem Tridentino* ipſa reconciliatio ipſi Contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſt adſcribenda. Contritio imperfecta ſeu attritio, ſi ſit ſupernaturalis, & voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, quamuis ſine Sacramento Pœni-

tentiæ

tentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit, vt ibid. expreſſe Trid. Perfecta igitur contritio, quamuis ſit perfectior, & vtilior materia Sacramenti Pœnitentiæ, non tamen eſt materia neceſſaria, quia etiam contritio imperfecta ſufficit cum Sacramento, ſi prædictas conditiones includat, nempe ſi ſit ſupernaturalis, & voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ. Videri poteſt Suar. Doctor eximius *to* 4. *in* 3. *p. diſp.* 20. *per totam.*

6. Confeſſio, quæ eſt alter pœnitentis actus, reſpicit peccata poſt Baptiſmum commiſſa, vt ſupra diximus ex *Trid. ſeſ.* 14. *cap.* 2. quæ ſi mortalia ſint, dicuntur materia neceſſaria, quia neceſſarium eſt illa huic Sacramento ſubijcere. Si autem venialia ſint, vocantur materia ſufficiens, quia quamuis poſſint vtiliter in Confeſſione aperiri; quod piorum hominum vſus demonſtrat; taceri tamen citra culpam, multiſque alijs remedijs expiari poſſunt, vt ibidem docet *Trid. cap.* 5. quemadmodum etiam vocari poſſunt materia ſufficiens peccata mortalia aliàs rite confeſſa, quæ quamuis de neceſſitate non ſit, vtile tamen eſt iterum confiteri, vt declarauit Benedictus II. *Extrau.* I. *de priuilegijs* §. *cæterum licet, inter comm.*

7. Cum autem Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum ſit per modum cuiuſdã Iudicij, in quo Sacerdos tamquam Chriſti Miniſter exercet munus Iudicis, pœnitens autem Rei; inde fit debere aperta, & verecunda Confeſſione omnia, & ſingula peccata mortalia, prout ſunt in conſcientia, aperiri, explicato eorumdem numero, & circumſtantijs mutantibus ſpeciem: Sacerdotes enim hoc iudicium incognita cauſa exercere non poſſunt, nec ab ipſis æquitas ſeruaretur in pœnis iniungendis, ſi pœnitens in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie ac ſingillatim ſua peccata declararet, vt expreſſe docet Trid. in cit. *ſeſſ.* 14. *c.* 5.

8. Poteſt tamen multipliciter caſus contingere, in quo pœnitens inculpabiliter omittat alicuius peccati mortalis Confeſſionem, & hoc non obſtante effectum Sacramenti conſequatur. Primus caſus eſt, ſi pœnitens habeat phyſicam impotentiam manifeſtãdi aliquod peccatum, puta ſi poſt ſatis diligens conſcientiæ examen, alicuius peccati commiſſi non recordetur: in quo caſu ſatisfacit, ſi reliqua peccata aperiat, quorum memoriam habet: quia in illorum confeſſione intelligitur incluſum etiam peccatum oblitum, dummodo ad illud ſaltem in confuſo, ſeu in genere ſe extendat animi dolor, & deteſtatio,

iuxta

iuxta Trid. *ead. ſeſſ. cap.* 5. Quamuis ſi poſtea idem peccatum memoriæ ſuperueniat, detur obligatio eiuſdem aperiendi in Sacramentali Confeſſione, propter præceptum Diuinum, quo tenentur fideles omnia peccata mortalia in Confeſſione declarare, vt colligitur ex *eod. cap.* 5. *Trid.*

9. Alter caſus etiam eſt ex phyſica impotentia in moribundo ita ſenſibus deſtituto, vt nullum peccatum in particulari explicare poſſit. Hic enim ſi ſigna doloris ediderit, & Sacramentum Pœnitentiæ vel voce vel ſignis petierit, abſoluendus eſt, vt conſtat ex *c. Multiplex* 49. *de pœnit. diſt.* 1. Per illa enim ſigna doloris, & per expreſſam, aut tacitam abſolutionis petitionem, moribundus ille ſatis ſubijcit clauibus, quantum poteſt, peccata ſua, & ex extrema neceſſitate excuſatur à ſpecifica, & numerica eorundem confeſſione, quia *nemo poteſt ad impoſſibile obligari c. 6. de reg. iur. in 6.*

10. In his, alijſque ſimilibus caſibus, qui videri poſſunt apud Theologos, & Canoniſtas, vbi agunt de integritate Confeſſionis, dicitur fieri Confeſſio formaliter integra. Authores enim duplicem in Confeſſione integritatem diſtinguunt, quarum vnam vocant materialem, aliam formalem. Confeſſio materia-

rialiter integra eſt, quando omnia, & ſingula peccata commiſſa cum eorum numero, & ſpecie in Confeſſione declarantur. Confeſſio formaliter integra dicitur, quando peccata manifeſtantur, vt manifeſtari poſſunt, & vt Diuinum præceptum hic, & nunc obligat ad illa manifeſtanda.

11. Vtrum autem in Confeſſione aperiri etiam neceſſario debeāt circumſtantiæ notabiliter aggrauantes, aut notabiliter minuentes, intra eandem ſpeciem? Item vtrum neceſſario manifeſtanda ſit peccati circumſtantia, ex qua Cōfeſſarius habiturus eſt notitiam complicis? eſt celebris Theologorum quæſtio, cuius reſolutio apud ipſos videri poteſt.

12. Tertius denique actus pœnitentis à Trid. numeratus in cit. *ſeſſ.* 14. *c.*3. eſt ſatisfactio ſacramentalis, ſeu executio operis iniuncti à Confeſſario in ſatisfactionem peccatorum. Hic actus quatenus à Confeſſario imponitur, cum ſit pars complens ſeu integrans Sacramentum Pœnitentiæ, iuxta Trid. ibid. ex Chriſti Domini inſtitutione efficaciorem vim obtinet in ordine ad ſuum effectum, qui eſt remiſſio pœnæ pro peccatis debitæ, & præſeruatio à peccatis in futurum. Rurſus ex eo quod ſit pars ad integritatem Sacramenti requiſita,

infertur obligatio, quam regulariter habet Confeſſarius ad illam imponendam, & obligatio pœnitentis ad illius executionem: vterque enim pro ſua parte tenetur ad ponendum quidquid pertinet ad integritatem Sacramenti; niſi tamen illam poni ſit impoſſibile, vt contingere aliquando poteſt, quando pœnitens moribundus ita eſt in extremis, vt nec minimam ſatisfactionem exequi poſſit.

13. Miniſter huius Sacramenti eſt ſolus Sacerdos ex inſtitutione Domini, quia ad ſolos Sacerdotes dictum fuit; *Quorum remiſeritis peccata, &c.* vt definit *Trid. in cit. ſeſſ. 14. c. 6. & can. 10 & Florent. in decreto fidei ad Armenos*. Imo nec omnis Sacerdos miniſtrare hoc Sacramentum poteſt: quamvis enim Presbiteri in ſua Ordinatione a peccatis abſoluendi poteſtatem accipiant; attamen cum ad eius poteſtatis vſum opus ſit iuriſdictione; nullus, etiam Regularis, poteſt Confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum audire, niſi aut Parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem (quæ gratis dari debet) obtineat. Ita *Trid. ſeſſ. 23. c. 15*

14. Hinc Authores paſſim duplicis ge-

generis Miniſtrum aſſignant pro Confeſſionibus audiendis. Alius enim eſt Miniſter Ordinarius, ſeu habens iuriſdictionem ordinariam; alius Miniſter delegatus, ſeu habens iuriſdictionem delegatam. Iuriſdictio ordinaria dicitur illa, quæ alicui competit ex officio, cui de iure annexa eſt iuriſdictio. Talis eſt Epiſcopus, & Parochus, cui ex cura animarum, quam habet, competit iuriſdictio in oues ſuas ad Sacramenta illis miniſtranda. Iuriſdictio delegata dicitur, quam aliquis habet ex delegatione, ſeu ex demandatione facta ab Ordinario. Huius generis ſunt Religioſi, alijque Sacerdotes non Parochi, qui approbationem, & licentiam habeant ab Ordinario excipiendi aliorum Confeſſiones.

15. Rurſus neque omnes Sacerdotes habentes facultatem audiendi Confeſſiones, habent eo ipſo vniuerſaliſſimam facultatem abſoluendi ab omnibus quibuſcumque peccatis. Datur enim in Eccleſia poteſtas reſeruandi peccata, quorum abſolutio obtineri non poſſit ab inferiori Confeſſario, ſed reſeruata ſit ſuperiori reſeruanti, iuxta *Trid. ſeſſ.* 14. *c.*7. Sic de facto plurium peccatorum abſolutio reſeruata eſt Summo Pontifici, vt conſtat ex Bulla Cœnæ: & ipſi Epiſcopi pro ſuis diœceſibus reſeruare ſibi

poſſunt, & ſolent aliquorum peccatorum abſolutionem, quam dare non poſſunt inferiores Confeſſarij, niſi obtenta ipſius Epiſcopi reſeruantis facultate.

16. Excipi tamen debet caſus articuli mortis, in quo quilibet Sacerdos abſoluere poteſt quoslibet pœnitentes a quibuſuis peccatis, & cenſuris, ſi nullus ſit præſens Sacerdos priuilegiatus: quia ex cit. *ſeſſ.* 14. *c.* 7. pro tali caſu extremæ neceſſitatis in articulo mortis, nulla eſt peccatorum reſeruatio.

17. Poſt factam peccatorum Confeſſionem, oritur in Confeſſario grauis obligatio non manifeſtandi ea, quæ in Confeſſione cognouit, quæ obligatio vocatur ſigillum, & adeo ſtricti iuris eſt, vt in nullo caſu, quantumuis grauiſſimo, ſiue boni conſequendi, ſiue mali vitandi, ſine expreſſa voluntate pœnitentis ceſſare poſſit, ex *c. Omnis vtriuſque ſexus* 12. *de pœnit. & remiſſ.*, *c. Sacerdos* 2. *de pœnit. diſt.* 6. Quod procedit, etiamſi facta Confeſſione Pœnitentem Confeſſarius non abſoluerit, propter aliquam eius indiſpoſitionem, vt ex omnium ſententia tradit Doctor Eximius *to.* 4. *in* 3. *p. diſp.* 33. *ſect.* 2. *n.* 9. Imo procedit, etiamſi Confeſſio facta fuerit alicui, qui bona fide iudicetur Sacerdos, ex intentione recipiendi abſolutionem, vt pariter ex omnium ſententia tradit idem

Suar.

Suar. *ibid. n.* 3. Extenditur quoque ſimilis obligatio ad quemcumque, qui ex confeſſione Sacramentali pœnitẽtis peccata cognouerit; vnde ſi Confeſſio facta fuerit per interpretem, aut aliquis alius, præter Confeſſarium, illam audiuerit, tenetur idem ſimiliter ad ſigillum, vt etiam docet communis ſententia apud cit. Suar. *in ead. diſp.* 33. *ſect.* 4.

18. Quod ſi Confeſſarius aliquis iniuſte ſigillum fregerit, deponendus eſt ab Officio Sacerdotali, & in arctum Monaſterium detrudendus, ad agendum perpetuam pœnitentiam, ex *cit. c. Omnis vtriuſque ſexus*, & *cit. c. Sacerdos.*

19. Demum quod attinet ad obligationem Sacramentaliter confitendi, conſtat primò, teneri vnumquemque fidelem peccato mortali grauatum Sacramentaliter confiteri, quando imminet mortis periculum, & quando eſt periculum probabile numquam inueniendi Sacerdotem, cui confiteri poſſit: quia alioquin manifeſto periculo ſe exponeret omittendi Sacramentum, quod à Domino eſt inſtitutum atque præceptum in remedium neceſſarium peccati poſt Baptiſmum commiſſi, vt tradunt omnes Doctores teſte Suar. *diſp* 35 *ſect.* 3

20. Conſtat ſecundò, omnes fideles, cum ad annos diſcretionis peruenerint, ſi peccato mortali grauentur,

teneri ad Sacramentalem Confeſſionem ſaltem ſemel in anno, ex cit. *c. Omnis vtriuſque* 12. *de pœnit. & remiſſ. & ex Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 5. *& can.* 8.

21. Vt autem huic graui præcepto ſatisfiat, non ſufficit Confeſſio illegitime facta: quia inter propoſitiones ab Alex. VII. damnatas die 24. Septembris 1665. vna eſt numero decimaquarta, quæ aſſerebat, ſatisfacere præcepto Eccleſiæ illum, qui facit Confeſſionem voluntarie nullam. Imo cum per idem præceptũ principaliter præcipiatur peccati mortalis confeſſio, ſi quis faciat Confeſſionem de ſolis venialibus, quia illis dumtaxat grauatus eſt, ſed poſtea eodem anno in aliquod peccatum mortale incidat; tenetur intra eundem annum illud peccatum mortale confiteri, vt tamquam certum tradit Caſtrop. *tract.* 23, *puncto* 20, §. 3. *nu.* 1. poſt plures, quos ibidem citat.

TIT. VII.

De Extrema Vnctione.

1. HActenus de ijs Sacramentis, quibus ex inſtitutione Chriſti habetur ingreſſus, & progreſſus in Vita Chriſtiana: conſequens eſt vt de eo Sacramento agatur, quo muniti

ti atque defenſi egredimur ab hac vita, vnde congruo vocabulo appellatur Extrema Vnctio, quia omnium vnctionum & Sacramentorum, quæ fidelibus conferuntur, ſolet eſſe vltimum, & quia confertur conſtitutis in extremo vitæ.

2. Inſtituta eſt autem Sacra hæc Vnctio infirmorum, tamquam vere, & proprie Sacramentum noui Teſtamenti, à Chriſto Domino noſtro, vt definit Trid. *ſeſſ.* 14. *de Sacr. Extremæ Vnctionis cap.* 1. *& can.* 1. addens inſuper fuiſſe idem Sacramentum inſinuatum apud Marcum; commendatum autem, & promulgatum per Iacobum Apoſtolum, qui cap. 5. in Epiſtola Catholica ſic habet: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbiteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.* Hæc enim tam abſoluta promiſſio nonniſi in inſtitutione Domini fundari poteſt, quia ſolius Domini eſt, ſigno ſenſibili annectere infallibiliter gratiam & remiſſionem peccatorum. Videri poteſt Bellar. *to.2. controuerſiar. in* 4. *controu. generali lib.* 1.

3. Ex iiſdem Iacobi verbis, & ex Apoſtolica traditione per manus accepta infertur quænam ſit materia, forma, Miniſter, & effectus huius Sacramenti,

vt docet Trid. in *cit. c.* 1. Materia remota eſt oleum oliuarum, *ex Trid. cit. & Flor. in decreto Vnionis,* quia talé oleum eſt, quod dicitur ſimpliciter oleum. Debet autem eſſe ab Epiſcopo benedictum, ex doctrina vtriuſque Concilij in locis citatis, benedictione diuerſa ab ea, per quam benedicitur Chriſma, quod adhibetur pro Sacramento Confirmationis, pro Conſecratione Epiſcopi, Eccleſię, Altaris, Calicis, fontis baptiſmalis &c. cum præſertim Chriſma componatur etiam ex balſamo, vt ſupra diximus in hac ſecunda parte Inſtitutionum tit. 4. n. 3. oleum autem pro Extrema Vnctione nullo alio liquore miſceatur. Item debet eſſe benedictum eo ipſo anno in quinta feria, quæ eſt in Cœna Domini, quo tempore ſingulis annis eam benedictionem peragi ex traditione Apoſtolica & ſtatutis Decretalium, teſtatur Synodus Aquiſgran. ſub Ludouico Pio Imperatore in c. 8. cuius initium eſt *Statutum etiam eſt*: quemadmodum idem etiam fit de Chriſmate, iuxta textum in *c. Litteris* 18. *de conſecr. diſt.* 3.

4. Materia proxima eiuſdem Sacramenti eſt Vnctio ex oleo facta, quæ aptiſſime Spiritus Sancti gratiam, qua inuiſibiliter anima egrotantis inungitur, repræſentat, vt loquitur Trid. *in cit. ſeſſ.*

14. *de*

14 *de Sacramento Extremæ Vnctionis c.* 1. Debet autem eadem fieri cum forma Crucis, vt praxis oſtendit, atque etiam colligitur ex *c. Numquid* 10 *de conſecr. diſt.* 5. iuncta ibid. Gloſ. Item fieri debet in certis partibus corporis, quæ a *Florent. in dec. Vnionis* numerantur ſeptem, videlicet oculi propter viſum, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter guſtum vel locutionem, manus propter tactum, pedes propter greſſum, renes propter delectationem ibidem vigentem: quidquid ſit vtrum omnes, & ſingulæ iſtarum omnium partium vnctiones ſint eſſentiales, aut ſaltem de neceſſitate præcepti requiſitæ de qua re videri poteſt Suar. *to.* 4. *in* 3. *diſp.* 39. *ſect.* 2. *art.* 4.

5. Forma ſunt illa verba: *Per iſtam Sanctam Vnctionem, & ſuã piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid &c.* In qua forma illud eſt ſpeciale, quod fiat per verba deprecatiua, cum in reliquis Sacramentis fiat per indicatiua, vt puta Sacramentum Pœnitentiæ fit per verbum *Abſoluo te &c.* at Sacramentum Extremæ Vnctionis per verbum *Indulgeat tibi Dominus*, quod eſt deprecatiuum. Ratio huius eſt ipſa Chriſti voluntas ita hoc Sacramentum inſtituentis, quam Eccleſia colligit ex illo Iacobi *Orent ſuper eum*. Nec etiam

deeſt ratio congruentiæ, quam recte notat Suar. in loco ſupracitato: quia ſcilicet hoc Sacramentum ordinatur ad obtinendum per modum indulgentiæ id, quod in iudicio Pœnitentiæ obtineri non potuit per modum iuſtitiæ, propter imperfectam hominis ſatisfactionem, vel diſpoſitionem. Vnde quia homo infirmus iam eſt quaſi viribus deſtitutus ad ſatisfaciendum; ideo exoratur Deus, vt remittat ſi quid poſt Sacramentum Pœnitentiæ reſiduum eſt.

6. Miniſter huius Sacramenti eſt ſolus Sacerdos, iuxta Trid. in cit. *ſeſſ. 14. cap. 3. & can. 4. de Sacram. extr. Vnctionis*, quod etiam colligitur ex illo Iacobi *Inducat Presbiteros Eccleſiæ*. Quinimo vt non ſolum valide, ſed etiam licite idem Sacramentum conferatur, debet miniſtrari ab habente iuriſdictionem non impeditam ſupra infirmum, puta à Parocho, vel ab habente licentiam à Parocho, vt colligitur ex *Clem. 1. de priuileg.* Quod tamen intelligitur communiter à Doctoribus, teſte Caſtrop. *tract. 25. diſp. vnica puncto 7. n. 5.* extra caſum neceſſitatis: Si enim Parochus præſens non ſit, & inſtans periculum mortis non permittat obtineri licentiam à Parocho, docent miniſtrari poſſe extremam vnctionem à quolibet Sacerdote, qui non ſit excommunicatus, aut ſuſpenſus.

7. Sub-

7. Subiectum capax eiuſdem Sacramenti ſuſcipiendi eſt omnis homo baptizatus, qui ſufficienter vſum rationis habeat aut habuerit, & ſit in graui infirmitate, vnde Medicorum iudicio cenſeatur eſſe in vitę periculo conſtitutus. Miniſtrari enim hoc Sacramentum non poteſt ijs qui Baptiſmum non acceperunt, cum Baptiſmus ſit reliquorum Sacramentorum ianua, vitęque ſpiritualis, ex Florent. in decreto Vnionis. Item miniſtrari non poteſt Infantibus, aut perpetuo amentibus, vt oſtendit praxis Eccleſię, & clare deducitur ex fine huius Sacramenti a Synodo Tridentina declarato in cit. *Seſ.* 14. *de Sacram. extremæ Vnctionis cap.* 2. Inſtitutum enim eſt ad ſuperandam luctam, & tentationes dæmonis, ad ſubleuandum hominem inter moleſtias ægritudinis, & ad delicta, ſi qua ſint adhuc expianda, peccatique reliquias abſtergendas: quibus omnibus non indiget Infans, aut qui perpetuo amens fuerit. Demum miniſtrari tantum poteſt Infirmis, de quorum morte timetur, vt clare colligitur ex illo Iacobi *Infirmatur quis in vobis? &c.* ex Florent. in Decreto Vnionis, & ex Trid. in cit. *ſeſ. c.* 3. Inde fit, damnatum ad mortem, aut alia ratione morti proximum, ſi tamen corpore ſanus ſit, non eſſe hoc Sacra-

mento muniendum.

8. Effectus huius Sacramenti eſt gratia Spiritus Sancti, ſecum trahens auxilia præuenientia, quibus ægroti animus alleuiatur, & roboratur tum ad fiduciam de Diuina miſericordia concipiendam, tum ad leuius ferendos morbi labores, tum ad facilius reſiſtendum tentationibus dæmonis, vt nuper diximus ex Trid. in cit *c.* 2. Rurſus effectus huius Sacramenti eſt remiſſio peccatorum, ſi fortè infirmus ſit illis grauatus, eorumque remiſſioni non ponat obicem, iuxta illud Iacobi *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Alius denique eiusdem effectus eſt ipſius corporis ſanitas, ſi ea ſit ſaluti animæ expediens, ex Florent, & Trid. in locis ſupra citatis.

9. Obligatio ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum non eſt tanta, quanta ad ſuſcipiendum Sacramentum Pœnitentię & Euchariſtiæ: vnde tempore interdicti generalis, quamuis concedatur morientibus Pœnitentia ſacramentalis, & Euchariſtia, non tamen conceditur Sacra Vnctio iuxta textum in *c. Quod in te* 11. *de pœnit. & remiſ.* Si tamen abſque cauſa omittatur, aliquod peccatum eſt, quod etiam erit grauiſſimum; ſi aliquis contemptus intercedat, aut aliquod ſcandalum ex eius omiſſione generetur; ſi præſertim Infirmus ſuſcipere non poſſit Sa-

cramentum Pœnitentię, & Euchariſtiæ, & aliunde ſufficientem diſpoſitionem habeat ad Sacramentum Vnctionis recipiendum: quia in articulo mortis tenetur quis eo meliori, quo poteſt, modo ſibi conſulere ad remiſſionem peccatorum obtinendam. Videri poteſt Caſtrop. *tract. 25. diſp. unica. puncto* 8.

TIT. VIII.

De Sacramento Ordinis.

1. ABſolutis ijs quę pertinent ad Sacramenta neceſſitatis, Sacramenta voluntatis aggredimur, inter quę primo numeratur Sacramentum Ordinis, vt ſupra diximus in hac 2. parte Inſtitutionum tit. 2.

2. Nomine Ordinis latiùs accepti ſignificatur certa qualitas, & ſtatus hominum ad certum aliquod munus ſeu viuendi genus deſtinatus, vnde factum eſt, vt per antonomaſiam ſtatus Clericorum, qui ſunt certo ritu ad Diuinum Cultum, & ad Altaris miniſterium ſpecialiter deputati, Ordo dicatur: & frequentius eo nomine ſignificatur illa ipſa poteſtas, quam Clerici receperunt ad miniſtrandum Altari; quemadmodum ſacra illa Cæremonia, per quam ſtabiliter eam poteſtatem recipiunt dicitur Ordinatio:

ac de Ordine ſeu Ordinatione hoc modo accepta ſermo erit in præſenti titulo.

3. Prædictam Ordinationem eſſe Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, eſt de fide, vt conſtat tum ex Flor. in citato decreto Vnionis, tum ex Trid. *Seſ. 7. can.* 1 *&* *ſeſ.* 23. *c.* 3. *&* *can.* 3. Competit enim illi eſſe ſignum ſenſibile infallibiliter collatiuum gratiæ obicem non ponenti, iuxta illud Apoſtoli 2. ad Tim. 1. *Admoneo te vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum &c.* Videri poteſt Bellar. *to.* 2. *controu. de Sacram. Ordinis, c.* 7.

4. Cum autem multiplex ſit Altaris miniſterium, ad quod Clerici per Sacram Ordinationem ſpecialiter conſecrantur; plures quoque ſunt Ordines, quorum quilibet participat rationem Sacramenti, ſed omnes ſimul per quandam attributionis vnitatem veniunt ſub vno nomine Sacramenti Ordinis; tum quia in hoc genere omnes conueniunt; tum præſertim quia omnes reſpiciunt principaliter eundem finem, nempe Sacram Euchariſtiam. Ordines eiuſmodi numerantur ex Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 2. Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotium de quibus, eorumque officijs plura jam diximus *in prima parte inſtitut. tit.* 8. 9. *&* 10.

Quili-

5. Quilibet iſtorum Ordinum habet ſuam propriam materiam, ſuamque propriam formam. Materia eſt illud, per cuius traditionem confertur Ordo, ex Flor. *in cit. decreto Vnionis* §. *Sextum Sacramentum* vt puta in Ordinatione Sacerdotis, per quam traditur illi poteſtas conſecrandi Corpus, & Sanguinem Domini, porrigitur illi Calix cum vino, & Patena cum pane, & in alia Ordinationis pa te, per quam illi traditur poteſtas in Corpus Chriſti myſticum, Epiſcopus ſuper ipſum manus imponit ſub illis verbis *accipe Spiritum Sanctum. Quorum remiſeris peccata &c.* & propterea plures Doctores etiam eam manus impoſitionem aſſignant pro materia Ordinationis Sacerdotalis, vt videre eſt apud Caſtrop. *tract.* 27. *diſp. vnica, puncto* 4 *n.* 7. Diaconatus autẽ confertur per libri Euangeliorum dationem. Subdiaconatus per Calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita traditionem. Acolytho traditur Ceroferarium cum cereo extincto, & vrceolus vacuus aquæ, & vini: Exorciſtæ porrigitur liber, in quo exorciſmi continentur. Lectori liber lectionum. Oſtiario claues Eccleſiæ. Forma autem ſingulorum iſtorum Ordinum ſunt ea verba, quæ ab Ordinante tradente materiam interea proferuntur.

6. Epiſcopatus etiam habet rationem

Sa-

Sacramenti, vt ex pluribus firmat Bellar. *to. 2. controu. de Sacr. Ordinis l. 1. cap. 5.* Quamuis enim non ſit adæquate diſtinctus a Sacerdotio, attamen illud quodammodo perficit, & extendit imprimendo characterem, conferendo gratiam, & tribuendo poteſtatem confirmandi, & ordinandi, quę ſimplici Presbitero non eſt conceſſa: vnde fit, Epiſcopos eſſe Presbiteris ſuperiores iuxta Trid. *ſeſſ. 23. De Sacr. Ordinis can.* 7. Materia Epiſcopatus aſſignatur impoſitio manuum Epiſcoporum ſupra caput Ordinandi: forma autem ſunt illa verba, quæ Epiſcopi dum manus imponunt, proferunt.

7. Circa primam Tonſuram, quæ prædictisOrdinibus præmittitur, controuerſia eſt inter Authores, vtrum numeranda ſit inter Ordines, nec ne? aſſerentibus communiter Theologis eam Ordinem ſtricto modo non eſſe, vt ſupra indicauimus. *lib. 1. tit.* 10. *in fine;* at in contrarium eam eſſe Ordinem ſentientibus pluribus Canoniſtis, vt videre eſt apud Fagn. in *c. cum contingat. de ætate & qualit.* Vtraque tamen ſententia conciliari facile poteſt, adhibita diſtinctione diuerſarum ſignificationum, in quibus nomen Ordinis accipi poteſt. Nam proutOrdo ſignificat certam quandam & ſtabilem poteſtatem ad aliquod

Alta-

Altaris miniſterium exercendum, prima Tonſura Ordo non eſt, cum per illam Tonſuratus nulli certo Altaris miniſterio deputetur; & in hoc ſenſu procedit Theologorum ſententia: at quatenus Ordo ſumitur pro certa quadam qualitate & ſtatu perſonarum, quomodo frequenter ſumi diximus ab initio huius tit. *n.* 2. vocari poteſt Eccleſiaſticus Ordo prima Tonſura, quia per illam Tonſuratus ſegregatur a ſtatu laicali, & admittitur ad Clericalem, ex cit *c. cum contingat.* 11. *de ætate & qualit.*

8. Præter ſupradicta eſſentialia, quæ in ſingulis Ordinationibus requiruntur, ſpectantia ad materiam, & formam; aliæ etiam cæremoniæ interueniunt, quæ tamen non ſunt de neceſſitate Sacramenti, ſed ſolum de neceſſitate præcepti. Talis cenſetur eſſe vnctio, per quam caput Epiſcopi vngitur Sacro Chriſmate, & vnctio per quam Sacerdos vngitur in manibus Oleo benedicto, & ſic de pluribus alijs. Quod ſi in Ordinatione Epiſcopi omiſſa fuerit Sacra Vnctio, non debet tota Ordinatio iterari, ſed ſolum vnctio omiſſa ſuppleri debet, vt præcipitur in *c. vnico De Sacra Vnct.* videri poteſt Sanch.*Conſil. lib.* 7. *dub.* 13.

9 Effectus Sacræ Ordinationis multiplex eſt. Primus eſt, ſicut & reliquorum nouæ Legis Sacramentorum, colla-

tio

tio ſanctificantis gratiæ non ponentibus obicem, iuxta Trid: *ſeſſ. 7. de ſacram. in genere can 6. & 7.* Ea autem gratia ſanctificans confertur cum ordine ad auxilia pro rite & competenter exercendo cuiuſcumque Ordinis officio, quod etiam commune eſt reliquis Sacramentis in ordine ad proprios fines. Alter effectus eſt ſpiritualis illa poteſtas quæ cuilibet Ordinato ſpecialiter traditur ad aliquod Altaris miniſterium, puta poteſtas conſecrandi, & abſoluendi, quæ traditur Sacerdoti, & ſic de reliquis. Tertius demum effectus eſt Character indelebiter impreſſus in anima, vnde Ordo numeratur inter ea Sacramenta quæ iterari non poſſunt, vt diximus ſupra *tit. 2.* ex Trid. *ſeſſ. 7. can. 9.*

10. Miniſter Ordinarius validæ Ordinationis eſt ſolus Epiſcopus conſecratus, *ex Florent. in decreto vnicnis §. Sextum Sacramentum & Trid. ſeſſ. 23. cap. 4. & can. 7.* Quamuis recepta ſententia ſit, ex commiſſione Summi Pontificis poſſe concedi etiam ſimplici Sacerdoti facultatem conferendi primam Tonſuram & Ordines minores: quemadmodum diximus *lib. 1. tit. 17. n. 19.* conceſſam eſſe quibuſdam Abbatibus regularibus, habentibus ius ferendi baculum & mitram, relate ad ſuos ſubditos Regulares. Vtrũ autem etiam poteſtas conferendi Ordines

nes ſacros delegari poſſit a Summo Pontifice alijs quàm Epiſcopo, videri poteſt diſputatum a Caſtrop. *tract.* 27. *diſp. vnica puncto* 14. *n.* 7. *& ſeqq* alijſque ab ipſo citatis.

11. Vt autem ordinatio non ſolum valida, ſed etiam licita ſit, plura requiruntur, tum ex parte Epiſcopi Ordinantis, tum ex parte temporis et loci in quo ſit Ordinatio, tum ex parte Ordinandorum.

12. Ex parte Epiſcopi requiruntur omnes illæ conditiones, quæ ad licitam cuiuſcumque Sacramenti adminiſtrationem exiguntur, vt puta ne ſit aliqua cenſura irretitus, & vt ſit in gratia cōſtitutus.

13. Ex parte temporis, pro conſecratione Epiſcopi iuxta traditionem Apoſtolicam aſſignata eſt dies Dominica, ex *c. Quod die* 5. *diſt.* 75. Ordines ſacri nonniſi in Sabbato quatuor temporum & Sabbato ante Dominicā Paſſionis & Reſurectionis, ſecluſo priuilegio, conceduntur, iuxta textum in *c. de eo* 3. *de temporib. Ordinat.* & nonniſi tempore Miſſæ, vt habet Eccleſiæ coſuetudo. Quod ſi propter multitudinem Ordinandorum, aut aliam rationabilem cauſam, eo die Sabbati aliqua Ordinatio miniſtrari non potuit; in eo caſu permiſſum eſſe Epiſcopo eam Ordinationem differre ad Dominicam ſequentem, tradit

dit Layman *lib. 4. Theol. mor. tract. 9. cap. 8. n. 5. Caſtrop. in cit. tract. 27. puncto 13. n. 3.* alijque apud ipſum: dummodo tamen tam ipſe Ordinans, quam Ordinandus naturale exactumque ieiunium continuet, quia ea continuatio ieiunij reputari facit mane diei Dominicæ quaſi vnam diem cum Sabbato; vt colligitur ex *c. Litteras 13. de temporib. Ordination.* vbi ex eadem ratione declaratur, nullatenus permitti Epiſcopo Ordinem Sacrum die Dominica conferre ei, cui Sabbato antecedenti alium Sacrum Ordinem contulit, etiamſi ieiunium continuet, quia cenſeretur duos Sacros Ordines eidem conferre eadem die, quod prohibitum eſt tum in cit. *c. Litteras*, tum in *c. Dilectus 15. eod.* tum recentius in Trid: *ſeſſ. 23. de refor. cap. 13.* Demum quod attinet ad minores Ordines licitum eſt Epiſcopis aliquos promouere, non multos ne generalis videatur Ordinatio, Dominicis & alijs feſtiuis diebus ad minores Ordines, iuxta textum in *c. de eo 3. de tempor. Ordin.* Prima autem Tonſura qualibet anni die conferri poteſt.

14. Rurſus ex parte temporis ſeruanda ſunt interſtitia, quæ inter ſuſceptionem vnius alteriuſque Ordinis de iure canonico ſtatuta ſunt, quæ præſertim locum habent in Ordinibus ſacris. Ab

Ordine enim ſubdiaconatus ad Diaconatum nemini permittitur aſcendere ex ſtatuto Trid. *ſeſſ.* 23. *de refor. cap.* 13. ſi per annum ſaltem in Subdiaconatu verſatus non fuerit; a Diaconatu etiam ad Presbiterum non datur aſcenſus ante annũ miniſtrationis, niſi ob Eccleſiæ vtilitatem ac neceſſitatem aliud Epiſcopo viſum fuerit *ex Trid. ibid cap.* 14. Simile quid decernitur ibi *cap.* 11. circa aſcenſum ad ſacros Ordines a ſuſceptione poſtremi gradus Ordinum minorum: circa aſcenſum autem ab vno ad alium eorundem minorum Ordinum decernitur quoque ſeruanda eſſe temporum interſtitia, niſi aliud Epiſcopo expedire magis videretur.

15. Ex parte loci, opus eſt vt Epiſcopus nullum Ordinem extra propriam diæceſim conferat, niſi de licentia expreſſa proprij Ordinarij, & tunc eiuſdem Ordinarij ſubditis tantum: alioquin tam ipſe Ordinans ab exercitio Pontificalium, quam Ordinatus ab executione Ordinum eſt ipſo iure ſuſpenſus, *ex Trid ſeſſ.* 6. *de refor cap.* 5.

16. Ex parte demum Ordinandorum plura requiruntur, de quibus ſpecialiter ſermo eſt in toto tit. *De temporib. Ordinat. & qualit. Ordinand.* Primò enim requiritur ætas legitima; quæ ſtatuta eſt à Trid. *ſeſſ.* 23. *de refor. cap.* 12. vt nullus

lus ad Subdiaconatus Ordinem ante vigeſimum ſecundum, ad Diaconatus ante vigeſimum tertium, ad Presbiteratus ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum promoueatur. At pro Epiſcopatu requiritur ætas 30. annorum completorum, ex *c. cum in cunctis 7. de elect.* Pro ſuſceptione minorum Ordinum nulla certa ætas deſignata eſt a Trid. & a iure antiquiori, vt notat *Vaſq. to. 3. in 3. p diſp.* 246. *cap.* 4. *n.* 41. Quare illa ſufficiet, quæ ſatis ſciētiæ ac diſcretionis habuerit ad exercendum munus in ijsdem Ordinibus commiſſum.

17. Secundo requiritur tum morum probitas, qualem decet Eccleſiæ miniſtros, de qua vide Trid. *ſeſſ.* 23 *de refor. cap.* 5. 13. & 14. tum etiam ſcientia ſufficiens: prohibitum enim eſt Ordinem, imo, & primam Tōſuram illitterato conferre, ex *c. fin. de tempor. Ordinat in 6.* Illitteratus autem eſſe reputatur ad primā Tonſuram ſuſcipiendam, qui fidei rudimenta edoctus non fuerit, & qui legere & ſcribere neſciat, ex *Trid. in cit. ſeſſ.* 23. *de refor. cap.* 4. Pro minoribus Ordinibus opus eſt intelligentia linguæ latinæ, *ex cit. ſeſſ. cap.* 11. Pro Subdiaconatu, & Diaconatu, pręter linguam latinam, exigit Concilium ibid. *cap.* 13. vt Ordinandus ſit inſtructus ijs, quæ ad Ordinem exercendum pertinent. Tandem

pro

pro Ordine Presbiteratus requirit Concilium ibid. *cap.* 14. vt Ordinandi etiam ad populum docendum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, ac ad miniſtranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur.

18. Tertio requiritur pro ſuſceptione Sacrorum Ordinum titulus beneficij, vt ſcilicet Ordinandus Beneficium Eccleſiaſticum pacifice poſſideat, quod ſibi ad victum honeſte ſufficiat, ne alioquin cum Ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere cogatur *ex Trid. ſeſſ.* 21: *de refor. cap.* 2. Quod ſi beneficio eiuſmodi careat, patrimonium tamen vel penſionem obtineat, vnde honeſte viuere poſſit, hoc tantum titulo ordinari non poteſt, niſi qui ab Epiſcopo iudicetur aſſumendus pro neceſſitate vel commoditate Eccleſiæ ſuæ, *ex Trid. ibid.* quod decretum confirmatum etiam eſt à SS. D. N. Innoc. XII. in Conſt. quæ incipit *Speculares* edita 6. Nouemb. 1694. Salutaris hæc diſciplina ſi ab Epiſcopo negligatur, ſine certo titulo aliquem ordinando, tenetur ipſe ſuſtentationem Ordinato ſubminiſtrare, donec in aliqua Eccleſia ei conuenientia ſtipendia militiæ Clericalis adſignet, *ex c. Epiſcopus* 4. *c. cum ſecundum* 16 *de præb. c. ſi Epiſcopus* 37. *eod. in* 6.

Be-

19. Beneficium autem illud, ad cuius titulum aliquis eſt promotus, ex eod. ſtatuto Tridentini, reſignari non poteſt, niſi facta mentione quod ad illius beneficij titulum ſit promotus, nec ea reſignatio admitti, niſi conſtito quod aliunde viuere commode poſſit, & aliter facta reſignatio nulla eſt, vt diximus *lib. 1. tit. 16. n. 11.* Quemadmodum etiam ſi quis ſit Ordinatus ad titulum patrimonij, vel penſionis, non poteſt illa deinceps ſine licentia Epiſcopi alienare, aut extinguere, vel remittere, donec beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ſit adeptus, aut aliunde habeat vnde viuere poſſit, *ex cit. c. 2. Trid.*

20. Ab hac tamen generali regula excipiuntur Regulares Profeſſi, in quibus loco beneficij ſuccedit voluntaria paupertas. Dixi *Regulares Profeſſi*: quia Regulares qui Profeſſi non ſunt, nequeunt ad Sacros Ordines promoueri abſque titulo beneficij, vt ſtatutum eſt pro ſæcularibus Clericis, ex declaratione B. Pij V. in Bulla quæ incipit *Romanus Pontifex* edita die 11. Nouemb. 1568. quæ eſt 75. eiuſdem Pontificis in Bullario: ſub qua tamen declaratione non comprehendi Religioſos Societatis Ieſu vota biennij emittentes, qui licet non ſint Profeſſi, ſunt tamen proprie Religioſi, conſtat ex Bulla Greg.

XIII.

XIII. *Aſcendente* edita 14. Iunij 1584. quæ eſt 89. eiusdem Pontificis in Bullario, & ex Bulla Greg. XIIII. *Eccleſiæ Catholicæ*, quæ eſt 10. eius Pontificis in Bullario, edita 4. Kal. Julij 1591.

21. Quartò requiritur vt Ordinandus nulla ſit cenſura aut irregularitate ligatus, de quibus in particulari ſermo erit infra lib. 4.

22. Quintò demum opus eſt vt ordinetur a proprio Epiſcopo, vel ſi ab alio, ſaltem de licentia proprij Epiſcopi, obtentis ab ipſo litteris dimiſſorijs. Si enim Epiſcopus aliquis alienum ſubditum abſque tali licentia ordinare præſumpſerit, ſuſpenditur per annum a collatione Ordinum, & præterea taliter Ordinatus à ſuſcepti Ordinis executione ſuſpenſus eſt, vt ſumitur ex *c. Eos qui 2. de temporib. Ordinat. 9. q. 2. per totam, & c. 1. diſt. 71.*

23. Proprius autem Epiſcopus pro re præſenti ille dicitur, cui aliquis ſubditur vel ratione beneficij, vel ratione originis, vel ratione domicilij, vt ſumitur *ex c. Cum nullus 3. de temporib. ordinat.* In quibus quænam regula ſeruanda ſit pro ſuſceptione Ordinum, late declaratur in ſupra cit. Conſt. SS.D.N. Innoc. XII. *Speculatores* edita 6. Nouemb. 1694.

24. Quòd enim attinet ad rationem

beneficij, decernitur ibidem, vt nullus Clericus ratione cuiuſuis beneficij in aliqua diœceſi obtenti ſubijci dicatur iuriſdictioni illius Epiſcopi, in cuius diœceſi beneficium huiuſmodi ſitum eſt, ad effectum ſuſcipiendi ab eodem Epiſcopo Ordines; niſi ipſum eius ſit redditus, vt ad congruam vitæ ſuſtentationem, ſiue iuxta taxam ſynodalem, ſiue, ea deficiente, iuxta morem regionis pro promouendis ad Sacros Ordines, detractatis oneribus, per ſe ſufficiat, illudque ab Ordinando pacifice poſſideatur, ſublata quacumque facultate ſupplendi, quod deficeret fructibus eiuſdem beneficij cum adiectione patrimonij etiam pinguis, quod ipſe Ordinandus in eadem, ſeu alia quauis diœceſi obtineret. Decernitur quoque, vt etiam in caſu, quo quis ratione beneficij ſufficientis ſubditur iuriſdictioni Epiſcopi ad effectum ſuſcipiendi ab ipſo Ordines, non tamen ab eodem ordinetur, niſi habuerit teſtimoniales litteras proprij Epiſcopi tam originis quam domicilij ſuper ſuis natalibus, ætate, moribus, & vita, à quo legitime promotus fuit ad Clericalem Tonſuram, ſeu etiam ad minores Ordines: & vt Epiſcopus ordinans tam de prædictis teſtimonialibus litteris, quam de redditu beneficij huiuſmodi expreſſam in conſueta colla-

to-

torum Ordinum atteſtatione facere debeat mentionem, & vt eædem teſtimoniales litteræ in actis Curiæ Epiſcopalis conſeruentur.

25. Quod attinet ad rationem originis, ſtatuitur ibidem, vt ratione Originis ille tantum ſubditus ſit ac eſſe intelligatur, qui naturaliter ortus eſt in ea diœceſi, in qua ad Ordines promoueri deſiderat: dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occaſione nimirum itineris, officij, legationis, mercaturæ, vel cuiuſuis alterius temporalis moræ, ſeu permanentiæ eius Patris in illo loco, quo caſu nullatenus eiuſmodi fortuita natiuitas, ſed vera tantum & naturalis Patris origo erit attendenda. Quod ſi quis tanto temporis ſpatio, in eo loco, in quo ex accidenti, ſicut præmittitur, natus eſt, moram traxerit, vt potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario eius loci litteras teſtimoniales, vt ſupra, obtinere, illaſque Epiſcopo ordinanti, per eum in collatorum Ordinum teſtimonio ſimiliter recenſendas, præſentare teneatur. At ſi Pater in alieno loco, vbi eius filius natus eſt, tamdiu, ac eo animo permanſerit, vt inibi verè domicilium de iure contraxerit, tunc non origo Patris, ſed domicilium per Patrem legitime, vt præfertur, contra-

ctum pro Ordinatione eiuſdem filij attendi debeat.

26. Demum quod attinet ad rationem domicilij, decernitur vt ſubditus ratione domicilij ad effectum ſuſcipiendi Ordines is dumtaxat cenſeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo ſtabiliter conſtituerit in aliquo loco, vt vel per decennium ſaltem in eo habitando, vel maiorem rerum, ac bonorum ſuorum partem cum inſtructis ædibus in locum huiuſmodi transferendo, ibique inſuper per aliquod conſiderabile tempus commorando, ſatis ſuperque ſuum perpetuo ibidem permanendi animum demonſtrauerit; & nihilominus vlterius vtroque caſu ſe vere, & realiter animum huiuſmodi habere iureiurando affirmet. Si quis tamen a propriæ originis loco in ea ætate diſceſſerit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarij ſuæ originis teſtimoniales litteras, vt ſupra, afferre debebit, ac de illis expreſſa ſimiliter mentio in ſuſceptorum Ordinum litteris facienda erit.

27. Prædicta procedunt etiam pro ijs, quos in alicuius Epiſcopi familiaritate, vel famulatu verſari contingat. Si enim aliquis ſubditus ſit alterius diœceſis, ordinari non poteſt, nec ad primam Tonſuram promoueri ab Epiſcopo cuius

eſt

eſt familiaris, & famulus, niſi idem Epiſcopus ad præſcriptum Tridentini *ſeſs. 23. cap. 9. de refor.* familiarem prædictum per integrum, & completum triennium in ſuo actuali ſeruitio ſecum retinuerit, ac ſuis ſumptibus aluerit. In quo etiam caſu ſeruitij triennalis pro eo ordinando opus erit teſtimonialibus litteris proprij eius Prælati, originis ſcilicet ſeu domicilij: & inſuper Epiſcopus ordinans, quacumque fraude ceſſante, ſtatim, hoc eſt ſaltem intra terminum vnius menſis a die factæ Ordinationis, reipſa illi conferre tenetur beneficium, quod ei ad vitam ſuſtentandam, iuxta modum ſuperius præfinitum, ſufficiat, ac in Ordinationis huiuſmodi Teſtimonio expreſſam itidem familiaritatis, ac litterarum prædictarum mentionem facere tenetur. Ita expreſſe decernitur in cit. Conſtit. *Speculatores*: vbi etiam contra prædictorum tranſgreſſores adijcitur pœna, vt Ordinans a collatione Ordinum per annum, Ordinatus autem a ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipſo ſuſpenſus ſit.

TIT. IX.

De Sponſalibus, & Matrimonijs.

1. ALterum Sacramentum voluntatis eſt matrimonium, legitimus nempe contractus viri, & fœminę, gratiæ ſpiritualis collatiuus, quo mutuam ſibi invicem ſuorum corporum poteſtatem tradunt. Vim Sacramentalem ſpiritualis gratiæ collatiuam habet matrimonium, ab inſtitutione Chriſti Domini. Quamuis enim etiam ante aduentum Chriſti daretur matrimonium; attamen Chriſtus illud eleuauit in verum, & proprium Sacramentum, quod eſt de fide & conſtat *ex Trid. ſeſſ. 24. can.* 1. Videri poteſt *Bellar. to. 2. Controu. De matrimonij Sacramento controu.* 1.

2. Hæc autem intelligenda ſunt de Matrimonio quod inter fideles contrahatur: ij enim dumtaxat ſunt Sacramentorum capaces per Baptiſmum ſuſceptum, qui reliquorum Sacramentorum, & vitæ ſpiritualis ianua eſt, vt ſupra diximus *hoc libro* 2. *tit.* 3. *n.* 1. Matrimonia igitur quæ inter non baptizatos celebrantur, vtcumque facta ſint iuxta leges, non tamen Sacramenta ſunt, ſed contractus mere ciuiles, vt pluribus in locis etiam docuit Auguſtinus citatus a

Bel-

Bellar in ſupradicta controu. cap. 3.

3. Hinc Authores communiter Matrimonium triplicis generis aſſignant, nempe Matrimonium legitimum, Matrimonium ratum, & Matrimonium conſummatum. Matrimonium legitimum dicitur, quod legitimo contrahentium conſenſu perficitur, & hoc commune eſt omni matrimonio, etiam ab Infidelibus celebrato. Matrimonium ratum vocatur, quod inſuper habet rationem Sacramenti, per quam maiorem firmitatem & indiſſolubilitatem acquirit, vt conſtat *ex cap. Quanto 7. de diuortijs*. Conſummatum denique dicitur ex quo ſequitur copula. Matrimonium ratum ſignificat vnionem Chriſti per Gratiam cum Eccleſia: Conſummatum autem deſignat Sacroſanctum coniugium, quod contractum eſt inter Chriſtum, & Eccleſiam per Incarnationis Myſterium.

4. Circa Materiam, & formam huius Sacramenti varia opinati ſunt varij Doctores, quorum ſententias abunde refert, & examinat *Th. Sanch. de Matrim. lib.2. diſp.5.* vbi inter reliquas eam tamquam probabiliorē amplectitur poſt *D. Th. in 4. diſt. 26. q. 2. art. 1.* Suarium *to. 1. de Sacram. q. 60. art. 8. diſp. 2. ſect. 1.* Bellarminum *lib. 1. de Matrim. cap. 6.* alioſque, quæ docet quod

ſicut alij contractus conficiuntur traditione, & acceptatione illius rei, de qua eſt contractus, ipſa autem res non cōcurrit niſi tamquam materia circa quam; ita pariter in matrimonio, eius eſſentia conſiſtit in mutua traditione, & acceptatione corporum, hoc eſt in conſenſu vtriuſq. coniugis verbis aut nutibus expreſſo, qui quatenus mutuam traditionem continent, habent rationem materiæ, quatenus autem efficiunt mutuam acceptationem, habent rationem formæ: ipſa autem coniugum corpora ſunt materià circa quam fit contractus: quod præſertim procedit ſi matrimonium conſideretur prout eſt in fieri, ſi enim conſideretur prout eſt in facto eſſe, ſeu prout eſt quid permanens poſtquam ſemel celebratum eſt; idem Sanch. ibidem cum Bellar. concedit vocari poſſe ipſos coniuges materiam eiuſdem.

5. Inde fit quod quamuis in contrahendo matrimonio interuenire neceſſario debeat Parochus, vt poſtea explicabitur, idem tamen Parochus non eſt proprie huius Sacramenti miniſter, cum neque ponat materiam, neque formam Sacramenti huius; ſed ipſi contrahentes ſunt Miniſtri conficientes hoc Sacramentum: vnde etiam matrimonia clandeſtina, quę ante Concilium Trid. abſ-

que

que interuentu Parochi celebrabantur, rata erant, & vera matrimonia, *ex Trid. eſs.24. cap.1. de refor. matrim.* Quamuis enim Chriſtus Dominus eleuauerit matrimonium ad eſſe Sacramenti, reliquit tamen in illo naturam contractus: de natura autem contractus eſt, vt ipſi contrahentes ſuis conſenſibus ſe ligent, nec alius, preter ipſoſmet, contractum efficiat.

6. Quia autem contractui matrimoniali præcedere ſolent ſponſalia; ideo de his dicẽdum breuiter aliquid hic eſt. Sponſalia dicta ſunt à ſpondendo. Nam etiam veteribus moris fuit ſtipulari, & ſpondere ſibi vxores futuras, *l 2 ff. de ſponſalib.* vnde in *l. 1. ff. eod.* definiuntur ſponſalia, *mentio & repromiſſio nuptiarum futurarum*. Debet autem eiuſmodi promiſſio mutua eſſe aliquo externo ſigno manifeſtata, quod fieri poteſt, vel expreſſis verbis, vt ſi ſibi mutuo dicant *Ego te accipiam in meam coniugem*, & *ego te in meum*; vel litteris, vt cum paciſcuntur de futuris nuptijs per epiſtolam, vel alio quolibet externo ſigno ſufficienter demonſtrãte reciprocum conſenſum vtriuſque contrahentis.

7. Sed & idem perfici poteſt per Procuratorem habentem ſpecialem mandatum, iuxta textum *in c fin. de procurator. in 6.* vbi etiam precipitur, vt

Procurator habens eiuſmodi ſpeciale mandatum, non poſſit alium ſubſtituere, niſi hoc eidem ſpecialiter ſit cõmiſſum, propter magnum, quod ex facto tam arduo poſſet periculum imminere, quod ſtatutum quamuis loquatur expreſſe dumtaxat de matrimonio, extendendum tamen eſſe etiam ad ſponſalia quæ ſunt diſpoſitio, & via ad matrimonium, tradit Sanch. *de matrim lib 2. diſp. 11. n.3. & 5.* arg. *l. Oratio 16 ff. de ſponſalib.*

8. Habiles ad ſponſalia contrahenda ſunt generaliter illæ perſonæ, inter quas accedente legitima ætate dari poteſt licite, & valide matrimonium. Promiſſio enim rei illicitæ nulla eſt, ex *c. nemo poteſt 6. c. non eſt obligatorium 58. c. in malis promiſſis 69. de reg. iur in 6.* Requiritur etiam ad ſponſalia contrahenda liber vſus rationis, vnde perpetuo amentes, & furioſi contrahere non poſſunt, cum non habeant determinatum conſenſum, *c. dilectus filius 24. de ſponſalib.* niſi habeant lucida interualla, & tempore talium interuallorum ſponſalia contrahantur.

9. Sponſalia legitime, & abſolute contracta per ſe, & regulariter obligant ſub culpa mortali ad matrimonium ſuo tempore contrahendum, non minus ac obligent alij cõtractus in materia graui, *c. de coniug. 50. 27. q. 2. c. 2. de ſponſ.* alijſque

que iuribus, per quæ correcta eſt *l. 1. C. de ſponſalib.* vbi olim de iure ciuili, alij deſponſata renuntiare conditioni, & nubere alij non prohibebatur, vt tradit Sanch. cum communi ſententia *lib. 1 de matrim. diſp.* 27. Si quis igitur à talibus ſponſalibus abſque legitima cauſa reſiliat, moneri debet à Iudice Eccleſiaſtico, & per cenſuram compelli ad matrimonium contrahendum, *c ex litteris 10. de ſponſalib.* Niſi tamen coactio timeatur habitura difficilem exitum, aut impeditura libertatem conſenſus; in quo caſu reſiliens monendus erit potius quam cogendus, iuxta textum in *c. requiſiuit 17 eod.* Libera enim matrimonia eſſe debent, vt dicitur in *c. gemma 29. eod.* vbi propterea prohibetur etiam in contractu ſponſalium impoſitio pœnæ ſoluendæ per eum qui à ſponſalibus reſiliuerit: quia ſcilicet metu pœnę reſtringeretur libertas matrimonij. Eiuſmodi pœnæ impoſitio in ſponſalibus prohibita etiam eſt in iure ciuili, vt conſtat ex *l. mulier. 5 §. fin. C. de ſponſalib.*

10. Hoc tamen non obſtante, arrhas dari poſſe, hoc eſt aliquid ab Sponſo Sponſæ, vel è contra, in ſignum, & pignus matrimonij promiſſi, quod fidei violator amittat, eſt ſententia recepta, ex permiſſione vtriuſque iuris, vt conſtat ex cit. *l. mulier, c. ſi quis vxorem 14.*

27. *q.* 2 & *c. Noſtrates* 3. 30. *q.* 5. Timor enim amiſſionis arrharum regulariter non impedit libertatem, quemadmodum timor ſoluendæ pœnę promiſſæ: quia arrhæ, vtpote neceſſario ſtatim tradendæ, nonniſi in exigua quantitate, & matura deliberatione concedi ſolent; ſecus autem pœna, quæ quia non traditur, ſed tradenda promittitur, facilè, & incautè, & in magna quantitate offertur. Videri poteſt Sanch. *de matrim. lib.* 1. *diſp.* 35.

11. Prædicta obligatio ex ſponſalibus contracta, ne ab illis recedatur, ſed procedatur ad matrimonium ſuo tempore contrahendum, intelligenda eſt vbi legitima reſilitionis cauſa non interuenerit. Multiplex enim aſſignari poteſt cauſa, propter quam ſponſalia diſſolui poſſint, cum Sacramentum ipſa non ſint, ſed tantummodo via ad Sacramentum Matrimonij ſuſcipiendum. Primò igitur diſſoluuntur ex mutuo vtriuſque conſenſu libero, vt colligunt Doctores ex *c.* 2 *de ſponſalib.* vbi affertur exemplum contractus ſocietatis, qui per mutuum ſociorum conſenſum expirat, quemadmodum per mutuum eorundem conſenſum celebratus fuit: quia *omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur, c.* 1. *de reg. iur.* Secundò diſſoluuntur per profeſſionem religioſam

in

in Religione approbata, & per ſuſceptionem Ordinis Sacri: vtraque enim incapacem reddit matrimonij contrahendi: quidquid ſit vtrum ſponſalibus adſtrictus, ſponſa deſerta, poſſit licite Religionem ingredi, aut ſacro Ordine initiari, vbi præſertim fuerint ſponſalia iurata, de quo diſputat Sanch. *de matrim. lib.* 1. *diſp* 43. *& diſp.* 47. Caſtrop. *par.* 5. *de ſponſalib. diſp* 1 *puncto* 17. *n.* 4. *& puncto* 19 alijque apud ipſos.

12. Tertio diſſoluuntur per ſequentem fornicationem ſiue Sponſi, ſiue Sponſæ. Si enim hæc ſufficiens eſt cauſa ad diſſoluendam mutuam coniugum habitationem poſt contractum coniugium; à fortiori ſufficiet ante contractum coniugium ad cohabitationem non contrahendam: quia turpius eijci tur quam non admittitur hoſpes, vt dicitur in *c quemadmodum* 25. *de iureiur.* Cum autem hæc ſponſalium diſſolutio conceſſa ſit in ſolius innocentis fauorem, & id quod ob gratiam alicuius conceditur, non ſit in eius diſpendium retorquendum *c.* 61. *de reg. iur. in* 6. ideo ſolus innocens habet ius reſcindendi ſponſalia, fornicans autem adhuc obſtrictus eſt ſponſalium obligationi, ſi alter Sponſus perficere contractum velit, ne commodum ex iniquitate reportet.

13. Quarto ſolui poſſunt ſponſalia

ſi

ſi grauis aliqua mutatio poſt illa contra-ĉta ſuperueniat, vt puta ſi mulier fieret non ſolum leproſa, ſed etiam paralytica, vel oculos, vel naſum amitteret, vel quicquam ei turpius eueniret, iuxta textum in cit. *c. quemadmodum* 25. *de iureiur.* aut etiam ex defectu promiſſæ dotis, vt docet communis ſententia teſte Caſtrop. in cit. *diſp.* 1. *puncto* 28. quia promiſſio dotis eſt veluti conditio ſub qua ſponſalia celebrantur: quare deficiente ea conditione, etiam citra fęminæ culpam, non obligabunt, vt docet Sanch. *de matrim. lib.* 1. *diſp.* 59.

14. Demum ſoluuntur ſponſalia, ſi non licite, ſaltem valide per ſubſequens matrimonium per verba de pręſenti contractum ab alterutro cum alia perſona, *ex c. ſi inter* 31. *de ſponſal.* vinculum enim matrimonij eſt fortius, & præualet vinculo ſponſalium.

15. Præter obligationem ſupradictam, quæ oritur ex ſponſalibus, legitime celebratis, alius quoque ſponſalium effectus eſt quædam quaſi affinitas, ſeu propinquitas, quæ de Iure Canonico introducta eſt, atque contrahitur à Sponſo relate ad conſanguineos ſuæ Sponſæ, & viciſſim à Sponſa relate ad conſanguineos ſui Sponſi, eo proportionaliter modo quo perfecta affinitas contrahitur ex matrimonio contracto per verba de pręſen-

ſenti. Ratione huius propinquitatis, nequit quis matrimonium contrahere cum aliqua, quæ ſit conſanguinea alterius, cum qua prius ſponſalia contraxit, & viciſſim matrimonium contrahere non poteſt mulier cum aliquo conſanguineo alterius, cui ſe prius deſponſauit, vt conſtat *ex c. ſponſam* 8. *de ſponſalib. c. ad audientiam* 4. *eod* & propterea talis affinitas ex ſponſalibus contracta numeratur inter impedimenta dirimentia, de quibus paulo infra ſermo erit, vocaturque impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis, *ex c. vnico de ſponſal. in 6.*

16. Hoc impedimentum antiquitus oriebatur ex quibuſuis ſponſalibus puris & certis, etiamſi ea eſſent nulla propter aliquod impedimentum dirimens, puta propter conſanguinitatem, affinitatem, Sacros Ordines &c. dummodo non eſſent nulla ex defectu conſenſus, *ex cit. c. vnico de ſponſalib. in 6.* item extendebatur vſque ad quartum gradum, vt ſumitur *ex c. non debet* 8 *de conſanguinit. & affinit.* At per Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 3. *de refor. matrim.* ſtatutum eſt, vt hoc impedimentum non oriatur niſi ex ſponſalibus validis; vbi autem valida fuerint, non excedat primum gradum. Quid autem ſint gradus, vbi de affinitate, vel conſanguinitate ſermo eſt, & quomodo numerandi, paulo inferius exponetur.

Poſt

17. Poſt ſponſalia, quæ contrahuntur per verba de futuro, ſequitur Matrimonium contractũ per verba de pręſenti, quod in lege Euangelica, vt ſupra diximus, eſt Sacramentum. Ad illud valide contrahendum requiritur liber conſenſus & acceptatio vtriuſque Sponſi; vt poſtulat ipſa natura contractus. Item requiritur vt contrahatur in facie Eccleſiæ, ſeu coram proprio Parocho, & Teſtibus. Matrimonia enim ſine tali ſolemnitate contracta, vocantur clandeſtina, quæ antiquitus, quamuis eſſent reprobata ab Eccleſia, erant tamen valida: nunc tamen non ſolum illicita ſunt, ſed etiam inualida, eo quod a Trid. *ſeſ* 24. *de reform. Matr. cap.* 1. fuerint irritata.

18. Præterea requiritur ad validotatem Matrimonij, vt nullum in vtrique contrahente detur impedimentum ex ijs, quæ dirimentia nominantur. Huic iuri ſeruando conſultum eſt a Trid. in cit *c.* 1. *ſeſ.* 24. vbi pręcipit, vt antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtiuis in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia publicè denuntietur inter quos Matrimonium ſit contrahendum. Quod ſi aliquando probabilis ſit ſuſpicio, Matrimonium malitiosè impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denunciariones

tiones; tunc, vel vna tantum denunciatio fiat; vel ſaltem Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus Matrimonium celebretur: deinde ante illius conſummationem denunciationes in Eccleſia fiant; vt ſi aliqua ſubſunt impedimenta, facilius detegantur: niſi Ordinarius ipſe expedire iudicauerit, vt prædictę denunciationes remittantur; quod illius prudentiæ, & iudicio Sancta Synodus relinquit.

19. Dixi *nullum detur impedimentum ex ijs quæ derimentia nominantur*. Duplicis enim generis recenſentur impedimenta Matrimonij. Alia ſunt impedientia tantùm, propter quæ ſcilicet prohibetur contractus Matrimonij; ſed ſi de facto fiat, valide fit, quamuis etiam illicite. Alia ſunt impedimenta dirimentia, quæ ita vocantur, non quia Matrimonium iam ſemel valide contractum dirimant, ſed quia dirimunt Matrimonium attentatum, ſeu impediunt ne Matrimonium valide contrahatur.

20. Inter impedimenta primi generis, quæ tantum impediunt, ſed non dirimunt, numeratur prohibitio, quæ ab Ordinario fiat ad aliquod tempus de coniugio contrahendo, vt conſtat ex toto tit. *De Matrimonio contracto contra Interd. Eccl.* Secundo tempus feriarum, quod ex Trid. *ſeſ.24. de reform. Matrim.*

cap.

cap. 10. extenditur ab aduentu Domini vſque in diem Epiphanię, & a feria quarta Cinerum vſque in Octauam Paſchatis incluſiue: quibus diebus prohibentur nuptię solemniter celebrari. Tertio Sponſalia per verba de futuro contracta cum aliqua perſona: ijs enim permanentibus prohibitū eſt contrahere Matrimonium cum alia perſona. Quartò votum ſimplex non nubendi, aut votum ſuſcipiendi Sacros Ordines, aut ingrediendi Religionem, vel caſtitatem ſeruandi *ex c. conſuluit 4. c. Meminimus 3. c. Rurſus 6. Qui Clerici vel vouentes &c. &* ex *c. vnico De voto in 6.* Alia plura circa hoc genus impedimentorum videri poſſunt apud Sanch. *lib. 7. de Matrim. diſp. 6. & ſeqq.*

21. Impedimenta ſecundi generis, quæ non ſolum reddunt illicitum contractum Matrimonij, ſed etiam impediunt ne valide fiat, vnde & illud dirimunt ſi forte attentatum fuerit, attento iure veteri ſunt 12. quibus alio duo addita ſunt a Trid. *ſeſ. 24. de reform. matrim. cap. 1. & 6.* quæ omnia his verſibus continentur.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis Affinis, ſi forte coire nequibis,

Si

Si Parocbi, & duplicis deſit præſentia teſtis,
Raptaue ſit mulier, nec parti reddita tuta:
Hæc ſocianda vetant, connubia facta retractant.

Impedimenta tribus primis verſibus contenta, ſunt etiam de iure veteri: ea autem, quæ duobus ſequentibus verſibus continentur, ſtatuta ſunt a Trid. in locis citatis.

22. Primum igitur impedimentum dirimens eſt error, qui ſit circa perſonam ipſam, vt ſi quis exiſtimans ſe contrahere cum vna perſona, contrahat cum alia. Ad valorem enim Matrimonij maxime requiritur conſenſus liber; hic autem cum tali errore non datur, vt ſumitur ex *l. ſi per errorem 15. ff. de iuriſd. omnium Iudicum, l. Cum Teſtamentum 8. & l. Non idcirco 9. C. de Iuris, & facti ignorantia*. Si tamen error ſit ſolum circa qualitatem perſonæ, vt puta ſi quis contrahat cum aliqua, quam putat eſſe diuitem, aut nobilem, cum tamen talis non ſit; ſubſiſtit Matrimonium: talis enim error non impedit conſenſum ſubſtantialiter requiſitum, qui reſpicit perſonam ipſam, non autem qualitates perſonæ: niſi tamen ipſa qualitas perſonæ apponatur in contractu, tanquam conditio ſine qua non, vt ſi quis dicat contraho tecum ſi diues aut nobilis es, & aliter non contraho.

Secun-

23. Secundum impedimentum eſt conditio ſeruilis ignorata, vt conſtat ex c. 2. 3. & vlt. *de coniug. ſeruor.* vnde ſi quis liber contraxit cum ancilla cuius ſeruitutem ignorabat, aut e conuerſo, & poſtquam intellexit conditionem ipſius, nec facto, nec verbo conſenſit in eandem, ſeparatur matrimonium, & cum alia contrahere poterit. Nomine autem conditionis ſeruilis debet hic intelligi ſeruitus proprie, & rigoroſe dicta, qualis eſt ea, per quam aliquis ità ſubijcitur dominio alterius, vt poſſit etiam ab eodem venundari.

24. Tertium impedimentum eſt votum ſolemne caſtitatis, quale eſt quod emittitur in Profeſſione Religioſa, & in ſuſceptione Ordinis Sacri, quod dirimit Matrimonium poſtea contractum, iuxta textum in *c. vnico de Voto, & voti redempt. in* 6. Votum autem ſimplex &ſi quandoque Matrimonium impediat contrahendnm, non tamen reſcindere poteſt Matrimonia poſt contracta, *ex cit. c. vnico*, excepto voto ſimplici caſtitatis quod a Religioſis Societatis emittitur poſt Nouitiatum, quod habet vim dirimendi Matrimonium *ex conſtit. Greg. XIII. Aſcendente* 89. *eiuſdem Pontificis in Bullario*.

25. Quartum impedimentum eſt cognatio, quæ triplex eſt, ſpiritualis, legalis

galis, & naturalis, de quibus ſingulis extant ſpeciales rubricæ in lib 4. Decretal. Cognatio ſpiritualis eſt propinquitas perſonarum iure Eccleſiaſtico inducta ex ſuſceptione vel miniſtratione Sacramenti Baptiſmi, & Confirmationis, eaque contrahitur inter baptizantem, & baptizatum, eiuſque Patrem, & Matrem, inter Patrinum & baptizatum eiuſque Patrem, & Matrem: & idem eſt in Sacramento Confirmationis. Hoc etiam genus cognationis eſt impedimẽtum dirimens, vt ſupra dictum eſt *hoc lib. 2. tit. 3. n. vlt. & tit. 4 n. vlt.* ſumiturque ex toto tit. *de cognat ſpirit. & ex Trid. ſeſ. 24 de refor. matrim. cap. 2.*

26. Cognatio legalis eſt propinquitas perſonarum ex adoptione prouenienſ, inuenta primitus & inducta a Iure ciuili §. *& hæc adeo vera &* §. *Inter eas Inſtit. de nupt.* alijsque iuribus, ac deinde a Sacris Canonibus approbata, vt cõſtat ex *c Ita diligere 30. q. 3. & ex cap. vnico de cognatione legali*. Reſultat hæc cognatio primò inter adoptantem, & adoptatum: ſecundo inter adoptatum, & filios carnales ſaltem legitimos adoptantis, quæ eſt quaſi linea tranſuerſalis in cognatione legali: tertio, per modum cuiusdam affinitatis, inter adoptantem & vxorem adoptati, nec non inter adoptatum, & adoptantis vxorem.

Quam-

27. Quamlibet huiuſcæ legalis cognationis ſpeciem eſſe impedimentum dirimens, eſt ſententia recepta, vt videre eſt in Panor. *rubr. de cognat. legali* Sanch. *lib. 7. de Matrim. diſp.* 63. aliiſque apud ipſum. Cum enim a Iure Canonico in rubrica *de cognat. legal.* approbetur in communi cognatio legalis, prout ſtatuta fuerat per Ius Ciuile; per hoc autem ſtatutum ſit quamlibet ex dictis cognationibus legalibus eſſe impedimentum dirimens Matrimonij contrahendi; ſequitur quamlibet illarum cognationum etiam de Iure Canonico eſſe impedimentum dirimens Matrimonij contrahendi. Sed & in particulari, prima ſpecies cognationis quæ eſt inter adoptantem & adoptatum, approbatur in cit. *c. Ita diligere* 30. *q.* 3. Altera ſpecies lineæ tranſuerſalis quæ eſt inter adoptatum & filios carnales adoptantis, approbatur in cit. c. vnico *de cognat. legal.* & in *c. Per adoptionem* 6. 30. *q.* 3. Tertia ſpecies cognationis quæ eſt inter adoptantem & vxorem adoptati, nec non inter adoptatum & adoptantis vxorem quamuis nullo expreſſo textu Iuris Canonici approbata reperiatur; adhùc tamen & ipſa approbata cenſetur in generali approbatione cognationis legalis, vt notat Sanch. in cit *diſp.* 63. *n.* 17.

28. Id tamen diſcriminis pro re-

prę-

præſenti eſt inter eaſdem cognitionis legalis ſpecies, quod prima ſpecies impediat, & dirimat perpetuo matrimonium, ideſt id impedimentum duret inter adoptantem, & adoptatum etiam ſoluta adoptione ſeu poſt emancipationem adoptati, iuxta textum *in l. Quin etiam 55. ff. de ritu nuptiar.*, & *§. Ergo non omnes Inſtit. de nuptijs*. Idem Iuris eſt de tertia ſpecie *ex l. Adoptiuus 14. ff. de ritu nupt.* At ſecunda ſpecies cognationis legalis in linea tranſuerſa inter filios carnales adoptantis, & filios eiuſdem adoptiuos, non impedit in perpetuum, ſed quamdiu durat adoptio, ſeu quamdiu ijdem filij ſub adoptantis poteſtate permanent, *ex c. vni. De cognat. leg. & l. Per adoptionem 17. ff. de ritu nuptiar.* Quare ſoluta patria poteſtate, vel per mortē adoptantis, vel per emancipationem ſecundum leges, ſiue filij adoptiui, ſiue naturalis, ceſſat impedimentum prædictum; vt puta ſi qua per adoptionem ſoror tibi eſſe cœperit, ac deinde vel ipſa, vel tu emancipatus fueris, nihil eſt impedimento nuptijs inter te, & illam celebrandis, iuxta textum in *§. Inter eas Inſtit. de nuptijs*.

29. Quod ſi contingat adoptari aliquem, qui tempore adoptionis ſub poteſtate ſua proprios filios habeat, nepotes, alioſue deſcendentes; in tali caſu

con

contrahitur etiam cognatio legalis inter adoptantem, & ipſos. Adoptata enim aliqua perſona, cenſentur adoptati etiam eius filij, ac deſcendentes in quouis gradu, qui tempore adoptionis erant in eius poteſtate, vt expreſſe deciditur *in l. Si paterfamilias 15. ff. de adoption.* adeoque inter ipſos, & adoptantem ſtare non poteſt matrimonium. Secus eſt de filijs quæ tempore adoptionis non ſunt ſub poteſtate adoptati, vnde infert Sanchez in cit. *diſp. 63.* poſſe conſiſtere Matrimonium inter adoptantem, & filiam filiæ adoptiuæ, quia mulier neminem habet in ſua poteſtate, ex § *fœminæ Inſt. de adoption.* necnon inter adoptantem, & quemcumque filium illegitimum adoptati, quia illegitimus, quamdiu talis eſt, non eſt ſub poteſtate Patris, *ex § fin. Inſtit. de nuptijs.* Videri poteſt Sanch. in cit. *diſp. 63. lib. 7. de Matrim.*

30. Cognatio naturalis dicitur, quæ per conſanguinitatem, aut affinitatem contrahitur. Eſt autem conſanguinitas proquinquitas perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium, ac diſtingui ſolet per lineas, & gradus. Nomine lineæ intelligitur ipſamet perſonarum collectio ex eodem ſtipite procedentium, diuiditurque in lineam rectam, & in lineam tranſuerſalem. Linea recta

eſt

eſt illarum perſonarum collectio, & ſeries, quarum vna generatur ab alia, continetque aſcendentes, & deſcendentes, v. g. Auus, Pater, Filius, Nepos, &c. Linea tranſuerſalis eſt collectio illarum perſonarum, quæ ab eodem ſtipite procedunt, ſed vna non generatur ab alia. Nomine graduum conſanguinitatis intelligitur habitudo ſeu menſura coniunctionis conſanguineorum inter ſe, qua cognoſcitur quota conſanguinitatis diſtantia inter ſe coniungantur, per ordinem ad ſtipitem, a quo deſcendunt.

31. Pro computatione talium graduum triplex regula a Doctoribus aſſignari ſolet poſt Gloſ. in *c. fin. de conſanguin. & affinit. & 35. q. 5. in expoſitione arboris conſanguinitatis*. Prima eſt pro linea recta, videlicet: Tot gradibus vnus alteri coniungitur, quot generationes intermediant. Vnde filius eſt in primo gradu cum Patre, quia media vnica generatione ab eo procedit: at Nepos cum Auo eſt in ſecundo gradu, quia mediat duplex generatio, & ſic de reliquis. In idem recidit quod paulò diuerſis terminis ab alijs dicitur, nempe; inter perſonas ad lineam rectam pertinentes, quarum gradus quæritur, vel nulla mediat perſona, ſicut accidit inter Patrem, & filium; vel mediat aliqua alia ſeu multiplex perſona: ſi nulla

mediat, ſunt in primo gradu; ſi autem mediat aliqua vel multiplex, tunc numeratis omnibus perſonis, medijs & extremis, dematur de numero illo vna perſona, & quot perſonæ reſtant, tot ſunt gradus, vt puta nepos diſtat ab Auo in ſecundo gradu lineæ rectæ, quia ſunt duæ perſonæ extremæ quarum gradus quæritur, ſcilicet Nepos, & Auus, & vna media inter ipſos, hoc eſt Pater Nepotis, vnde dempta vna manent duæ & ſic duo gradus. Idem dic de reliquis.

32. Secunda regula eſt pro linea transuerſa æquali, in qua dicuntur eſſe illi, qui æqualiter diſtant a communi ſtipite, & non originatur vnus ab alio, vti ſunt frater, & ſoror, &c. videlicet: Tot gradibus vnus alteri coniungitur, vel ab eo diſtat, quot quilibet coniungitur, vel diſtat a communi ſtipite. Hinc frater, & ſoror ſunt in primo gradu, quia vterque diſtat vnico gradu a communi ſtipite, ſcilicet a Patre, at nepos & neptis ex eodem auo diſtant duobus gradibus, quia vterlibet duobus gradibus diſtat a communi ſtipite, nempe ab Auo.

33. Tertia regula eſt pro ijs qui ſunt in linea tranſuerſali, & inęqualiter diſtant a communi ſtipite; videlicet: Tot gradibus vnus alteri coniungitur, vel ab eo diſtat, quot diſtat a communi ſtipite

is

is qui remotior eſt. Hæc traditur expreſſe in *c. fin. de conſanguin.* v.g Petrus habet filios Paulum, & Ioannem, Ioannes autem habet filiumFranciſcum; Paulus, & Franciſcus, nempe Patruus, & ex fratre Nepos, ſunt in ſecundo gradu, quia Franciſcus Nepos, qui eſt remotior a communi ſtipite, nempe a Petro, diſtat ab ipſo Petro duobus gradibus.

34. Quoad iſtam graduum computationem, Ius Canonicum partim conuenit cum Iure ciuili, partim ab eo differt. Conuenit in computatione graduum lineæ rectæ: differt in computatione graduum tranſuerſæ lineæ, vt exponitur in *cap. Ad ſedem* 35. *queſt.* 5. Cum enim Ius Canonicum duos fratres reponat in primo gradu conſanguinitatis, Ius ciuile illos reponit in ſecundo; & eodem modo filij fratrum in Iure ciuili computantur in quarto gradu, cum ſecundum Canones computentur in ſecundo, & ſic vlterius, itaut duo gradus legales vnum Canonicum conſtituant. Vnde pro computãdis gradibus in linea tranſuerſa, attento iure ciuili, hæc traditur regula a Sanch. *lib. 7. de Matrim. diſp.* 50. *n.* 7. Duo conſanguinei, quorum gradus quæritur, exiſtentes in linea tranſuerſali, vel ſunt in linea tranſuerſa æquali, vel in linea tranſuerſa inæqua-

quali. Si ſunt in linea æquali; quoto gradu vterlibet diſtat a communi ſtipite, toto duplicato diſtant inter ſe: at ſi linea ſit inæqualis, quot ſunt perſonæ computàtis extremis, & medijs, ſtipite dempto, tot ſunt gradus. Vt puta duo fratres de iurè ciuili diſtant duplici gradu, quia quilibet illorum diſtat a communi ſtipite, nempe a communi Patre, vnico gradu, vnde duplicato vno gradu, manent duo. At Patruus, & filius ex Fratre diſtant de Iure ciuili in tertio gradu, quia ſunt duæ perſonæ extremæ, & vna mediat, videlicet Pater illius filij, vnde tres gradus efficiuntur.

35. Ratio huius diuerſitatis indicatur in cit. *c. ad ſedem*: quia ſcilicet iura ciuilia numerant gradus in ordine ad ſucceſſionem hæreditatum, pro quibus attenduntur ſingulares perſonæ, & ideo in ſingulis perſonis ſingulos perficiunt gradus: at Sacri Canones computant gradus, vt rite Matrimonia celebrentur. Cum autem Matrimonia ſine duabus perſonis fieri non poſſint; ideo Sacri Canones duas perſonas in vno gradu conſtituerunt. Atque hic computandi modus de Iure Canonico ſtatutus ſeruandus eſt in ordine ad matrimonia.

36. His præſuppoſitis, conſanguinitas eſt impedimentum dirimens, quod

anti

antiquitus extendebatur vſque ad ſeptimum gradum, vt conſtat ex cit. *c. Ad Sedem*. Sed nunc extenditur dumtaxat ad quartum, *ex c. fin. de Conſanguin.* vbi decernitur quod ſi Vir diſtat a communi ſtipite quarto gradu, & mulier ex alio latere diſtat ab eodem ſtipite quinto gradu, licite poſſunt matrimonio copulari, iuxta tertiam regulam ſupra poſitam, quod ſcilicet computatio graduum inter duos in linea tranſuerſali inæqualiter a communi ſtipite diſtantes deſumitur a remotiori, iuxta quam regulam in tali caſu Vir, & Mulier dicuntur eſſe in quinto gradu conſanguinitatis.

37. Alia ſpecies cognationis naturalis eſt affinitas, quo nomine intelligitur propinquitas perſonarum ex carnali copula proueniens, ſiue ea ſit copula coniugalis, ſiue fornicaria. Talem cognationis ſpeciem contrahunt cum viro conſanguinei vxoris, vnde v. g. nepos vxoris dicitur eſſe affinis viro: & eodem modo eandem contrahunt cum vxore conſanguinei viri, vnde v. g. nepos viri eſt affinis vxori. In hac etiam ſpecie cognationis numerantur gradus ſicut in conſanguinitate: imo in quo gradu aliquis eſt conſanguineus viro, in eodem gradu eſt affinis vxori; & in quo gradu eſt conſanguineus vxori,

ri, eſt affinis viro. Sic quia Soror vxoris eſt in primo gradu conſanguinitatis cum vxore, ita pariter eſt in primo gradu affinitatis cum viro.

38. Quemadmodum autem ex dictis conſanguinitas vſque ad quartum gradum incluſiue eſt impedimentum dirimens; ita & affinitas proueniens ex copula licita, & coniugali, iuxta textum in *cap. Non debet 8. de conſanguinit.* Si autem affinitas oriatur ex copula fornicaria, extenditur dumtaxat ad ſecundum gradum incluſiue, ex decreto Trident. *ſeſſ.* 24. *de reform. Matrim. cap.* 4.

39. Quintum impedimentum eſt *crimen*, ſub quo nomine comprehenduntur aliqua ſpecialia delicta, in quorum pœnam Eccleſia reddit inhabiles ad contrahendum ſimul matrimonium eas perſonas, quæ ſimul illa delicta commiſerunt. Huiuſmodi crimen eſt primo adulterium ſimul cum occiſione coniugis proprij, vel alieni, ſeu cum machinatione eiuſdem occiſionis, effectu ſubſecuto, vt ſumitur ex *c.* 1. *&* 3. *&* 6. *de eo qui duxit in matrim. & ex c. Si quis viuite* 5. 31. *q.* 1. iuncta communi Theologorum, & Iuriſtarum ſententia apud Sanch. *lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 78. *n.* 7. Alterum crimen præſtans impedimentum dirimens matrimonio eſt adulterium

rium cum promiſſione facta de Matrimonio poſt obitum coniugis contrahendo, vt patet *ex c.* 1. & *c. Veniens* 7. & *c. fin. de eo qui duxit in matrimonium &c.* Non contrahitur igitur impedimentum dirimens per ſolum adulterium, ſed per adulterium coniunctum cum occiſione, aut machinatione occiſionis coniugis, vel cum promiſſione futuri coniugij, vt etiam habetur in *c. Significaſti* 6. *eod.*

40. Quod ſi contingat nullum adulterium committi, ſed ſolum occiſionem coniugis ex intentione contrahendi Matrimonium cum coniuge ſuperſtite; pro tali caſu diſtinctione vtitur Th. Sanch. in cit *diſp.* 78. *n.* 9. Vel enim vterque copulari matrimonio volens cooperatus eſt ad mortem alteri coniugi inferendam, vt cum ſuperſtite contrahatur, vel alter dumtaxat abſque alterius opera, aut conſilio mortem illam machinatus eſt. Si vterque: contrahitur impedimentum dirimens etiam ſine adulterio, vt ſatis colligitur ex *c.* 1. *de conuerſ. infidel.* Si autem vnus dumtaxat ex illis mortem machinatus eſt abſque alterius opera, vel conſilio; etiam pro tali caſu docet Innoc. *in cap. Super eo. de eo qui duxit &c.* contrahi impedimentum dirimens, etiam ſine adulterio; alij tamen plurimi, quos in lo-

co citato refert, & ſequitur idem Sanch. ſentiunt, tunc tale impedimentum non contrahi, niſi etiam interueniat adulterium.

41. Sextum impedimentum eſt *cultus diſparitas*, quo nomine intelligitur diuerſitas illa, quæ interuenit inter perſonam baptizatam, & perſonam non baptizatam. Ratione huius impedimenti nequit vir Chriſtianus matrimonium contrahere cum muliere pagana, aut mulier Chriſtiana cum viro pagano: quidquid ſit vtrum hoc impedimentum dirimens introductum ſit à iure ſcripto, videlicet ex Conc. Nicęno primo *can. 67. & can. 69.* vt aliqui volunt, ſiue, vt alij malunt, a conſuetudine per Eccleſiam approbata, & vim legis habente. Congruentia huius legis magna eſt. Cum enim Chriſtus Dominus Matrimonium in Sacramentum eleuauerit, non debet Chriſtianus Matrimonium contrahere quod Sacramentum non ſit, ſicut de facto Sacramentum non eſſet ſi cum non baptizato contraheretur, eo quod non baptizatus non ſit capax alicuius Sacramenti ſuſcipiendi, & nequeat matrimonium eſſe Sacramentum ex parte vnius, & non ex parte alterius coniugis, cum matrimonium ſit vnicum vinculum afficiens duas perſonas. Matrimonium tamen perſonæ Catholicæ cum

per-

perſona hæretica, etſi regulariter peccaminoſum ſit, vt conſtat ex *can.* 13 *Conc. Calcedon.*, ex *c. Decreuit* 14 *de hæret. in 6.* alijſque iuribus; non tamen eſt irritũ, arg. eiuſdẽ *cap. Decreuit*, vbi decernitur, vxores Catholicas, quæ ſcienter hæreticis nupſere, priuandas eſſe dote in pœnam delicti, & tamen non iubentur ſeparari: & ita fert conſuetudo in Eccleſia, vt eiuſmodi matrimonia reputentur valida, ſicut tradit Sanch. *lib. 7. de Matrim. diſp.* 72. *n.* 2.

42. Septimum impedimentum eſt *Vis*, quo nomine intelligitur coactio, aut metus, quo Matrimonium irritatur ſi ſit metus grauis, & iniuſtè incuſſus, vt patet ex *c. Cum locum* 14. *c. Veniens* 15. *de Sponſalib.* & *c.* 2. *de eo qui duxit in matrim.* &c.

43. Octauum impedimentum eſt *Ordo*, videlicet Ordo Sacer, qui vel ratione ſui, vel ſolemnis voti caſtitatis ſecum adnexi matrimonium contrahendum dirimit, vt deſumitur ex *cap.* 1. & 2. *alijſque . qui Clerici, vel vouentes* &c. & ex *c. vn. de voto in 6.*

44. Nonum impedimentum eſt *ligamen*, quo nomine intelligitur vinculum matrimoniale iam contractum inter duos: quamdiu enim tale vinculum durat, vterque coniux eſt inhabilis ad aliud matrimonium contrahendum, vt

conſtat ex *c. licet* 4. & *c. fin. de Sponſa duorum*, *c. Gaudemus* 8. *de diuortijs*, alijſque textibus.

45. Decimum impedimentum eſt *honeſtas*, hoc eſt impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis, quod ſicut contrahitur ex ſponſalibus de futuro, vt ſupra dictum eſt *n.* 15. ita & à fortiori contrahitur ex matrimonio contracto per verba de præſenti, vt docent Ioan. Andr. in *c. Sponſam*, initio *de Sponſal.* & ibi Abb. n. 1. alijque relati a Sanch. *lib.* 7. *de Matrim diſp.* 70. *n.* 1. Cum autem Conc. Trid. *ſeſs.* 24. *de refor. matr. cap.* 3. reſtrinxerit impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis ortum ex ſponſalibus contractis per verba de futuro, itaut non extendatur vltra primum gradum, & itaut locũ non habeat vbi ſponſalia quacumq. ratione valida non ſint, vt ſupra diximus n. 16. dubitatum olim fuit vtrum iſta reſtrictio intelligenda ſit etiam pro matrimonio contracto per verba de præſenti. Hæc tamen dubitatio ſublata fuit a B. Pio V. in Bulla quæ incipit *Ad Romanum* edita Kal. Iul. 1568 quæ eſt 62. eiuſdem Pontificis in Bullario, vbi authentice declarauit decretum Concilij procedere dumtaxat in Sponſalibus de futuro, non autem in matrimonio contracto per verba de præſenti, adeoque in matrimonio taliter contra-

cto

ćto durare adhùc impedimentum publicæ honeſtatis in omnibus illis caſibus & gradibus, quibus de iure veteri ante prædictum decretum Concilij introductum erat, de quibus ſermo eſt in *c.unico, de Sponſal. in 6.* vt ſupra expoſuimus *num.* 16

46. Vndecimum impedimentum eſt *affinitas*, de qua ſupra diximus *n.* 37. & 38.

47. Duodecimum eſt impotentia perpetua ad copulam, vt conſtat ex toto tit. *de frigid. & malefic.* ſecus autem ſi impotentia ſit ſolum temporalis, *ex c. fraternitatis 6. eod.* excepto ſi temporalis impotentia procedat ex defećtu ętatis ad matrimonium requiſitę, quia contractus ante pubertatem matrimonium non facit, ſi tunc deſit potentia generandi, & ſufficiens diſcretio ad ſe obligandum, *ex c. atteſtationes* 10. *c. de illis* 9. alijſque iuribus *de deſponſat. impuber.* Ætas autem pubertatis præſumitur eſſe in viro annus decimus quartus ex cit. *c. atteſtationes, & c. ex litteris* 11. *eod.* in fœmina annus duodecimus, *ex c. continebatur 6. eod.* Videri poteſt Sanch. *lib.* 7. *de matrim. diſp* 104. *& ſeqq.*

48. Decimum tertium eſt ſi contraćtui matrimoniali non interueniat Parochus & duo vel tres teſtes, quod decretum fuit à Trid. *ſeſſ.* 24. *de refor. matrim.*

cap. 1. vbi matrimonia abſque tali ſolemnitate contracta irrita eſſe decernuntur.

49. Decimum quartum, & vltimum impedimentum eſt raptus mulieris, quę quamdiu in poteſtate raptoris manſerit, non poteſt eidem valide matrimonio copulari. Quod ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto, & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in vxorem habere poteſt: quamuis nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium, & fauorem præbentes, ſint ipſo iure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant: & preterea raptor teneatur mulierem raptam, ſiue eam in vxorem duxerit, ſiue non duxerit, decenter arbitrio iudicis dotare. Ita expreſſe Trid. *ſeſſ.* 24. *de reform. matrim. cap.* 6.

50. Quod tamen dictum eſt hactenus, cum nullo prædictorum impedimentorum contrahi matrimonia validè poſſe, intelligendum eſt niſi diſpenſatio obtineatur, quæ pro impedimentis de iure duntaxat Eccleſiaſtico ſtatutis obtineri poteſt, ac nonniſi à Summo Pontifice peti, vt pluribus relatis docet Sanch. *lib.* 8 *de matr. diſp.* 6 *n.* 14. ac de facto praxis oſtendit, præſertim circa di-

diſpenſationem pro impedimento conſanguinitatis, circa quam etiam aliqua ſpecialia ſtatuta ſunt, vt videre eſt in Trid. *ſeſſ.24.de refor.matr.cap.5.* vbi inter reliqua decernitur, vt in ſecundo gradu numquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam, quo tamen non obſtante indubitatum eſt poſſe Summum Pontificem diſpenſare ob legitimam cauſam etiam cum inferioris conditionis hominibus. In petitione autem diſpenſationis pro ijs conſanguineis collateralibus, qui inęqualiter diſtát à communi ſtipite, quamuis eorum gradus ſumatur à remotiori, vt dictum eſt *n.33.* attamen conſuetudinis eſt vt exprimatur quoto gradu vterlibet eorum diſtet à ſtipite, & ſi eorum alter ab eodem ſtipite diſtet vnico gradu, exprimendum id eſſe, conſtat etiam ex Conſt.B. Pij V. edita die 20. Auguſti 1566. quæ in Bullar. eſt 13. inter eiuſdem Pontificis Conſtitutiones.

51. Matrimonium legitimè, & abſque impedimento dirimente ſemel contractum inter fideles, & conſummatum, indiſſolubile eſt quoad vinculum, iuxta illud Chriſti Domini Matth. 19. *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*. Quod ſi ratum dumtàxat ſit, ſed non conſummatum, diſſoluitur per Profeſſionem Religionis, vt conſtat ex Trid. *ſeſs 24.*

can.

can.6.c.ex parte tua 14.de conuerſ. coniug. aliiſque iuribus. Ex hoc tamen non fit, diſſolui etiam per ſuſceptionem Ordinis ſacri, quia ea ſuſceptio votumque ſolemne caſtitatis cum ſacro Ordine annexum, quamuis ſatis ſit ad impediendum matrimonium contrahendum, non ſufficit ad contractum diſſoluendum, iuxta textum expreſſum in *extrau. vnica de voto inter extrau. Ioan.*

52. Non obſtante tamen vinculi indiſſolubilitate, poteſt multiplex caſus contingere, in quo diuortium inter Coniuges fiat, nempè ſeparatio habitationis, permanente vinculo coniugali. Ita contingeret ſi vterque coniux cum alterius licentia continentiam voueret &c. Item ſufficiens cauſa diuortij eſſet alterutrius coniugis adulterium, ex *c. dixit Dominus* 32. *q.* 1. Dixi *alterutrius*: quia ſi vterque eius criminis reus eſt, diuortium fieri non poteſt, *ex c. ſignificaſti* 4. *& c. ex litteris* 5. *de diuortijs*, *& c. intelleximus* 6. *& c. fin. de adulterijs*, vbi ea redditur ratio, quod paria crimina quoad ius priuatorum compenſatione mutua deleantur; quę etiam ſumitur ex *l. viro atque vxore* 39 *ff. ſoluto matrimonio* Item cauſa ſufficiens eſt ſpirituale coniugis adulterium, hæreſis videlicet, vt colligitur ex *c. non ſolùm* 6. 28. *q.* 1 *c. de illa* 6. *& c. quanto* 7. *de diuort.* Id tamen di-

diſcriminis pro re præſenti eſt inter hoc vtrumque genus adulterij, quod carnale ſit cauſa ſufficiens perpetuæ ſeparationis, itaut coniux innocens non compellatur recipere vxorem adulteram etiam emendatam: at in caſu ſpiritualis adulterij, id non vniuerſim procedat, ſed dumtaxat quando coniux innocens receſſit iudicio Eccleſiæ ab hæretico. Si enim propria authoritate ſe ab eo ſeparauerit, compellitur admittere coniugem emendatum, per textum in eod. *c. de illa*. Demum ſi contingat inceſtus commiſſus à viro cum conſanguinea, vxoris ſuæ intra gradus prohibitos, amittit vir ius petendi debitum, vt patet ex pluribus iuribus ſub rubr. *de eo qui cognouit conſanguineam &c.*

TIT. X.

De Rebus Sacris, & Religioſis.

1. ABſoluto tractatu Sacramentorum, quæ nobiliſſimam, rerum Eccleſiaſticarum corporalium, claſſem conſtituunt, progredimur ad ſecundam earundem rerum ſpeciem, quæ dicuntur ſpecialiter res ſacræ, eo quod ſpeciali aliqua deputatione ſint ad Dei cultum, & Religionem ordinatæ, quales ſunt Eccleſiæ, Altaria, Sepulturæ de qui-

quibus ſpecialiter agendum hic eſt.

2. Eccleſię nomen ſolet in vtroque Iure dupliciter accipi: primò pro multitudine Fidelium. Secundo pro ęde ſacra, in qua res Diuina fit, & Sacramenta adminiſtrantur, quomodo etiam accipitur in iure ciuili *C. de Sacroſanctis Eccleſiis*, & hoc modo ſumetur etiam hic à nobis.

3. Eccleſia tali modo ſumpta, alia dicitur Parochialis, alia Baptiſmalis, alia Collegiata, alia Cathedralis, alia Metropolitana, alia Primatialis, alia Patriarchalis, alia Conuentualis, alia Matrix, alia Curata. Eccleſia Parochialis eſt, quæ habet Parochiam, ſeu territorium, ac populum authoritate Epiſcopi certis limitibus circumſcriptū. Eccleſia Baptiſmalis eſt, in qua ſeruatur fons aquæ ad Baptiſmum conſecratæ. Collegiata ea vocatur quæ habet Canonicorum, ſeu Clericorum Collegium, & neque Cathedralis, neque Regularis eſt. Eccleſia Cathedralis dicitur, in qua Epiſcopus præſidet, à cuius Cathedra, ſeu Sede denominatur Cathedralis. Metropolitana eſt in qua pręſidet Archiepiſcopus; Primatialis, in qua Primas; Patriarchalis, in qua Patriarcha. Conuentualis vocatur, quæ habet conuentum, ſeu cœtum Clericorum Regularium aut ſæcularium. Eccleſia Matrix

vocatur quæ habet alias Eccleſias ſibi ſubiectas, vt ſumitur ex *c. ad audientiam 3. de Eccleſiis ædificandis.* Demum Curata Eccleſia, prout diſtinguitur à Parochiali, ea eſt quæ iuriſdictionem habet etiam exteriorem.

4. Pro conſtruenda Eccleſia, illud potiſſimum ſeruandum eſt, vt Superioris aſſenſus interueniat, vel præcedens ipſam conſtructionem, vel ſaltem ſubſequens; Epiſcopi videlicet, ſi Eccleſia conſtruenda ſit in loco non exempto, vt ſumitur *ex c. nemo 7. de conſecr. diſt. 1.* & *c. Auctoritate 4. de priuileg. in 6.* aut Summi Pontificis, ſi conſtruenda ſit in loco exempto, ex eod. *c. authoritate* Si quis autem ſine tali legitimo conſenſ. Eccleſiam conſtrueret, non acquireret iu illa Iuſpatronatus, vt ſumitur ex *c. nobis 25. de iurepatr.*

5. Sed & ſeruari quoque debent conditiones nonnullæ, ſi præſertim ædificanda ſit Eccleſia Parochialis, quæ authoritate Epiſcopi poteſt aliquando de nouo ædificari etiam intra fines alterius Parochiæ, ſi ex nimia diſtantia non poſſit ita facile ab omni populo frequentari Eccleſia Parochialis antiqua, ex *c. ad audientiam 3. de Eccleſiis ædific*, & Trid. *ſeſſ 21. de refor. cap. 4.*

6. Primò enim requiritur, vt noua Eccleſia ſufficienter dotetur pro ſumpti-

bus

bus neceſſarijs, & pro ſuſtentatione neceſſariorum Miniſtrorum, quæ dos arbitrio Epiſcopi deſu mi poterit, & detrahi ex fructibus ad Eccleſiam Matricem quomodocumque pertinentibus; & ſi neceſſe fuerit, compellere poterit Epiſcopus populum ea ſubminiſtrare, quæ ſufficiant ad vitam dictorum Sacerdotumſuſtentandam: quacumque reſeruatione generali, vel ſpeciali, vel affectione ſuper dictis Eccleſijs, non obſtantibus, vt ſtatuitur à Trid. *in cit. c. 4.* Nam qui ſentit commodum, ſentire debet onus, *c. qui ſentit 55. de reg. iur. in 6.* & *vn C. de caducis tollend. §. pro ſecundo.*

7. Secundò requiritur, vt ius præſentandi Sacerdotem ad nouam Eccleſiam reſeruetur illi, cui de iure debetur, qui videlicet eandem Eccleſiam fundat, ædificat, aut dotat, iuxta ea quæ ſupra diximus *lib. 1. tit. 15.* vbi *de iurepatr.* Quare ſi ędificatio aut dotatio nouæ Eccleſiæ fiat ex redditibus Eccleſiæ antiquæ; ipſa Eccleſia antiqua, ſeu eius Rector habet iuſpatronatus, ex cit. *c. ad audientiam 3. de Eccleſ. ædif.* vbi etiam præcipitur vt honor competens pro facultate loci ſeruetur Eccleſię Matrici, ex cuius redditibus noua ædificata eſt.

8. Eccleſiam de nouo conſtructam atque ſufficienter dotatam ſequitur Conſecratio, de qua eſt expreſſus titulus in

3. De-

3. Decretal. Fieri illa poteſt dumtaxat ab Epiſcopo illius loci, cum ſit actus Ordinis Epiſcopalis, vt diximus *lib.* 1.*tit.* 3. *n.* 2. ſumiturque ex *c. nullus* 13. *de conſecr. diſt.* 1. Semel autem facta conſecratione non poteſt iterum Eccleſia conſecrari, niſi tamen eius parietes interiores, vel ex toto, vel ex maiori parte combuſti fuerint aut deuaſtati, vt ſtatuitur in *c. Eccleſiis* 18. *de conſecr. diſt.* 1. aut niſi totum Eccleſiæ ędificium caſu fortuito corruat ſeu conſultò deſtruatur ex toto ſimul vel ex maiori parte, *c. de fabrica* 22. *ead. diſt.* Secus eſſet ſi modica aliqua pars reſtauraretur: quia in tali caſu minor illa pars addita maiori conſecratæ cenſeretur & ipſa conſecrationem habere, quemadmodum ſi oleum non conſecratum modicę quantitatis miſceatur oleo conſecrato quantitatis maioris, totum dicitur conſecratum ex *c. quod in dubijs* 3. *de conſecr. Eccl.*

9. Poteſt tamen multiplex caſus accidere, in quo Eccleſia per Epiſcopum conſecrata, & nullatenus deſtructa, debeat iterum ab Epiſcopo benedici, quando ſcilicet Eccleſia ipſa violatur atque polluitur. Primus eiuſmodi caſus eſt, ſi in ea committatur homicidium voluntarium contra Religionem, & libertatem debitam loco ſacro, de quo caſu ſermo eſt in *c propoſuiſti* 4. *eod.* Secundus caſus,

quo

quo Eccleſia polluitur, eſt per effuſionem humani ſanguinis voluntariam, & contra cultum ſacro loco debitum factam *c. fin. eod.* Tertio polluitur Eccleſia per voluntariam humani ſeminis effuſionem, *eod. c. fin. c. ſignificaſti 5. de adulterijs, & c. Eccleſiis 18 de conſecr. diſt. 1.* Quarto demum violatur Eccleſia, ſi in ea ſepeliatur excommunicatus, *c. conſuluiſti 7. de conſecr. Eccl.* vbi Hoſt. Ioan. Andr. & Abb. aſſerunt, maiori ratione Eccleſiam pollui, ſi conſecretur ab Epiſcopo notoriè excommunicato: item ſi in ea ſepeliatur Paganus, vel is qui baptizatus non ſit, *c. Eccleſiam 25. & 26. de conſecr. diſt. 1.* vbi etiam præcipitur, vt exhumari debeat illius ſepulti cadauer, ac foras proijci. Inde tamen non ſequitur Eccleſiam pollui, ſi in ea ſepeliatur mulier Chriſtiana geſtans in vtero fętum, quia tunc fætus ſepelitur tamquam pars ventris, vt docet Syluef. *v. conſecratio 2. q. 5 verſic. quartus caſus eſt.* Hæc dicta circa violationem Eccleſiæ, procedunt etiam in Eccleſia, quæ conſecrata nondum ſit, quia in prædictis caſibus etiam ipſa polluitur, vt conſtat ex *c. fin. de conſecr. Eccleſ.* & ex traditis à Panor. in *c. conſuluiſti 7. eod. n. 4.*

10. In ſingulis hiſce caſibus debet Eccleſia polluta reconciliari, iuxta Rituale Romanum. Quod ſi Eccleſia conſe-

ſecrata eſt, reconciliari debet à proprio Epiſcopo, vel ab alio Antiſtite ex eius conſenſu, & reconciliari aſperſione aquæ ab Epiſcopo ſacratæ cum ſale, vino & cinere, ex *c aqua* 9. iuncto *c. propoſuiſti* 4. *de conſecr. Eccl.* Si autem Eccleſia conſecrata non eſt, ſed tantùm benedicta, poteſt a ſimplici Sacerdote reconciliari cum aſperſione aquæ benedictæ, ex *c. fin. eod.* vbi ſolum dicitur eam eſſe protinus lauandam aqua exorcizata.

11. Prçter conſecrationem Eccleſiæ, præſcribitur etiam in Iure Canonico conſecratio Altaris, ſuper quod celebrandum ſit Diuinum Sacrificium. Duplex autem Altaris ſpecies datur. Aliud enim eſt Altare mobile, ſiue portatile, quod etiam appellatur Altare viaticum in *c. fin. de priuileg. in* 6. eo quod ab vno locò ad alium transferri poſſit: aliud eſt Altare fixum, & ſtabile, quod ſcilicet certo alicui loco, ſeu baſi fixum eſt, vt ibi firmiter perſeueret. Vtrique huic Altari commune eſt non poſſe eſſe ligneum aut terreum, ſed neceſſario debere eſſe lapideum, à tempore S. Sylueſtri, qua de re extat etiam textus in *c. Altaria* 29. *de conſecr. diſt.* 1. Præterea vtrumquè de iure ordinario non poteſt niſi ab Epiſcopo conſecrari, vt colligitur ex *c. quod in dubijs* 3. *de conſecr. Eccl.* & *c. nullus Presbiter* 23. *de conſecr. diſt.* 1.

12. Sicut autem Eccleſia ſemel conſecrata non poteſt iterum conſecrari, niſi in caſibus paulo ante expreſſis: ita & Altare, ſiue mobile, ſiue fixum, iterum conſecrari nequit, niſi caſus accidat, in quo priſtinam conſecrationem amittat. Eiuſmodi caſus eſt primò, ſi lapis notabiliter frangatur, itaut in nulla ſui parte integra Calicem cum Patena capere poſſit, vt colligitur ex *c. ligneis 6. & cit c. quod in dubijs 3. de conſecr. Eccl.* Secundò, ſi in eo frangatur ſepulcrum Reliquiarum, quod in ipſo eſſe debet, hoc eſt loculus ille in medio lapidis vbi reconduntur ſacræ Reliquiæ vt docent communiter Canoniſtæ in *c.* 1. & in cit. *c. ligneis 6. eod* quidquid ſit vtrum hoc ſufficienter colligatur ex his teſtibus; ſiue vt ſentit Laym. *lib. 5 ſum. tract. 5. cap. 6 n. 9.* ſeruandum hoc ſit ex vſu, & conſuetudine approbata, vt fracto tali ſepulcro non poſſit in eo ſapide celebrari. Tertio demum Altare fixum perdit conſecrationem ſuam, ſi Lapis ipſe ſeparetur à ſua baſi cui affixus erat, iuxta textum in *c. 1. & c. quod in dubijs 3. & c. ligneis 6. de conſecr. Eccl.*

13. Ex eo tamen quod in iſtis caſibus execretur Altare, non inde infertur eo ipſo etiam Eccleſiam execrari, ſeu conſecrationem amittere: poteſt enim Altare eſſe execratum quantumuis Ec-

cle-

cleſia conſecrationem retineat, iuxta textum in *cit.c. 1.eod* quemadmodum e conuerſo poteſt Eccleſia eſſe execrata, puta quia eius parietes collapſi, vel combuſti ſunt, retinente Altari conſecrationem ſuam: ſunt enim conſecrata conſecratione diſtincta. Aliter eſt de pollutione loquendum: nam & polluto v. g. per ſanguinis effuſionem Altari, tota Eccleſia polluta eſt; & polluta Eccleſia omnia etiam eius Altaria polluta ſunt: quia quolibet Eccleſiæ loco pollutio contingat, totam Eccleſiam afficit, vt notauit Laym. *lib.5.ſum.tract. 5. cap.5. in fine.*

14. Præter conſecrationem Eccleſiæ, & Altaris, ſtatutus eſt etiam ab Eccleſia ritus conſecrandi cæmeterium, quod nomen eſt græcum, ſignificans domum dormitionis, & applicatur ſepulturis Fidelium, eo quod fideles ibi quieſcant ſuo tempore reſurrecturi. Debet autem etiam ipſum a proprio Epiſcopo conſecrari, vel ſi ab alieno, ſaltem de conſenſu proprij: totidemque modis etiam ipſum polluitur, quot polluitur Eccleſia. Imo ſi Cemeterium ſit Eccleſiæ contiguum, per pollutionem Eccleſiæ, cenſetur etiam Cæmeterium pollutum, *c. vn. de conſecr. Eccl. in 6.* quia acceſſorium naturam ſequi congruit principalis *c. acceſſorium 42. de reg.iur. in*

in 6. quamuis non e conuerſo, quia polluto cęmeterio, non eo ipſo cenſetur polluta Eccleſia quamuis ipſi contigua; ne minus dignum, maius, aut acceſſorium principale ad ſe trahere videatur, vt habet textus in cit. *c. vn. de conſecr. Eccl. in 6.*

15. Extat in 3. Decretal. in 6. & Clemenr. expreſſa rubr. *De ſepulturis*, vbi plura decernuntur circa ius Sepuluræ. Et primò tale ius regulariter competit Eccleſijs populum, ſiue Curam animarum habentibus, vt colligitur ex *c. ex parte 5. de ſepult.* Ex priuilegio autem ſiue Summi Pontificis pro tota Eccleſia, ſiue Legati pro ſua Prouincia, ſiue Epiſcopi pro ſua Diæceſi, competere etiam poteſt alijs Eccleſijs; vt Religioſis conuenit ex conceſſione Summi Pontificis expreſſa in *Clem. 2. de ſepult.* §. *Huiuſmodi quoque ſtatuto.*

16. Quinimo omnibus generaliter tam viris, quam fœminis regulariter conceſsum eſt eligere ſibi ſepulturam, etiam extra propriam Parochiam, dummodo ſint puberes, & liberum arbitrium ſeu vſum habeant rationis, ex *c. 1. de ſepult.* iuncta ibid. Glos. *v. propriam eligere.* Quod ſi quis moriatur nulla facta electione ſepulturæ, ſepeliendus eſt in Sepulchro Maiorum ſuorum, puta Patris, Aui, aliorumque

Aſcen-

Aſcendentium, ſi illud habeat, ex eod. *c. 1. de ſepult.* alioquin de iure communi ſepeliri debet in propria Parochia, in qua domicilium habuit, & Sacramenta percepit, vt ſumitur ex *c. Ex parte 5. eod.* Mulier tammen vidua, ſi nulla ſepultura electa deceſſerit, tumulanda erit in ſepulcro mariti, vltimi, ſi plures ſucceſſiue habuit, *c. Is qui 3. eod. in 6.* In his tamen, alijsque ſimilibus attendenda eſt legitima locorum conſuetudo, quemadmodum etiam rationabilis locorum conſuetudo ſeruanda eſt circa portionem Canonicam, quę ſolui debet Eccleſiæ Parochiali, in qua defunctus ſepeliri debuiſset, niſi alibi habuiſſet Sepulchrum Maiorum, aut niſi alibi ſepulturam elegiſſet, vt patet ex *c. certificari 9. eod.*

17. Sepultura Eccleſiaſtica, ſeu in loco Sacro danda eſt omnibus baptizatis, niſi ex aliqua lege Canonica vel conſuetudine legitima propter aliquod crimen illa priuentur: quemadmodum priuantur non baptizati, hæretici, & excommunicati vitandi, vt quibus non communicauimus viuis, nec communicemus defunctis *c. Sacris 12. eod.* vbi etiam præcipitur, vt ſi contingat aliquem eiuſmodi in cæmeterio Eccleſiaſtico tumulari, exhumari debeat, & procul ab Eccleſiaſtica ſepultura iactari, ſi ab alio-

 rum

rum corporibus diſcerni poſit, ſecus au-tem ſi diſcerni non poſſit, cum licet non noh obſit iuſtis ſepultura nulla vel vilis, impijs tamen celebris, vel ſpecioſa non proſit. Item Eccleſiaſtica ſepultura priuantur Vſurarij manifeſti, ſi in hoc peccato deceſſerint, *c. Quia in omnibus 3. de vſuris, & Clem. 1. de ſepult.* Videri poteſt Sylu. *v. Sepultura q.* 10. Si quis autem eiuſmodi criminoſos in caſibus non permiſſis ſepelire in loco Sacro præſumat, ipſo facto excommunicatur, a qua excommunicatione non abſoluetur, niſi prius ad arbitrium diæceſani Epiſcopi, eis, quibus iniuria fuit irrogata, competentem ſatisfactionem exhibuerit, ex cit. *Clem.* 1. *de ſepult.* & præterea in caſu ſepulturæ traditæ Vſurario manifeſto, donec ad arbitrium Epiſcopi ſui ſatisfaciat, ab Officij ſui manet executione ſuſpenſus, vt decernitur in cit. *c. quia in omnibus 3 de vſuris.*

TIT. XI.

De immunitate Eccleſiarum, & rerum ad eas pertinentium.

1. OMnibus his locis, de quibus præced. tit. tractatum eſt, videlicet Eccleſijs, Altaribus, Cæmeterijs commune eſt Priuilegium immu-

munitatis Eccleſiaſticæ, de qua eſt expreſſa rubrica in Decretalibus. Immunitas in genere deriuatur a munere, quatenus nomẽ muneris ſignificat onus, vt conſtat ex *l. Munus* 18 *ff. de verbor. ſignif.* adeoque immunitas nihil aliud eſt quam ab oneribus conceſſa exemptio. Hoc loco tamen immunitatem accipimus in paulo ampliori ſignificatione, itaut omnem Eccleſiarum Eccleſiaſticorumque fauorem, exemptionem, ac priuilegium complectatur.

2. Triplex autem Eccleſiaſticę immunitatis ſpecies aſſignari ſolet. Alia enim dicitur localis, quę ſcilicet competit Eccleſijs, & alijs locis Eccleſiaſticis: alia realis, quæ conceſſa eſt rebus, aut bonis ad Eccleſiam, vel Clericos pertinentibus: alia perſonalis, quam habent perſonæ Eccleſiaſticę.

3. Immunitas localis duo potiſſimum priuilegia complectitur: primo vt loca Sacra, quibus illa cõceſſa eſt, puta Eccleſia, Cæmeteriũ &c. ſint immunia ab actionibus prophanis, & ſæcularibus, & loci ſanctitati repugnantibus. Tales cenſentur eſſe lites ſæculares, & multo magis cauſæ, vbi de ſanguinis effuſione, & corporali pœna agitur; cum Eccleſia Dei ſecundum Euangelicam veritatem domus Orationis eſſe debeat, non ſpelunca latronum, aut ſanguinis forum,

& abſurdum ſit, ac crudele ibi iudicium ſanguinis exerceri, vbi eſt tutela refugij conſtituta, vt dicitur in *c. cum Eccleſia 5. de immunit. Eccleſ.* Quod ſi de facto contingat aliquod ſæculare iudicium ſiue criminale ſiue ciuile in Eccleſiis exerceri, formando ibidem proceſſus, aut proferendo ſententiam, caret penitus omni robore firmitatis, vt ſtatuitur in *c. Decet 2. eod. in 6.* vbi etiam plura alia actionum genera fieri in Ecclesia prohibentur, puta negotiationes, vana & multo magis fœda, & prophana colloquia, publica Communitatum Concilia de rebus temporalibus &c. Prohibentur etiam in Ecclesijs ludi theatrales prophani, *c. Cum decorem 12. de vita & honeſt. Cleric.* Item prohibentur conuiuia, *c. Non oportet 5. & c. Nulli 6. diſt. 42.* aliaque similia.

4. Secundo immunitas localis complectitur ius aſyli, quo gaudent Rei, qui confugientes ad Eccleſiam, non poſſunt ex ea per vim extrahi, quod priuilegium Ecclesijs cōceſſum fuit ab vtroque iure, vt conſtat de iure ciuili ex toto tit. *C. de his qui ad Eccleſian confug.* & de Iure Canonico exc. *Inter alia 6. de immun. Eccl. c. frater 10. 17. q. 4.* alijſque iuribus. Hoc priuilegiū extenditur ad omnes Eccleſias authoritate legitima ad Diuina celebranda deputatas, quamuis nondum ſint

ſint ſint conſecratæ *c. Eccleſiæ 9. de immunit. Eccl.* imo & ad alia etiam pia loca, qualia ſunt cæmeteria, Monaſteria, Domus Epiſcopi &c. videri poteſt Panor. in cit. *c. Eccleſiæ*.

5. Gaudent hac immunitate aſyli omnes fideles relate ad tribunal ſæculare, ſiue ſint rei ex debito, ſiue ex delicto, etiamſi excommunicati ſint, aut perſonaliter interdicti, cum cit. *c. Inter alia* generatim loquatur, & vbi ius nõ diſtinguit nec nos diſtinguere debeamus, cum præſertim hoc priuilegium aſyli cõſtitutum ſit non in perſonarum, ſed in Eccleſiarum fauorem. Quinimo ex eadem ratione poſt Gloſ. & Innocentium, & Hoſtienſ. in eod. *c. Inter alia*, tradit. Azor. *p. 2. lib. 9. cap. 9. q. 9. verſic. ſi quæras* gaudere etiam eadem immunitate Iudæum vel alium infidelem qui ad Eccleſiam confugiat, quam ſententiam fuiſſe confirmatam a SacraCongregatione Cardinalium controuerſijs iurisdictionalibus præpoſitorum, teſtatur Barb. *lib. 2. Iuris Eccl. cap. 3. n.* 44. Item eadem immunitate gaudere Hæreticum, dummodo ad Eccleſiam non ob hæreſim; ſed ob alia crimina confugiat, tradit Sylu. ibid. citatus ab Azorio.

6. Vtrum autem Clerici aut Religioſi gaudeant hac immunitate etiam relatè ad Tribunul Eccleſiaſticum, controuer-

titur inter Doctores: in qua controuerſia, ſpectato iuris rigore probabilius videtur etiam in tali caſu immunitatem valere, adeoque Clericos confugientes ad Eccleſiam non poſſe ab illa extrahi ab Eccleſiaſtico Prælato. Videri poteſt Barb. in cit. *cap. 3. lib. 2. Iur. Eccl. n. 135. & ſeqq.* vbi pluribus adductis hanc ſententiam confirmat.

7. Quod tamen dictum eſt gaudere hac immunitate omnes reos ex delicto, intelligendum eſt, niſi cæteroquin delictum eius generis ſit, quod per Sacros Canones ab omni participatione immunitatis excluditur. Eiuſmodi olim tria delicta numerabantur, ex *c. Inter alia 6. & c. fin. de Immunit. Eccl.* vbi decernitur, ac declaratur non gaudere immunitatis priuilegio publicos latrones, nocturnos depopulatores agrorum, & committentes homicidia & mutilationes mébrorum in ipſis Eccleſijs vel earum cæmeterijs ſpe immunitatis Eccleſiaſticæ.

8. Sed nunc eorum numerus aliquantulum amplificatus eſt a Greg. XIV. in Bulla, quæ incipit *Cum alias* edita die 28 Maij 1591. & eſt 7. eiuſdem Pontificis in Bullario, ad cuius vnicam formam nunc reducitur tota hęc localis immunitatis materia. Verba Bullæ excipientia particulares illos caſus ſunt quæ ſequuntur: *Vt laicis ad Eccleſias, locaque*

ſacra

ſacra, & religioſa prædicta confugientibus, ſi fuerint publici latrones, viarumque graſſatores, qui itinera frequentata, vel publicas ſtratas obſident, ac viatores ex inſidijs aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quiue homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſijs earumue cœmeterijs committere non verentur, aut qui proditoriè proximum ſuum occiderint, aut aſſaſſinij, vel hæreſis, aut læſæ Maieſtatis in perſonam ipſius met Principis rei, immunitas Eccleſiaſtica non ſuffragetur.

9. Primus, & præcipuus immunitatis localis effectus eſt, vt qui ad Eccleſiam confugit, non poſſit ex ea per vim aut dolo malo extrahi; & ſi ita extractus fuerit, reſtitui debeat, vt conſtat ex iuribus ſupracitatis. Alter etiam effectus eſt, vt Reus in Eccleſia non poſſit vinculis conſtringi *c. definiuit 33. 17. q. 4.* Tertiò quamdiu Reus in Eccleſia moratur, non poteſt in illum ferri ſententia mortis vel alterius pœnæ capitalis, ex *c. inter alia 6. de Immun. Eccl.* Quarto non poteſt Reo exiſtenti in Eccleſia negari neceſſarius victus, aut veſtitus, aut impediri ne ad illum deferatur, vt expreſſe etiam ſtatuitur in *l. præſenti 6. C. de his qui ad Eccl. confug.* Quintò demum Reus exiſtens in Eccleſia non poteſt ſpoliari rebus ſuis, quas ſecum attulit ad Eccleſiam ex cit. *c. Definiuit.*

10. Quod ſi Iudex aliquis Sæcularis prædictam immunitatem violauerit, per vim, aut dolo malo Reum extrahendo extra caſus exceptos, aut sine legitima Prælati licentia, Sacrilegium committit, ipſo facto in excommunicationem incurrit, ex ſupracit. *conſtit. Gregor. XIV.* §. 9. & Reum ex Ecclesia extractum restituere tenetur, ex *c. Miror* 8. 17. *q.* 4. Imo & tenetur reſarcire omnia alia damna, quæ reo euenerint ex illa extractione, quia illorum omnium fuit iniuſta cauſa. Actus autem iudiciales, atque ſententia poſt talem violentam extractionem contra eundem Reum lata, irrjta eſt ipſo iure, vtpote non procedens à iurisdictione legitima, quę non acquiritur per violentam extractionem, quæ ipſo iure irrita eſt, vt expreſſe definitur in cit. Bulla Gregoriana.

11. Hæc dicta procedunt, vbi Reus violenter extrahitur ex Ecclesia abſque legitima facultate Superioris Eccleſiaſtici quæ ſemper requiritur pro extrahendis Reis ab Ecclesia, tum in casibus exceptis, tum in casibus non exceptis. Inter quos tamen illud diſcriminis eſt, quod in caſibus exceptis pro quibus nulla immunitas prodeſt, requiratur atque ſufficiat expreſſa licentia Epiſcopi, eiuſue Officialis, nec non pro executione requiratur interuentus perſonæ

ſo næ Eccleſiaſticæ ab Epiſcopo deputatæ, itaut nullus alius Epiſcopo inferior poſſit eam licentiam impartiri: at in caſibus non exceptis ea facultas dari non poſſit ab Epiſcopo, vt ſumitur ex cit. conſt. Gregorij, in qua ſolum pro caſibus exceptis ea extractio permittitur cum relatis conditionibus, & pro caſibus non exceptis omnino negatur.

12. Secunda ſpecies immunitatis Eccleſiaſticæ eſt immunitas realis, quæ videlicet competit rebus ad Eccleſias pertinentibus. Ad huius intelligentiam, ſciendum eſt, bona Eccleſiaſtica eſſe triplicis generis. Alia ſunt conſecrata, aut benedicta, aut ſaltem ad Diuinum cultum, tanquam eius inſtrumenta legitime deputata, qualia ſunt ipſę Eccleſiæ, cęmeteria, vaſa ſacra &c. & eiuſmodi bona eſſe immunia ab omnibus ſæcularibus oneribus & tributis manifeſti iuris eſt ex *c. Non minus* 4. *de Immun. Eccl.* alijſque Iuribus, & recentius ex Trid. *ſeſ.* 25. *de refor. cap.* 20.

13. Alia ſunt bona Eccleſiaſtica, quæ quamuis conſecrata aut benedicta non ſint, pertinent tamen ad Eccleſiam, qualia ſunt prædia Eccleſiæ, aut alia ſimilia bona, ſiue mobilia, ſiue immobilia. Eiuſmodi etiam bona ſunt ab omni reali onere laicali prorſus immunia, ex *c. Sancitum* 1. *de cenſibus.* Si

præſertim ſint bona ad fundationem aut dotationem Eccleſiæ pertinentia, in quo caſu liberantur etiam ab omni onere reali, cui erant ſuppoſita, antequam ad Eccleſiam peruenirent, vt pluribus confirmat. Fagnan. in cit. *c. Non minus de Immun. Eccl. n.* 8. Secus eſſet ſi aliquod onus mere reale perpetuum, certum, & inuariabile, eſſet prædijs ſeu bonis illis affixum propter ipſa; in quo caſu ſi eiuſmodi prædia ita grauata ad Eccleſiam peruenirent, & non per modum dotis, aut fundationis; tunc cum ſuo onere in Eccleſiam tranſirent iuxta *c. Tributum* 22. 23. *q.* 8. quod fuiſſe etiam confirmatum a Sacra Rota in *Brunduſina Gabellæ* 13. *Febr.* 1604. *coram Penia*, refert Fagnan. in cit. *c. Non minus* n. 9. Alijs tamen oneribus eadem bona a ſæculari magiſtratu grauari non poſſunt, poſtquam ſub Eccleſiæ poteſtate conſtituta ſunt.

14. Alia demum ſunt bona, quę pertinent ad particulares perſonas Eccleſiaſticas, ſiue ſint bona ex titulo ſpirituali acquiſita, qualia ſunt redditus Beneficiorum &c. ſiue ſint acquiſita titulo temporali, v. g ex ſucceſſione vel Teſtamento &c. quæ vocantur etiam bona patrimonialia. Omnia hæc vtriuſque generis bona gaudent immunitate a ſæcularibus exactionibus, vt firmat communis

nis

nis ſententia, ex cit. c. *Non minus de immun. Eccl.* & c. *Quanquam 4. de cenſib. in. 6.* alijque iuribus, quæ omnia confirmat Vrbanus VIII. in ſua Bulla edita die 5. Iun. 1641. quæ incipit *Romanus Pontifex* & eſt 270. eiuſdem Pontificis in Bullario.

15. Quod ſi contingat in Rep. adeo grauis neceſſitas communis laicis & Clericis, vt deficientibus laicorum facultatibus, Epiſcopus cum ſuo Clero iudicaret illam ſubleuandum eſſe per aliquod ſubſidium Eccleſiaſticum; conſulto prius Summo Pontifice, & abſque omni coactione, poſſet aliquid in communi a Clericis ſponte conferri, iuxta textum in cit c. *Non minus 4. & c. Aduerſus 7. de immunit. Eccl.*

16. Tertia, & vltima ſpecies immunitatis Eccleſiaſticæ eſt quæ dicitur immunitas perſonalis, ratione cuius Clerici ſunt exempti a poteſtate laicali, vt conſtat ex c. *Eccleſia Sanctæ Mariæ 10. de conſtitut.* aliiſque pluribus. Hæc exemptio duplicem potiſſimum effectum habet. Primus eſt, quod Clerici a poteſtate laica obligari non poſſint ad munera perſonalia, c. *Eccleſiarum 68. 12. q. 2. l. Omnes 32. §. Priuilegijs. C. de Epiſc. & Cler. & l. Generaliter 51. C. eod.* Item obligari non poſſint ad ſoluendas exactiones, quæ nonnumquam a poteſtate

ſæculari ſuis ſubditis imponuntur, vt expreſſe decernitur non ſolum in Iure Canonico, textibus ſupra citatis; ſed etiam in Iure ciuili *l.* 1. *C. eod.* & *l. Placet* 5. *C. de Sacroſ. Eccl.* Videri poteſt Caſtrop. *p.* 2 *tract.* 12. *diſp. vn. punct* 9. alijque ab ipſo citati.

17. Alter effectus Eccleſiaſticæ immunitatis perſonalis eſt quod Clerici ſint exempti a iuriſdictione Iudicis Sęcularis tum in cauſis ciuilibus, tum in criminalibus, vnde immunitas ſub hoc reſpectu appellari ſolet priuilegium Fori, quod eſt conceſſum in fauorem totius Ordinis Eccleſiaſtici, iuxta textum expreſsum in *c. Si diligenti* 12. *de foro compet.* alijſque iuribus; vnde eidem priuilegio renunciari non poteſt a perſona priuata, vt habetur in eod *c. Si diligenti.* Quod ſi Iudex aliquis ſeu Dominus ſæcularis quolibet modo compellat ſeu compelli faciat vel procuret quominus a Clerico coram Iudice Eccleſiaſtico cui ſubiectus eſt, litigetur, ipſo facto eſt excommunicatus, ex *c. Quoniam.* 4. *de immunit Eccl, in* 6.

18. Nequit igitur Clericus coram ſæculari Iudice cauſam dicere, ſed dumtaxat coram Eccleſiaſtico: quod tamen intellige, vbi Clericus ſit reus, ſecus enim contingeret ſi eſſet Actor contra aliquam perſonam laicam in cauſa

ſa mere temporali: quia tunc adire deberet ſæculare tribunal, iuxta generalem Iuris regulam etiam a Sacris Canonibus approbatam, *Actor ſequi debet forum Rei*, de qua ſermo eſt in *c. Si Clericus* 5. *&* *c. Cum ſit generale* 8. *de foro compet.* Quod ſi contingat in aliqua cauſa Clericum ſimul, & laicum eſſe reos; tunc vel illa cauſa eſt ſeparabilis, vel eſt inſeparabilis. Si eſt ſeparabilis, quilibet in ſuo foro conueniendus eſt, hoc eſt Clericus in foro Eccleſiaſtico, & Laicus in ſæculari, quia in cauſa ſeparabili ſocius delicti non gaudet priuilegio ſui ſocij iuxta *l. Si quis* 53. §. 1. *ff. de furtis.* Si eſt inſeparabilis; tunc de iure vterque conueniendus eſſet coram Iudice Eccleſiaſtico, quia ſuppoſita inſeparabilitate, minus dignum trahi potius debet a magis digno, quam è conuerſo: quidquid ſit vtrũ in praxi ita ſeruetur, necne.

19. Hoc priuilegio fori gaudent omnes Clerici in Sacris Ordinibus conſtituti, idemque iuris olim ſeruabatur in Clericis minoribus, imo & prima tantum Tõſura initiatis vt ſumitur ex *c.* 2. *de foro compet.* Nunc tamen attento iure Trid. *ſeſs* 23. *de refor. cap* 6. Nullus prima Tonſura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus conſtitutus fori priuilegio gaudet, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut Clericalem habitum

&

& Tonſuram deferens, alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſeruiat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua ſchola, vel vniuerſitate de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad maiorès Ordines ſuſcipiendos, verſetur.

28. Quod attinet ad Clericos minores coniugatos, breuioribus quoque finibus eorum immunitas reſtricta eſt. Exempti enim non ſunt a poteſtate iudicis ſæcularis, niſi quoad cauſas criminales, ſiue criminaliter, ſiue ciuiliter agitatas, idque nonniſi cum vnicis, & Virginibus contraxerint, ac præterea Tonſuram, & veſtes deferant Clericales, ex *cap. vnico de Clericis coniug. in 6.* & nonniſi alicuius Eccleſiæ ſeruitio vel miniſterio ab Epiſcopo deputati, eidem Eccleſiæ ſeruiant, vel miniſtrent, quæ conditio addita fuit à Trid. *ſeſſ. 23. de refor. cap. 6.* Quoad reliqua, etiam ſeruatis omnibus iſtis conditionibus, Eccleſiaſtica immunitate non gaudent, ex cit *c. Vnico*: vnde inferunt communiter Doctores, ipſos non eſſe exemptos a iuriſdictione ſeu poteſtate Iudicis ſæcularis quoad cauſas ciuiles, neque ſolutos ab obligatione ſoluendi tributa, ſed in hac parte vt laicos eſſe reputandos, vt etiam tradit Gloſ. ab omnibus recepta in cit. *c. Vnico*.

21. Sed & quidam caſus ſunt, in qui-

quibus Clericus etiam in Sacris conſtitutus Eccleſiaſtica hac immunitate non fruitur ex preſcripto Sacrorum Canonum, tum quatenus immunitas dicit exemptionem a ſoluendis tributis, tum quatenus explicat exemptionem a poteſtate fori ſæcularis. Inter reliquos ille eſt qui continetur in textu *cap. fin. de Vita, & boneſt. Cleric.* circa Clericum negotiatorem, qui ſi tertiò monitus non reſipiſcat, ſed prætermiſſis Diuinis Officijs, negotiationibus inſiſtat, priuatus manet exemptione a tributis, & tamquam laicus hac in parte habendus eſt, relate ad res per negotiationem acquiſitas. Videri poteſt Molina *de Iuſt. tract.* 2. *diſp.* 342.

22. Alius etiam caſus eſt in *c. Verum* 7. & *c. Ex tranſmiſſa* 6. *de foro compet.* circa Clericum feudatarium: in cauſa enim feudali, ſiue de proprietate feudi, ſiue de eius poſſeſſione agatur, Clericus feudatarius conuenir debet coram Domino feudi, quamuis iſte ſæcularis ſit, vt pluribus explicat Clarus § *feudum q.* 90. *v. Sed quid ſi vaſſalli*, Menoch. *de retin. poſeſſ. rem.* 3. *n.* 396. & ſeq. alijque plures citati a Caſtrop. *tract.* 12. *diſp. vn. pun.* 7 *n.* 3.

23. Alius demum caſus eſt, ſi aliquod ex ijs delictis committatur, quibus in pœnam ſtatuta eſt a Iure priuatio im-

immunitatis a foro laicali. Eiuſmodi delictum eſt, ſi Clericus nec in modo tonſuræ, nec in veſtimentorum forma, nec in qualitate negotiorum de Clericatu quidquam oſtendat, & tertio monitus ab Epiſcopo emendationem contemnat, ex *c. Contingit* 45. *de ſent. excomm.* Item ſi Clericus ioculatoriam artem per annum exercuerit, ipſo iure: ſi autem tempore breuiori, & tertio monitus non reſipiſcit, priuatur omni priuilegio Clericali, ex *c. vn. de vita & honeſt. Cler. in 6.* & ſic de reliquis, quæ videri poſſunt in *Clem. 1. de vita & honeſt. Cleric. c. Cum nō ab homine* 10. *de Iudicijs*, alijſque pluribus. Videri etiam poteſt Caſtrop. in cit. *tract.* 12. *diſp. vn. puncto.* 6. & Canoniſtæ communiter in tit. *de foro compet.*

24. Quæ hactenus dicta ſunt de Clericis Eccleſiaſtica hac immunitate fruētibus, debent cum proportione intelligi etiam de Religioſis, imo & de Nouitijs, ac Laicis Religionum, qui omnes hanc immunitatem participant, vt colligitur ex *c. Non dubium* 5. *de ſent. Excomm. & c. Religioſo* 21. §. *quamuis eod. in 6.*

TIT. XII.

De rebus Eccleſiæ alienandis, vel non.

1. ABſolutis ijs, quæ pertinent ad res Sacras, & religioſas Eccleſiæ, aliquid poſtremo dicendum ſupereſt de temporalibus rebus Eccleſiarum: circa quas illud in primis ſciendum eſt prohibitam eſſe de Iure Canonico alienationem, vt conſtat ex toto Decret. tit. *De rebus Eccl alien. vel non*, quod ſtatutum fuit, ne Eccleſię ſua congrua ſuſtentatione deſtitutę deficerent, quia Eccleſia corporalis, aut Epiſcopus, aut Abbas, aut tale aliquid ſine rebus corporalibus in nullo proficit, ſicut nec anima ſine corpore corporaliter viuit, *c. Si quis obiecerit 7.* 1. *q.* 3. Conſonat etiam *c. fin.* 12. *q.* 1. vbi dicuntur Prælati rerum Eccleſiaſticarum procurationem quodammodo gerere, non proprietatem.

2. Cum autem hæc prohibitio ſit fauorabilis Eccleſiæ, accipiendum eſt nomen alienationis in ſignificatione latiſſima, itaut circa res Eccleſiæ cenſeri debeat prohibita quæcumque translatio dominij, ſiue directi, ſiue tantum vtilis; ideoque non ſolum donari, vendi aut permutari non poſſint; ſed ne-

que

que concedi in feudum, aut emphiteuſim, (exceptis caſibus aut circumſtantijs, de quibus paulò infra ſermo erit,) nec particulariter hypothecari, nec locari vltra triennium &c. ex *c. Nulli* 5. *de reb. Eccl. non alienan. & ex extrau. vn. inter comm. eod.* quibus etiam conſonat *c. Odia* 15. *de reg. Iur. in* 6. Ex eadem ratione fauorabilitatis, in præſenti nomen Eccleſiæ extenditur ad omnem locum pium authoritate Epiſcopi conſtitutum, cuius etiam res alienari non poſſunt.

3. Hæc generalis regula non alienandi Eccleſiaſticas res, olim locum habebat, vbi iuſta aliqua cauſa, & ſtatuta iuris ſolemnitas non interueniret: poterant enim res Eccleſiarum alienari concurrentibus his duabus circumſtantijs, videlicet legitima cauſa & ſolemnitate Iuris, vt conſtat ex *c. ſine exceptione* 51. 12. *q.* 2. Cauſa legitima cenſebatur eſſe, ſi Prælatus aliquid alienabat, vt meliora proſpiceret: pro ſolemnitate autem iuris requirebatur conſenſus totius Cleri iudicantis ſine dubio eam alienationem profuturam Eccleſiæ, vt præſcribitur in cit. *c. Sine exceptione.*

4. Spectato tamen iure recentius ſtatuto in cit. *Extrau. Ambitioſæ vn. de reb. Eccl. non alien inter comm* ad omnem

omni-

omnium rerum Eccleſiaſticarum alienationem, ſiue quoad directum dominium, ſiue quoad vtile, licite & valide faciendam, requiritur conſenſus Summi Pontificis: cum præſertim Prȩlati a Papa confirmati emittant iuramentum, quo iurant ſe nihil alienaturos de bonis Eccleſiaſticis, inconſulto Romano Pontifice. Si quis autem abſque tali conſenſu aliquid alienare præſumpſerit, pluribus grauibus pœnis ſubijcitur, & alienatio illa irrita eſt, vt videre eſt in ead extrau.

5. Excipiuntur tamen ab hac regula terrulæ ſeu vineolæ exiguȩ & Eccleſiæ minus vtiles, aut longe poſitæ quas ſi neceſſitas fuerit, Epiſcopus alienare poteſt, ex *c. Terrulas* 52. 12. *q.* 2. cui canoni nec derogatum fuiſſe a cit. extrau. *Ambitioſæ*, nec a Conc. Triden. cenſuit Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum die 11. Ianuar. 1596. teſte Fagn. in *cap. Nulli de reb. Eccl. non alienan. n.* 25.

6. Item in eadem extrau. *Ambitioſæ* excipitur contractus Emphyteuticus, dummmodo tres iſtæ conditiones in contrahenda emphyteuſi reperiantur, quod ſcilicet fiat in caſibus a iure permiſſis, quod fiat de rebus, & bonis in emphyteuſim ab antiquo concedi ſolitis, demum quod tempore contractus de-

detur euidens Eccleſiæ vtilitas.

7. Excipiuntur etiam ibidem fructus & bona, quæ ſeruando ſeruari non poſſunt pro inſtantis temporis exigentia, quales ſunt res mobiles, quæ modicum durant, & vſu conſumuntur, & non fructificant: quemadmodum etiam in iure ciuili prohibetur Tutoribus vendere bona pupillorum, exceptis ijs quæ ſeruando ſeruari non poſſunt, vt conſtat ex *l. Lex quæ Tutores* 22. §. *Iam ergo venditio C. de adminiſtr. Tutor.* iuncta ibid. gloſ. *v. exceptis*.

8. Præter bona temporalia ab Eccleſijs immediate poſſeſſa conſiderari quoque poſſunt ea bonorum genera, quæ a Clericis poſſidentur, qualia ſunt in quibus fundantur ipſorum beneficia, aut etiam ea quæ acquirunt ex redditibus Eccleſiaſticis, & vocari ſolent peculium Clericorum, de quo eſt expreſſus titulus in 3. Decretal. Omnia hæc eiuſmodi bona participant etiam priuilegium inalienabilitatis, quatenus nec teſtamentario, nec ſucceſſorio iure cuiquam hæredum prohæredumue relinqui poſſunt, ſed Eccleſiæ relinquenda ſunt, ex textu expreſſo in *c. Vt vnuſquiſque* 3. *&* *c. fin. de peculio Clericor.* ſuppoſito quod ex redditibus Eccleſiaſticis acquiſita ſint, aut rationabiliter præſumatur, ex redditibus Eccleſiæ fuiſ-

fuiſſe acquiſita atque empta, quemadmodum præſumi debet, ſi Clericus nihil habens patrimonij promotus fuerit ad Eccleſiaſticum beneficium, ac poſtea emerit prædia, &c. ex *c.* 1. *eod.*

9. Vtrum autem Clerici ſint omnium reddituum Eccleſiaſticorum perfecte Domini, etiam quoad illam partem, quæ ſuperflua eſt neceſſariæ eorum ſuſtentationi: an potius ſint eiuſdem partis ſuperfluæ ſolum adminiſtratores, itaut teneantur lege iuſtitiæ ad illam erogandam in pauperes aut in alios pios ſumptus, eſt celebris quæſtio a Theologis agitata, apud quos eius reſolutio peti poteſt.

10. Quomodo autem omnia hæc Eccleſiaſtica bona gaudeant priuilegio immunitatis, explicatum fuit in tit. præced.

INSTITVTIONVM IVRIS CANONICI LIBER TERTIVS.

TIT. I.

De Iudicijs, & illorum diuiſione.

1. COgnita iam prima, & altera parte tractandorū iuxta diuiſionem a nobis indicatam *lib. 1. titulo proœm. n.* 2. ad tertiam progredimur, videlicet ad iudicia, totamque Iudiciarij Ordinis formam, de qua potiſſimum ſermo eſt in lib. 2. Decretal.

2. Vox Iudicij multiplicem ſignificationem habet, vt videre eſt apud Abb. alioſque Doctores in rubr. *De Iudicijs.* Sumitur hic pro iuridica diſcuſſione cauſæ controuerſæ coram Iudice in foro, vt ſumitur ex *c. forus* 10. *de verbor. ſignif.*

3. Ad iudicium hoc modo ſumptum tres potiſſimum perſonæ concurrunt, Iudex, Actor ſeu Accuſator, & Reus. Iudex eſt illa perſona quæ authoritate legi-

gi-

gitima pręeſt diſcuſſioni cauſę, eamque definit iuxta iuris pręſcriptum, Iudex appellatus ab eo quod ius dicat, iuſte iudicando, ex cit. *c.Forus*. Actor dicitur ab agendo, & eſt illa perſona quæ prior ad iudiciū prouocat, & ciuilem actionem proponit, ex *l. in tribus* 13. & *l. qui appellat.* 29. *ff. de Iudicijs*. Dixi *ciuilem actionem*: intentans enim actionē criminalem dicitur Accuſator. Reus eſt qui ad iudicium ab Actore prouocatur, Reuſque denominatur non a reatu, cum ſæpe contingat ipſum nullius criminis conſcium eſſe, ſi præſertim Iudicium ſit ciuile; ſed a re, pro qua ad Iudicium coram Iudice prouocatur, vt de ea inter vtrumque coram Iudice contendatur, vnde Iudicium ipſum, imo & ipſum forum, hoc eſt locus in quo iudicium agitur, appellari ſolet *contentioſum*. conſtant hæc ex cit. *c. Forus*.

4. Hęc tamen, quæ diximus circa interuentum prædictarum perſonarum ad formandum iudicium, intelligenda ſunt regulariter. Contingit enim aliquoties iudiciū aliquod exerceri, in quo nullus proprie interuenit Actor, aut nullus determinate certus Reus vt v.g. quādo Iudex ex officio procedit per formā inquiſitionis, motus ex publica fama alicuius criminis commiſſi a perſona incerta; quamuis etiam tunc per iuris fictio-

nem

nem dici poſſit interuenire Actor, & Reus, quia publica fama ſupplet loco Actoris ſeu Accuſatoris; reus autem eſt aliquis, ſaltem indeterminatè, ex facienda inquiſitione certificandus *c. Licet Heli. 31. de Simon.*

5. Præcipuæ Iudicis partes numerantur tres. Prima eſt conteſtatio litis, quæ eſt principium ſiue ingreſſus litis, & conſiſtit in narratione Actoris, Reique contradictione coram Iudice facta, ex *l. 1. C. de litis conteſtat.* vt inferius explicabitur. Secunda eſt diſcuſſio litis iam conteſtatæ. Tertia eſt concluſio ſeu ſententia Iudicis. Reliqua, quæ ad iudicium requiruntur (de quibus etiam infra ſermo erit), ſunt vel preparatoria, vt citatio, oblatio libelli &c: vel media, vt probationes, teſtimonia &c. vel conſequentia, vt executio ſententiæ &c..

6. Quamuis tamen iudicia omnia regulariter in prædictis conueniant, varia varie inter ſe differunt quoad aliqua accidentalia vnde reſultant plures iudiciorum diuiſiones deſumptæ vel ex ipſo Iudice, vel ex materià, vel ex fine, vel ex modo quo procedunt.

7. Ex parte Iudicis, diuiditur iudicium in Eccleſiaſticum, & ſæculare. Iudicium Eccleſiaſticum eſt, quod coram Eccleſiaſtico Iudice agitur; ſæculare quod coram Iudice laico.

8. Ex parte materiæ, diuiditur primò in poſſeſſorium & petitorium. Iudicium poſſeſſorium eſt, in quo agitur de poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione ſiue adipiſcenda, ſiue retinenda, ſiue recuperanda. *Dixi de poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione*, vt complecterer non ſolum iudicium in quo agitur de rebus corporalibus, quæ dicuntur propriè poſſideri; ſed etiam illud, quod verſatur circa incorporalia, qualia ſunt ſeruitutes, & alia iura, quæ dicuntur quaſi poſſideri, vt patet ex §. 1. *Inſt. de Interdictis*, iuncta ibid. gloſ. v. *quaſi poſſeſſione*. Iudicium petitorium eſt, in quo contenditur de proprietate, ſeu iure, aut dominio alicuius rei.

9. Secundo ex parte materiæ diuiditur in Ciuile, & Criminale. Iudicium ciuile eſt, in quo agitur de cauſa ciuili, puta de aliquo contractu emptionis &c. Criminale eſt, in quo tractatur de delicto.

10. Ex parte finis, ſubdiuiditur iudicium criminale in iudicium quod ciuiliter agitur, & in iudicium quod criminaliter exercetur, & in mixtum ex vtroque. Iudicium criminale ciuiliter exercitum eſt in quo agitur de delicto dumtaxat ad intereſſe priuatum accuſatoris, ſeu eius qui iniuriam paſſus eſt, cui venit applicanda pœna, vt puta ſi

O ei-

eidem ſoluenda ſit pœna pecuniaria &c. Iudicium criminale criminaliter tractatum dicitur quando tractatur de crimine ad commodum, ſeu vindictam publicam, puta ſi Reo ſubeunda ſit pœna corporalis, aut pœna pecuniaria ſoluenda fiſco, &c. Iudicium criminale mixtum eſt, quando finis vterque concurrit, ſi videlicet de crimine agitur, tum ad aliquod intereſſe priuatum eius, qui iniuriam paſſus eſt, tum ad aliquam vindictam publicam. Ita ſumitur ex *l. Prætor ait* 3. *ff. de ſepulcro violato*, iuncta ibid. gloſ. v. *centum aureorum*.

11. Demum ex parte formæ, ſeu modi, quo in iudicio proceditur, diuiditur iudicium in plenarium, ſeu Ordinarium, & in Summarium ſeu extraordinarium. Iudicium plenarium, ſeu ordinarium eſt, in quo cauſa cognoſcitur ſeruando omnes iuris ſolemnitates, quæ ad iudicium pertinent, vt puta cum citatur Reus, eique offertur libellus, ſeu Actoris intentio ſcripto edita, fit conteſtatio litis, præſtatur iuramentum calumniæ, &c. Iudicium ſummarium ſeu extraordinarium eſt, in quo proceditur ſine ſtrepitu, ac ſolemni forma iudicij, ſed tantummodo ſubſtantialia ſeruantur ſimpliciter, & de plano, vt rei veritas innoteſcat. Videatur *Clem.* 2. *de verbor. ſignif.* vbi declaratur qualiter

liter procedi debeat in iudicio de plano, ac ſine ſtrepitu, & ſolemni figura iudicij.

TIT. II.

De Iudice, eiuſque officio.

1. Inter perſonas principaliter ad iudicium concurrentes primus eſt Iudex, vt ſupra diximus *tit. praeced. n.* 3. Duplicis autem generis ille eſt, videlicet Ordinarius, & delegatus. Iudex Ordinarius dicitur, qui cauſas cognoſcit, & iuriſdictionem exercet competentem ſibi ratione dignitatis aut Officij, cui talis iuriſdictio annexa eſt à lege, vel conſuetudine, cuius generis eſt Rom. Pontifex per totam Eccleſiam, Epiſcopus eiuſque generalis Vicarius per ſuam diœceſim, &c. Iudex delegatus eſt, qui cauſas cognoſcit, non ex vi officij, cui talis iuriſdictio annexa ſit, ſed ex ſpeciali commiſſione, vnde iuriſdictionem exercet non tam ſuo iure, quam eius qui demandauit, vt ſumitur ex *l. More maiorum* 5. *ff. de iuriſdictione*, & tradunt communiter Doctores in rubr. *De off. Iudicis Ordinarij*, & *de off. & poteſt. Iud. deleg.*

2. Omnibus huius vtriuſque generis Iudicibus id commune eſt, vt tranſgredi non poſſint limites iuriſdictionis

ſuæ, quæ relate ad Iudicem Ordinarium commenſuratur territorio, & conceſſioni legis aut præſcriptæ legitimæ conſuetudinis, *c. Vt animarum 2. de conſtitut. in 6., c. Duo ſimul 9. de off. Iud. Ord. & c. Cum contingat 13. de foro compet.* relate autem ad delegatum commenſuratur mandato, quo illi a delegante comiſſa eſt, ex *c. Venerabili 37. de off. deleg. c. Cum dilecta 22. de reſcr. & l. Diligenter 5. §. 1. ff. mandati.*

3. Sed & plures ſunt inter vtrumque Iudicem differentiæ, quæ deſumuntur ex pluribus textibus ſub rubr. *de off. & poteſt. Iud. del. & de off. Iud. Ord.* In præſenti ſatis ſit tres differentias recenſere: reliquæ enim quæ concernunt particulares articulos iudiciorum, puta facultatem exequendi ſententiam à ſe l tam, aut ius appellationis &c. exponentur infra ſuis in locis, vbi de eiſdem iudiciorum articulis ſermo erit.

4. Prima igitur differentia eſt, quod iuriſdictio Iudicis Ordinarij non expirat per obitum eius a quo Iudex conſtitutus eſt, vt ſumitur ex *c. Legatos 2. de off. legati in 6.* iuriſdictio autem delegati ceſſat morte delegantis, ſi tunc res ſit integra, & nondum facta fuerit citatio partium; secùs autem ſi cauſa incœpta ſit ſaltem per citationem partis, in quo caſu iuriſdictio delegati prorogatur poſt

mor-

mortem delegantis, vſque dum cauſa fuerit abſoluta. Sumuntur hæc ex *l. & quia 6.ff. de Iuriſd. c.Gratum gerimus 20. & c. Licet vndique 30. de off. deleg.*

5. Iſta tamen intelligenda ſunt regulariter & de iure communi. Cœterum pro aliquo caſu particulari prorogari quoque poteſt, re integra, iuriſdictio delegata poſt obitum delegantis, ſi pro eodem caſu ita fuerit in iure ſtatutum, vel in litteris commiſſionis expreſſum, vt eſt exemplum in Inquiſitoribus Fidei, quorum iuriſdictio quamuis ſit delegata a Papa, vt colligitur ex *c. Vt officium 11.de hæret.in 6.* durat tamen etiam poſt obitum Papæ, quia ita eis expreſſe conceditur in *c. Ne aliqui 10. eod. tit. & lib.*

6. Item prædicta intelligenda ſunt de delegato ad iuſtitiam ſeu ad lites: aliud enim iuris ſeruatur circa Delegatum ad gratiam, pro quo diſtinctione opus eſt, vtrum delegatus fuerit ad ſolam executionem gratiæ ab ipſo delegante factæ; vel vtrum delegatus fuerit ad ipſam gratiam faciendam. Si delegatus fuit ad ſolam executionem gratiæ factæ ab ipſo Principe delegante; tunc per obitum eiuſdem Principis delegantis, etiam re integra, non expirat delegata facultas, iuxta textum expreſſum in *c. Si ſuper gratia 9. de off. deleg. in 6.*

quia videlicet gratia iam a Principe facta per eius mortem non ceſſat *ex c. decet 16. de reg. Iur. in 6.* cum itaque poteſtas executiua commiſſa delegato ſit veluti acceſſoria eidem gratiæ, congruum eſt vt nec ipſa ceſſet per mortem Principis, quia acceſſorium naturam ſequi congruit principalis, *c. 42. de reg. iur. in 6.* Si autem gratia non fuerit a Principe facta, ſed facienda commiſſa fuerit Delegato, & interim ipſe Princeps re integra moriatur, tunc per eius mortem expirat delegata facultas, ſuppoſito quod commiſſa fuerit facienda gratia certæ perſonæ; ſecus autem ſi nulla perſonarum facta expreſſione, fuerit gratioſe Delegato conceſſa facultas vt poſſit aliquibus perſonis idoneis aliqua beneficia prouidere; quia tunc cenſetur gratia facta delegato, cui relicta eſt ea eligendi poteſtas; gratia autem facta non expirat etiam re integra per obitum concedentis. Conſtant hæc ex textu expreſſo in *c. Si cui 36 de præb. in 6.*

7. Sed quid ſi Delegatus ipſe, antequam cauſa abſoluatur, imo & re integra, moriatur; numquid delegata facultas expirat, an potius tranſit ad eius ſucceſſorem? Reſpondendum cum diſtinctione: vel delegatio facta fuit ſpecialiter perſonæ; vel facta fuit dignitati & officio. Primum contingeret, ſi in com-

commiſſione exprimeretur ſpecialiter nomen perſonæ, v. g. *committo hanc cauſam cognoſcendam & decidendam Titio*; aut aliàs ex coniecturis colligi poſſet præſumpta voluntas Principis committentis, & ſpecialiter eligentis perſonam: ſecundum accideret, ſi in commiſſione exprimeretur ſolùm nomen dignitatis, v. g. *committo hanc cauſam cognoſcendam & decidendam Epiſcopo talis Eccleſiæ*, nec ex coniecturis & circumſtantijs colligi poſſet, Delegantem ſpecialiter reſpexiſſe ad perſonam, quæ tunc dignitatem obtinebat. In primo caſu expirat delegatio per mortem delegati: imo & ſi contingat, plures ſimul ad eandem cauſam fuiſſe perſonaliter delegatos, itaut omnes ſimul & coniunctim procedere iuſſi ſint, illorumque aliquem mori cauſa pendente; tunc quoque expirat reliquorum omnium iuriſdictio, niſi aliud in delegatione fuerit expreſſum, vt habetur *c. Vno delegatorum* 42. *de off. deleg.* In ſecundo caſu iuriſdictio delegata tranſit ad ſucceſſorem in eadem dignitate, *c. Quoniam* 14. *eod.* Iuriſdictio enim in tali caſu ſpecialiter commiſſa eſt dignitati, quæ numquam moritur, & a dignitate transfunditur in perſonam.

8. Secunda differentia inter Iudicem Ordinarium & Delegatum eſt, quod Ordinarius habet iuriſdictionem propriam,

priam, & iure proprio eam exequitur; at Delegatus iuriſdictionem propriam non habet, & vſum iuriſdictionis dumtaxat habet iure alieno, ſeu delegantis, vt ſupra diximus *n.* 1. *ex l. more maiorum 5. ff. de iuriſd.* cui etiam conſonat *l. Quæcumque 1. §. qui mandatam ff. de off. eius cui mandata eſt iuriſd.* Hæc autem differentia in eo ſita eſt, quod Ordinarius habeat iuriſdictionem non reuocabilem ad nutum illius, a quo conſtitutus eſt, ſed tantummodo iuſtis ex cauſis; at Delegatus habeat iuriſdictionem reuocabilem ad nutum delegantis.

9. Ab hac tamen regula generali excipitur caſus, in quo aliquis a Summo Pontifice delegatus ad aliquam cauſam, ſubdeleget eandem cauſam alteri, (ſicut poteſt, vt paulo poſt exponetur), itaut nihil iuriſdictionis in eadem cauſa ſibi reſeruet, ſed totam committat ſubdelegato, tunc enim poſtquam cauſa agi cœpta eſt a ſubdelegato, nequit amplius primus Delegatus iuriſdictionem a ſubdelegato reuocare, quia iam eſt functus officio ſuo, *ex c. Venerabili 37. de off. deleg.* quamuis eam reuocare poſſit re integra, ſeu antequam cauſa agi cœpta ſit a ſubdelegato, quia iuriſdictio, qua ſubdelegatus vti non cœpit, non cenſetur in ipſum efficaciter tranſiuiſſe, *c. quamuis 6. eod. in 6.*

10. Ter-

10. Tertia demum differentia eſt, quod Ordinarius regulariter poteſt iuriſdictionem ſuam alteri delegare, ex ſupracit. *l. Maiore Maiorum 5 de iuriſd.* & *c.cum Epiſcopus 7. de off. Ordin. in 6.* in ijs verbis *per ſe vel per alium*. At pro Delegato diſtinguendum eſt, vtrum ſit delegatus a Supremo Principe, vel ab aliquo inferiori Ordinario. Delegatus a Supremo Principe, ſiue ſit delegatus ad vniuerſitatem cauſarum, ſiue ſit delegatus ad aliquam certam cauſam, poteſt eam alteri ſubdelegare, tum de iure ciuili ex *l A iudice 5. C. de Iudicijs*, tum de Iure Canonico; ex *c. ſi pro debilitate 3. & c. fin. de off. deleg.* dummodo tamen ſubdelegeт perſonis expreſſis in *c. ſtatutum §. 1. & §. in nullo de reſcr. in 6.* videlicet perſonis dignitate præditis, aut perſonatum obtinentibus, ſeu Eccleſiarum Cathedralium Canonicis: excepto, ſi Princeps in Delegato ſpecialiter elegerit induſtriam perſonæ, vt ſi dicat in litteris commiſſionis, *Confidimus de tua induſtria, vel fide &c.* in quo caſu ipſe Delegatus non habet poteſtatem ſubdelegandi, vt colligitur ex *c. fin. §. is autem de off deleg.*

11. At ſi Delegatus ſit ab inferiori Ordinario, iterum diſtinguendum eſt. Vel enim eſt delegatus dumtaxat ad aliquam certam cauſam; vel eſt delegatus

ad aliquam vniuerſitatem cauſarum certi generis. Si ad aliquam dumtaxat certam cauſam, non poteſt ipſam alteri ſubdelegare, ex *c. cum cauſam* circa finem 42. *de appellationib. l. More 5. ff. de iuriſd. & l. A Iudice 5. C. de Iudicijs*: niſi tamen fuerit ipſi conceſſum a Delegante. Si autem delegatus ſit ad aliquam vniuerſitatem cauſarum certi generis, poteſt alteri ſubdelegare particularem aliquam cauſam ſub illa vniuerſalitate contentam, vt tradit Gloſ. *in cit. cauſam* 42. *de appellat. v. delegatus* & Gloſ. in *l. Legatus* 12. *ff. de off. Proconſ.* deputatus enim ad vniuerſitatem cauſarum, cenſetur tanquam Ordinarius, vt notat cit. Gloſ. in eod, *c. cauſam*; Ordinarius autem regulariter delegare poteſt, vt paulo ante dictum eſt.

12. Officium Iudicis in genere duplex eſt, aliud nobile, aliud mercenarium. Officium nobile dicitur quod per ſe ſubſiſtit, nullique actioni deſeruit, ſed impendi poteſt a Iudice independenter ab omni actione, per quam Actor iuridice petat id quod ſibi ab altero de iure debetur, vt puta cum Iudex ratione Officij ſui ſponte procedit ad inquirendum de vita, & moribus ſubditorum, aut etiam cum in integrum reſtituit aliquem enormiter læſum, etiamſi id faciat ad ſupplicationem eiuſdem, qui cum

non

non poſſit intentare actionem excluſus v. g. a ſententia contraria & re iudicata, aut a calliditate ſeu potentia aduerſarij, implorat Iudicis Officium ex æquitate. Officium Iudicis mercenarium eſt, quod actioni deſeruit, ſeu quod a Iudice non impenditur, niſi interuentu actionis, aut litis.

13. Iurisdictio Iudicis, quæ exercetur officio nobili, vocari etiam ſolet *Imperium*, ad differentiam iurisdictionis exercitæ officio mercenario, quæ dicitur *ſimplex iuriſdictio*. Diuiditur autem Imperium in merum, & mixtum, de qua diuiſione ſermo eſt in l. *Imperium 3. ff. de iuriſd.* Imperium merum eſt, quod exercetur officio nobili in ordine ad vtilitatem publicam, cuius generis eſt poteſtas ferendi leges, congregandi generale Concilium, puniendi facinoroſos pœna mortis &c. Imperium mixtum eſt, quod exercetur officio nobili ad vtilitatem priuatam, qualis eſt poteſtas reſtituendi in integrum, dandi tutores &c. Denominatur autem mixtum, quia aliquid participat de mero Imperio quatenus exercetur officio nobili, & aliquid de ſimplici iuriſdictione quatenus reſpicit vtilitatem priuatam.

14. Inde fit, aliqua reperiri, quę poſſunt eſſe vel meri imperij vel mixti, iuxta diuerſitates circumſtantiarum, in

quibus exercentur, vt puta excommunicatio, quæ ex publica cauſa imponitur contra rebelles vel contumaces, eſt meri Imperij; at ſi feratur ad inſtantiam partis, eſſe mixti Imperij tradit Panor. in *c. Cum contingat* 13. *de foro compet. n.* 17. & ſic de pluribus alijs.

15. Vtraque ſpecies Imperij, imo & ipſa ſimplex iuriſdictio habet varios gradus, qui videri poſſunt late expoſiti ac declarati in *Iuriſdictionum diuiſione*, quæ poſita eſt in fine lib. 1. Digeſtorum, & apud Panor. in *c. Quod ſedem* 10. *de off. iud. ord. n.* 5. *& ſeq.* vbi etiam tractat de eorundem delegabilitate.

TIT. III.

De Aduocatis, & Procuratoribus.

1. POſt Iudicem conſideranda etiam eſt in Iudicijs Aduocatorum & Procuratorum perſona, quorum auxilio plerumque actiones exercemus. Eſt autem Aduocatus, qui pro altero coram Iudice cauſam ſuſcipit, eiuſque defenſionem ac patrocinium, ſuggerendo ea quę iuris ſunt, præſtat; vnde voce iuridica dicitur poſtulare, vt conſtat ex tota Decretalium, ff. & Codicis rubr. *de poſtulando*: quia ſcilicet ſuggeſtis rationibus poſtulat a Iudice, vt Clienti ſuo ius reddatur.

Ad-

2. Aduocatus debet eſſe in litteris eruditus vt patrocinia deſiderantibus præſtare poſſit ex *l.* 2. *C. de poſtulando* iuncta ibid. gloſ. eiuſque officium eſt vt nihil quod cauſa deſiderat omittat, temperet ſe ab iniurijs, litem ex induſtria non protrahat, iuxta textum expreſſum in *l. Quiſquis 6. C. eod.* Item mendacijs, alijſque malis artibus non vtatur, ad quarum periculum euitandum prohibitum eſt, ne Aduocatus pactum ineat cum Cliente de emolumento ſibi certæ partis acquirendo ex negotijs quæ tuenda ſuſceperit ex *l. Si qui 5. C. eod.* & *l. ſumptus 53. ff. de pactis,* quamuis ex ead. lege liceat dare iuſtum ſtipendium Aduocato ratione operæ ab ipſo præſtitę, quod idem conſtat etiam ex *l.* 1. §. *ſi cui cautum eſt. ff. de varijs & extraord. cognitionib.* Demum cauſam iniuſtam, & improbabilem non ſuſcipiat: vnde olim in ſingulis cauſis ab initio iurare tenebantur Aduocati, ſe non ſuſcipere cauſam improbam defendendam, nec in tota lite vllam probationem exacturos, niſi quam pro veritate putauerint eſſe neceſſario exhibendam, vt patet ex *l. Rem non nouam* 12. §. *Patroni C. de iudicijs,* et toto tit. *C. de iureiur. propter calumniam dando.* Quod vtrum & quomodo nunc ſeruetur in praxi, conſulenda eſt particularium regionum conſuetudo.

Munus

3. Munus Aduocati ſuſcipere poſſunt quotquot poſitiue non prohibentur. Prohibentur autem quidam de iure ciuili, vt videri poteſt apud Iuriſtas in *rubr. ff. & C. de poſtulando*: quidam etiam de iure Canonico, inter quos primo recenſentur Clerici, qui coram Iudice laico poſtulare non poſſunt, etiamſi minoribus tantum Ordinibus ſint initiati, ſi ſtipendijs Eccleſiaſticis ſuſtententur: niſi propriam cauſam, vel Eccleſiæ ſuæ fuerint proſecuti, aut pro coniunctis vel pro miſerabilibus forte perſonis, quæ proprias cauſas adminiſtrare non poſſunt, vt expreſſe habetur in *c. 1. & vlt. de poſtulando*, vbi etiam decernitur, vt ſi Clericus aliquis contra Eccleſiam, a qua beneficium obtinet; pro extraneis, Aduocatus vel procurator eſſe præſumit, tamquam ingratus poſſit (maxime ſi Clericus ſit eiusdem Eccleſiæ) beneficio huiuſmodi ſpoliari. Prohibentur etiam poſtulare Religioſi, quamuis Clerici nõ ſint, ſiue coram Iudice laico, ſiue coram Eccleſiaſtico, niſi forte id Monaſterij expoſcat vtilitas, & Abbatis mandatum interueniat. *c. ex parte 2. eod.*

4. Procurator proprie dicitur, qui aliena negotia mandato Domini ſuſcipit & adminiſtrat *l. 1. ff. de procuratorib.* Si quis enim ea gerit ſine tali mandato, is proprie non Procurator, ſed negotio-

rum

rum geſtor appellandus eſt, vt ſumitur ex toto tit. *ff. de negotijs geſtis*: ſicut & ex eadem ratione Curator aut Tutor non dicitur procurator, quia non mandato Domini, ſed ex voluntate Teſtatoris, aut ex decreto legis, ſeu Magiſtratus aliena negotia adminiſtrat. Differt quoque Procurator ab Aduocato, quod Aduocatus propriè non gerit aliena negotia, ſed ſolum pro alterius cauſa dicit, allegando eiuſdem cauſæ merita. Si quis autem in ſe ſuſcipiat adminiſtrãda negotia alicuius Vniuerſitatis, ſeu Communitatis cum eiuſdem mandato; is ſpeciali vocabulo appellatur Syndicus, de quo eſt expreſſa rubr. in Decretalibus.

5. Procuratorum alij ſunt extraiudiciales, ij videlicet, qui ad aliena negotia extra iudicium tractanda de mandato domini conſtituuntur, de quibus ſermo eſt in toto tit. *ff. & C. mandati*. Alij iudiciales, qui de mandato domini conſtituuntur ad tractanda negotia iudicialia, & dicuntur Procuratores ad lites, de quibus potiſſimum hic ſermo erit. Rurſus vtrique vel conſtituuntur vniuerſaliter ad agenda omnia alterius negotia, & ſi dicuntur Procuratores vniuerſales, ſeu generales, ac conſtitui aliquando ſolent adiecta clauſula *cum libera*, hoc eſt cum plena poteſtate agendi

omnia

omnia, quæ dominus poteſt, excepta facultate donandi, ex *l. Procurator* 58. *ff. de Procurator*. Vel conſtituuntur tantummodo quoad aliquam certam litem, aut particulàre negotium, & ſic vocantur Procuratores ſpeciales.

6. Procuratorem conſtituere regulariter nemo cogitur, etiamſi ad Iudicem citatus comparere non poſſit, detentus v.g. ab aliqua graui infirmitate, aut alio iuſto impedimento, quod diuturnum non ſit, & cauſa differri poſſit; ſuppoſito quod ipſa cauſa ſit grauis, cui perſonaliter intereſſe citato expediat, vt ſumitur ex *c. querelam* 2. *de Procurat.* & *l. quæſitum* 60. *ff. de re iudicata*. Excipi tamen debet, ſi perſona aliqua ſit talis qualitatis aut dignitatis, vt perſonaliter comparens terrori futura eſſet Iudici aut aduerſario, in quo caſu Procuratorem cogitur conſtituere, ex *l. quicumque* 25. *C. de procurat.* Cogitur etiam Monaſterium quando contra illud agitur, ex *c. cum veniſſent* 2. *de in integrum reſtitut.* imo & ſi Monaſterium ipſum agat, quia expedit pro paruo incommodo à ſtrepitu cauſarum Seruos Dei eſſe quietos, *c. vn. de Syndico*. Item cogitur excommunicatus, quando contra illum agitur, & ipſe perſonaliter comparere non poteſt ratione cenſuræ, *c. intelleximus* 7. *de Iudicijs*, quia non debet commodum à ſua ma-

malitia reportare. Dixi *quando contra illum agitur*: vt enim agat ipſe excommunicatus, ſicut perſonaliter non admittitur, ita nec per Procuratorem, vt colligitur ex *c. fin. de procurat.* Nam qui facit per alium, eſt perinde ac ſi faciat per ſe ipſum, *c. qui facit* 72. *de reg. iur. in* 6.

7. Quemadmodum autem iuxta dicta nemo regulariter cogitur, ita & quicumque regulariter poteſt Procuratorem in ſua cauſa conſtituere quoad res quarum ſit dominus, niſi expreſſa lege prohibeatur. Prohibetur autem de iure Canonico ab agendo excommunicatus, vt diximus: & de iure ciuili nequit conſtituere Procuratorem ad lites Minor tutorem, aut Curatorem non habens, qui per ſe ſtare in iudicio non poſſit, exceptis quibuſdam caſibus, vt in actione iniuriarũ &c. de quibus ſermo eſt in *l. filius familias* 8. *ff. de procurat.* & exceptis cauſis beneficialibus, alijſque ſpiritualibus, ſuper quibus annum ætatis quartumdecimum egreſſus ſtare poteſt in iudicio ad agendum, & defendendum, per ſe vel per Procuratorem, quem ad hoc conſtituendum decreuerit, nulla quoad hoc habita ratione aſſenſus paterni, etiamſi ſub poteſtate Patris exiſtat, ex *c. fin. de Iudicijs in* 6. Quod ſi intra decimumquartum annum exiſtat, tunc pro eiſdem

cau-

cauſis non poterit ipſe per ſe ſtare in iudicio; ſed ſi fuerit maior infante, hoc eſt ſeptennio, Procuratorem conſtituere poteſt cum authoritate Epiſcopi aut Officialis eiuſdem, vel per ipſum Epiſcopum, eiuſdemue Officialem dandus illi eritCurator ad lites huiuſmodi exercendas, ex eod. *c. fin. de iudicijs in 6.*

8. Eodem modo Procurator quilibet dari poteſt, niſi certa lege prohibeatur, ſicut de iure Canonico prohibentur Clerici, & Regulares, vt ſupra dictum fuit de Aduocato *n.* 3. Et cum munus Procuratoris in iudicio contineat tantummodo purum miniſterium abſque vllo iure; poteſt conſtitui etiam laicus in cauſis ſpiritualibus, tum ad agendum, tum ad defendendum in iudicio, *c.* 1. *de procurat. in 6.* Idque procedit ſiue præſens ſit qui conſtituitur Procurator, ſiue ſit abſens, dummodo conſentiat conſtitutus, vt ſumitur ex *c. licet 7. eod. in 6.* Rurſus idem procedit ſiue conſtituatur Paterfamilias, ſiue filiusfamilias etiam ſine Patris conſenſu, dummodo ætatem legitimam habeat, hoc eſt maior ſit 25. annis: ea enim ætas eſt, quæ in Procuratore ad lites requiritur, quamuis in procuratore ad negotia extraiudicialia ſatis ſit 17. annos compleuiſſe, ex *c. qui generaliter* 5. *eod. in 6.* & §. *eadem lege* circa finem *inſt. quib. ex cauſis ma-*

nu-

numittere non licet. Romæ tamen ſufficit etiam ad lites 20.annos exceſſiſſe, *ex Statuto Vrbis lib.1.cap.47.*

9. Demum ſicut quilibet regulariter Procurator conſtitui, & quilibet regulariter conſtituere Procuratorem; ita & quælibet cauſa regulariter agi per Procuratorem poteſt, niſi expreſſe prohibeatur. Prohibetur autem cauſa criminalis, ad quam Procurator ſiue ad accuſandum, ſiue ad defendendum non admittitur, ex *c.veniens 15. de accuſationib.* & ex *l.penult.§.ad crimen ff. de publicis iudicijs*: niſi tamen pro actione iniuriarum conſtituatur ab illuſtri perſona, *c.abſens 18.§.niſi 3.q.9.& l.fin.C.de iniurijs*; aut niſi agatur de leui crimine, & non excedente pœnam relegationis, iuxta *l.1.ff.an per alium cauſæ appellationum &c.* aut niſi agatur etiam de graui crimine, ſed ciuiliter, ex *c. tuæ 5. de procurat.* & *c.ſuper his 16.* in fine *de accuſationibus*: aut demum niſi procurator accedat non tam ad defendendum Reum, quam ad excuſandam eius abſentiam, ex cit. *c.veniens*, & *l. ſeruum 33. §.publice ff.de procurat.* iuxta ibid. gloſ. *v.defenſio*, in quibus caſibus per citata iura admittitur procurator.

10. In officio Procuratoris potiſſimum, quod attenditur, eſt mandatum domini, ſine quo regulariter nemo tam-

quam

quam procurator ad agendum admittitur, *c.* 1. *de procurat.* exceptis conſortibus eiuſdem litis ex *l.* 2. *C. de conſortib. eiuſd.litis*, & exceptis coniunctis perſonis enumeratis in *l.ſed & hæ* 35.*ff.de procurat.* ſcilicet parentibus, filijs licet ſint in poteſtate, fratribus, affinibus &c. cui etiam conſonat *c. nonnulli* 28. in fine *de reſcr.* Dixi *ad agendum*: quilibet enim qui legitime ſtare poſſit in iudicio poteſt in ſe ſuſcipere defenſionem Rei, etiam abſque eiuſdem mandato, modò ſatisdet, hoc eſt fideiuſſoribus datis promittat iudicatum ſolui pro litis æſtimatione, ex §.*penult.inſtit.de ſatiſdationibus*, & *l.qui proprio* 46.§.2.& 3.*ff.de procurat.*

11. Sed & eiuſdem mandati fines diligenter ſeruandi ſunt, ex *l diligenter* 5.*ff.mandati*, adeoque nequit procurator, niſi ea negotia adminiſtrare, quæ in mandato expreſſa ſunt, aut ſine quibus negotia expreſſa adminiſtrari non poſſent. Hoc autem adeo procedit, vt etiam conſtitutus generaliter procurator ad omnia negotia, non propterea poſſit ea adminiſtrare, quæ ſpeciale mandatum requirunt, (quę qualia ſint, videri poſſunt apud gloſ. in *c. qui ad agendum* 4. *de procurat. in* 6. alioſque Doctores ibid.,) quamuis in mandato procuratorio contineatur clauſula genera-

ralis, vt omnia tractare poſſit etiam ſpeciale mandatum exigentia: talis enim clauſula relate ad eiuſmodi negotia habetur pro non adiecta; niſi tamen ſimul cum tali clauſula ſpecificati particulariter eſſent aliqui articuli ſpeciale mandatum exigentes, in quo caſu poſſet procurator ille tractare tum illos articulos expreſſos, tum alios ſpeciale mandatum exigentes, dummodo non ſint maiores & grauiores expreſſis, vt ſumitur ex cit. *c. qui ad agendum, & ex Clem. 2.eod.* quibus etiam concordat *c. ſedes* 15. *de reſcr.*

12. Effectus mandati procuratorij eſt, vt domino proſit aut noceat id quod à procuratore geſtum eſt, ſuppoſito quod in eo fines mandati non exceſſerit: ſecus autem, ſi exceſſerit. Quod ſi idem procurator etiam intra fines mandati aliquid geſſerit per dolum aut fraudem in præiudicium domini, ſuccurritur domino per actionem mandati, itaut ſcilicet dominus agere contra procuratorem poſſit ad id, quod ſui ipſius intereſt. Sumuntur hæc ex *l. ſi procurator* 10.*C.de procurat.* & *l. licet* 42. §. *ea ff.eod.*

13. Alius quoque eiuſdem mandati effectus eſt, vt procurator per ſe ipſum debeat officium ſuum exequi, nec poſſit alium ſubſtituere, niſi dominus litis factus

ctus ſit, (quemadmodum fieri cenſetur poſt litem conteſtatam); aut niſi datus ſit Procurator in rem ſuam, ſeu ad ſuum emolumentum, vt puta ſi dominus ei actiones ſuas quoquomodo ceſſerit; aut niſi à domino poteſtatem habeat ſubſtituendi. Hæc tamen intelligenda ſunt de procuratore ad iudicia; procurator enim datus ad negotia extraiudicialia poteſt libere quandocumque aliũ deputare. Conſtant hæc omnia ex *c. 1. de procurat. in 6.*

14. Poteſtas, & officium procuratoris ſiue ad iudicia ſiue ad negotia dati pluribus modis expirare poteſt. Primò enim finitur mutuo domini, & procuratoris aſſenſu, quia omnis res, per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur, *c. 1. de reg. iur. & l. nihil tam naturale 35. ff. eod.* Secundò finitur per mortem ipſius procuratoris, cuius officium ad hæredem non tranſit, cum in eo videatur electa induſtria perſonæ, ex *l. mandatum 57. ff. mandati*. Tertiò per mortem domini, quamuis ſi per eiuſdem mòrtis ignorantiam mandatum impletum ſit, competat procuratori actio vtilitatis cauſa, ex *l. inter cauſas 26. ff. eod.* In caſu autem quo aliquis conſtitutus ſit Procurator pro Eccleſia aut beneficio à Prælato, qui Prælatus poſt litem conteſtatam aut poſt negotium incœptum moriatur,

tunc

tunc ex alia quoque ſpeciali ratione cesſat Procuratoris officium etiam quoad cœpta negotia, iuxta textum *in Clem. fin. de procurat.* quia ſcilicet Sede vacante nihil innouari debet, vt conſtat ex toto tit. *Ne ſede vacante aliquid innouetur*.

15. Præterea ceſſat poteſtas Procuratoris ad lites per reuocationem eiuſdem, quę ante litem conteſtatam poteſt libere à domino fieri, ex *l. ante litem 16. ff. de procurat.* ſecus autem poſt litem conteſtatam, quia tunc Procurator cum ſit factus dominus litis, non poteſt inuitus reuocari niſi iuſta cauſa intercedat, puta inimicitia, morbus &c. ex *l. poſt litem 17. & ſeqq. ff. eod. l. procuratoribus 22. C. eod. & c. quamuis 2. eod. tit. in 6.* quamuis etiam in caſu, quo Procurator reuocari non poſſit, non prohibeatur dominus perſonaliter adeſſe ſuę cauſæ vna cum eodem Procuratore, maxime ſi de colluſione timeat, vt notatur expreſſe in eod. *c. quamuis*. Vt autem reuocatio valida ſit, debet legitime peruenire ad notitiam Procuratoris reuocati, vt ſumitur ex *c. ex inſinuatione 3. de procurat.* imo & ad notitiam Iudicis, & Aduerſarij. ex *c. mandato 13. eod.*

16. Excipitur tamen ab hac generali regula caſus, in quo Procurator facultatem habens à domino, re integra aliũ Procuratorem ſubſtituat: hic enim Procu-

quibus exercentur, vt puta excommunicatio, quæ ex publica cauſa imponitur contra rebelles vel contumaces, eſt meri Imperij; at ſi feratur ad inſtantiam partis, eſſe mixti Imperij tradit Panor. in *c. Cum contingat* 13. *de foro compet. n.* 17. & ſic de pluribus alijs.

15. Vtraque ſpecies Imperij, imo & ipſa ſimplex iuriſdictio habet varios gradus, qui videri poſſunt late expoſiti ac declarati in *Iuriſdictionum diuiſione*, quæ poſita eſt in fine lib. 1. Digeſtorum, & apud Panor. in *c. Quod ſedem* 10. *de off. iud. ord. n.* 5. *& ſeq.* vbi etiam tractat de eorundem delegabilitate.

TIT. III.

De Aduocatis, & Procuratoribus.

1. POſt Iudicem conſideranda etiam eſt in Iudicijs Aduocatorum & Procuratorum perſona, quorum auxilio plerumque actiones exercemus. Eſt autem Aduocatus, qui pro altero coram Iudice cauſam ſuſcipit, eiuſque defenſionem ac patrocinium, ſuggerendo ea quę iuris ſunt, præſtat; vnde voce iuridica dicitur poſtulare, vt conſtat ex tota Decretalium, ff. & Codicis rubr. *de poſtulando*: quia ſcilicet ſuggeſtis rationibus poſtulat a Iudice, vt Clienti ſuo ius reddatur. Ad-

2. Aduocatus debet eſſe in litteris eruditus vt patrocinia deſiderantibus præſtare poſſit ex *l.* 2. *C. de poſtulando* iuncta ibid. gloſ. eiuſque officium eſt vt nihil quod cauſa deſiderat omittat, temperet ſe ab iniurijs, litem ex induſtria non protrahat, iuxta textum expreſſum in *l. Quiſquis* 6. *C. eod.* Item mendacijs, alijſque malis artibus non vtatur, ad quarum periculum euitandum prohibitum eſt, ne Aduocatus pactum ineat cum Cliente de emolumento ſibi certæ partis acquirendo ex negotijs quæ tuenda ſuſceperit ex *l. Si qui* 5. *C. eod.* & *l. ſumptus* 53. *ff. de pactis,* quamuis ex ead. lege liceat dare iuſtum ſtipendium Aduocato ratione operæ ab ipſo præſtitę, quod idem conſtat etiam ex *l.* 1. §. *ſi cui cautum eſt. ff. de varijs & extraord. cognitionib.* Demum cauſam iniuſtam, & improbabilem non ſuſcipiat: vnde olim in ſingulis cauſis ab initio iurare tenebantur Aduocati, ſe non ſuſcipere cauſam improbam defendendam, nec in tota lite vllam probationem exacturos, niſi quam pro veritate putauerint eſſe neceſſario exhibendam, vt patet ex *l. Rem non nouam* 12. §. *Patroni C. de iudicijs,* et toto tit. *C. de iureiur. propter calumniam dando.* Quod vtrum & quomodo nunc ſeruetur in praxi, conſulenda eſt particularium regionum conſuetudo.

Munus

3. Munus Aduocati ſuſcipere poſſunt quotquot poſitiue non prohibentur. Prohibentur autem quidam de iure ciuili, vt videri poteſt apud Iuriſtas in rubr. *ff.* & *C. de poſtulando*: quidam etiam de iure Canonico, inter quos primo recenſentur Clerici, qui coram Iudice laico poſtulare non poſſunt, etiamſi minoribus tantum Ordinibus ſint initiati, ſi ſtipendijs Eccleſiaſticis ſuſtententur: niſi propriam cauſam, vel Eccleſiæ ſuæ fuerint proſecuti, aut pro coniunctis vel pro miſerabilibus forte perſonis, quæ proprias cauſas adminiſtrare non poſſunt, vt expreſſe habetur in *c.* 1. & *vlt. de poſtulando*, vbi etiam decernitur, vt ſi Clericus aliquis contra Eccleſiam, a qua beneficium obtinet, pro extraneis, Aduocatus vel procurator eſſe præſumit, tamquam ingratus poſſit (maxime ſi Clericus ſit eiusdem Eccleſiæ) beneficio huiuſmodi ſpoliari. Prohibentur etiam poſtulare Religioſi, quamuis Clerici nõ ſint, ſiue coram Iudice laico, ſiue coram Eccleſiaſtico, niſi forte id Monaſterij expoſcat vtilitas, & Abbatis mandatum interueniat. *c. ex parte* 2. *eod.*

4. Procurator proprie dicitur, qui aliena negotia mandato Domini ſuſcipit & adminiſtrat *l.* 1. *ff. de procuratorib.* Si quis enim ea gerit ſine tali mandato, is proprie non Procurator, ſed negotio-

rum geſtor appellandus eſt, vt ſumitur ex toto tit. *ff. de negotijs geſtis*: ſicut & ex eadem ratione Curator aut Tutor non dicitur procurator, quia non mandato Domini, ſed ex voluntate Teſtatoris, aut ex decreto legis, ſeu Magiſtratus aliena negotia adminiſtrat. Differt quoque Procurator ab Aduocato, quod Aduocatus propriè non gerit aliena negotia, ſed ſolum pro alterius cauſa dicit, allegando eiuſdem cauſæ merita. Si quis autem in ſe ſuſcipiat adminiſtrâda negotia alicuius Vniuerſitatis, ſeu Communitatis cum eiuſdem mandato; is ſpeciali vocabulo appellatur Syndicus, de quo eſt expreſſa rubr. in Decretalibus.

5. Procuratorum alij ſunt extraiudiciales, ij videlicet, qui ad aliena negotia extra iudicium tractanda de mandato domini conſtituuntur, de quibus ſermo eſt in toto tit. *ff. & C. mandati*. Alij iudiciales, qui de mandato domini conſtituuntur ad tractanda negotia iudicialia, & dicuntur Procuratores ad lites, de quibus potiſſimum hic ſermo erit. Rurſus vtrique vel conſtituuntur vniuerſaliter ad tractánda omnia alterius negotia, & ſic dicuntur Procuratores vniuerſales, ſeu generales, ac conſtitui aliquando ſolent adiecta clauſula *cum libera*, hoc eſt cum plena poteſtate agendi omnia

omnia, quæ dominus poteſt, excepta facultate donandi, ex *l. Procurator 58. ff. de Procurator*. Vel conſtituuntur tantummodo quoad aliquam certam litem, aut particulare negotium, & ſic vocantur Procuratores ſpeciales.

6. Procuratorem conſtituere regulariter nemo cogitur, etiamſi ad Iudicem citatus comparere non poſſit, detentus v.g. ab aliqua graui infirmitate, aut alio iuſto impedimento, quod diuturnum non ſit, & cauſa differri poſſit; ſuppoſito quod ipſa cauſa ſit grauis, cui perſonaliter intereſſe citato expediat, vt ſumitur ex *c. querelam 2. de Procurat. & l. quæſitum 60. ff. de re iudicata*. Excipi tamen debet, ſi perſona aliqua ſit talis qualitatis aut dignitatis, vt perſonaliter comparens terrori futura eſſet Iudici aut aduerſario, in quo caſu Procuratorem cogitur conſtituere, ex *l. quicumque 25. C. de procurat.* Cogitur etiam Monaſterium quando contra illud agitur, ex *c. cum veniſſent 2. de in integrum reſtitut.* imo & ſi Monaſterium ipſum agat, quia expedit pro paruo incommodo à ſtrepitu cauſarum Seruos Dei eſſe quietos, *c. vn. de Syndico*. Item cogitur excommunicatus, quando contra illum agitur, & ipſe perſonaliter comparere non poteſt ratione cenſuræ, *c intellexímus 7. de Iudicÿs*, quia non debet commodum à ſua ma-

malitia reportare. Dixi *quando contra illum agitur*: vt enim agat ipſe excommunicatus, ſicut perſonaliter non admittitur, ita nec per Procuratorem, vt colligitur ex *c. fin. de procurat.* Nam qui facit per alium, eſt perinde ac ſi faciat per ſe ipſum, *c. qui facit* 72. *de reg. iur. in* 6.

7. Quemadmodum autem iuxta dicta nemo regulariter cogitur, ita & quicumque regulariter poteſt Procuratorem in ſua cauſa conſtituere quoad res quarum ſit dominus, niſi expreſſa lege prohibeatur. Prohibetur autem de iure Canonico ab agendo excommunicatus, vt diximus: & de iure ciuili nequit conſtituere Procuratorem ad lites Minor tutorem, aut Curatorem non habens, qui per ſe ſtare in iudicio non poſſit, exceptis quibuſdam caſibus, vt in actione iniuriarũ &c. de quibus ſermo eſt in *l. filius familias* 8. *ff. de procurat.* & exceptis cauſis beneficialibus, alijſque ſpiritualibus, ſuper quibus annum ætatis quartumdecimum egreſſus ſtare poteſt in iudicio ad agendum, & defendendum, per ſe vel per Procuratorem, quem ad hoc conſtituendum decreuerit, nulla quoad hoc habita ratione aſſenſus paterni, etiamſi ſub poteſtate Patris exiſtat, ex *c. fin. de Iudicijs in* 6. Quod ſi intra decimumquartum annum exiſtat, tunc pro eiſdem

cau-

cauſis non poterit ipſe per ſe ſtare in iudicio; ſed ſi fuerit maior infante, hoc eſt ſeptennio, Procuratorem conſtituere poteſt cum authoritate Epiſcopi aut Officialis eiuſdem, vel per ipſum Epiſcopum, eiuſdemue Officialem dandus illi eritCurator ad lites huiuſmodi exercendas, ex eod. *c. fin. de iudicijs in 6.*

8. Eodem modo Procurator quilibet dari poteſt, niſi certa lege prohibeatur, ſicut de iure Canonico prohibentur Clerici, & Regulares, vt ſupra dictum fuit de Aduocato *n.* 3. Et cum munus Procuratoris in iudicio contineat tantummodo purum miniſterium abſque vllo iure; poteſt conſtitui etiam laicus in cauſis ſpiritualibus, tum ad agendum, tum ad defendendum in iudicio, *c.* 1. *de procurat. in 6.* Idque procedit ſiue præſens ſit qui conſtituitur Procurator, ſiue ſit abſens, dummodo conſentiat conſtitutus, vt ſumitur ex *c. licet* 7. *eod. in* 6. Rurſus idem procedit ſiue conſtituatur Paterfamilias, ſiue filiusfamilias etiam ſine Patris conſenſu, dummodo ætatem legitimam habeat, hoc eſt maior ſit 25. annis: ea enim ætas eſt, quæ in Procuratore ad lites requiritur, quamuis in procuratore ad negotia extraiudicialia ſatis ſit 17. annos compleuiſſe, ex *c. qui generaliter* 5. *eod. in* 6. & §. *eadem lege* circa finem *inſt. quib. ex cauſis ma-*

nu-

numittere non licet. Romæ tamen ſufficit etiam ad lites 20.annos exceſſiſſe,*ex Statuto Vrbis lib.1.cap.47.*

9. Demum ſicut quilibet regulariter Procurator conſtitui, & quilibet regulariter conſtituere Procuratorem; ita & quælibet cauſa regulariter agi per Procuratorem poteſt, niſi expreſſe prohibeatur. Prohibetur autem cauſa criminalis, ad quam Procurator ſiue ad accuſandum, ſiue ad defendendum non admittitur, ex *c.veniens* 15. *de accuſationib.* & ex *l.penult.§. ad crimen ff. de publicis iudicijs:* niſi tamen pro actione iniuriarum conſtituatur ab illuſtri perſona, *c.abſens* 18.§.*niſi* 3.*q.*9.*& l.fin.C.de iniurijs*; aut niſi agatur de leui crimine, & non excedente pœnam relegationis, iuxta *l.1.ff. an per alium cauſæ appellationum &c.* aut niſi agatur etiam de graui crimine, ſed ciuiliter, ex *c. tuæ* 5. *de procurat.* & *c.ſuper his* 16. in fine *de accuſationibus*: aut demum niſi procurator accedat non tam ad defendendum Reum, quam ad excuſandam eius abſentiam, ex cit. *c.veniens*, & *l. ſeruum* 33. §.*publice ff.de procurat.* iuxta ibid. gloſ. *v.defenſio*, in quibus caſibus per citata iura admittitur procurator.

10. In officio Procuratoris potiſſimum, quod attenditur, eſt mandatum domini, ſine quo regulariter nemo tam-

quam

quam procurator ad agendum admittitur, *c. 1. de procurat.* exceptis conſortibus eiuſdem litis ex *l. 2. C. de conſortib. eiuſd.litis*, & exceptis coniunctis perſonis enumeratis in *l. ſed & hæ 35. ff. de procurat.* ſcilicet parentibus, filijs licet ſint in poteſtate, fratribus, affinibus &c. cui etiam conſonat *c. nonnulli* 28. in fine *de reſcr.* Dixi *ad agendum*: quilibet enim qui legitime ſtare poſſit in iudicio poteſt in ſe ſuſcipere defenſionem Rei, etiam abſque eiuſdem mandato, modò ſatisdet, hoc eſt fideiuſſoribus datis promittat iudicatum ſolui pro litis æſtimatione, ex §. *penult. inſtit. de ſatisdationibus*, & *l. qui proprio 46. §. 2. & 3. ff. de procurat.*

11. Sed & eiuſdem mandati fines diligenter ſeruandi ſunt, ex *l. diligenter 5. ff. mandati*, adeoque nequit procurator, niſi ea negotia adminiſtrare, quæ in mandato expreſſa ſunt, aut ſine quibus negotia expreſſa adminiſtrari non poſſent. Hoc autem adeo procedit, vt etiam conſtitutus generaliter procurator ad omnia negotia, non propterea poſſit ea adminiſtrare, quæ ſpeciale mandatum requirunt, (quę qualia ſint, videri poſſunt apud gloſ. in *c. qui ad agendum 4. de procurat. in 6.* alioſque Doctores ibid.,) quamuis in mandato procuratorio contineatur clauſula gene-

ra-

ralis, vt omnia tractare poſſit etiam ſpeciale mandatum exigentia : talis enim clauſula relate ad eiuſmodi negotia habetur pro non adiecta ; niſi tamen ſimul cum tali clauſula ſpecificati particulariter eſſent aliqui articuli ſpeciale mandatum exigentes , in quo caſu poſſet procurator ille tractare tum illos articulos expreſſos, tum alios ſpeciale mandatum exigentes, dummodo non ſint maiores & grauiores expreſſis, vt ſumitur ex *cit. c qui ad agendum, & ex Clem. 2.eod.* quibus etiam concordat *c. ſedes* 15. *de reſcr.*

12. Effectus mandati procuratorij eſt , vt domino proſit aut noceat id quod à procuratore geſtum eſt , ſuppoſito quod in eo fines mandati non exceſſerit : ſecus autem , ſi exceſſerit . Quod ſi idem procurator etiam intra fines mandati aliquid geſſerit per dolum aut fraudem in præiudicium domini , ſuccurritur domino per actionem mandati, itaut ſcilicet dominus agere contra procuratorem poſſit ad id , quod ſui ipſius intereſt. Sumuntur hæc ex *l.ſi procurator* 10.*C.de procurat.* & *l. licet* 42. §. *ea ff.eod.*

13. Alius quoque eiuſdem mandati effectus eſt, vt procurator per ſe ipſum debeat officium ſuum exequi, nec poſſit alium ſubſtituere , niſi dominus litis factus

tunc ex alia quoque ſpeciali ratione cesſat Procuratoris officium etiam quoad cœpta negotia, iuxta textum *in Clem. fin de procurat.* quia ſcilicet Sede vacante nihil innouari debet, vt conſtat ex toto tit. *Ne ſede vacante aliquid innouetur.*

15. Præterea ceſſat poteſtas Procuratoris ad lites per reuocationem eiuſdem, quę ante litem conteſtatam poteſt libere à domino fieri, ex *l. ante litem* 16. *ff. de procurat.* ſecus autem poſt litem conteſtatam, quia tunc Procurator cum ſit factus dominus litis, non poteſt inuitus reuocari niſi iuſta cauſa intercedat, puta inimicitia, morbus &c. ex *l. poſt litem* 17. *& ſeqq. ff. eod. l. procuratoribus* 22. *C. eod. & c. quamuis* 2. *eod. tit. in* 6. quamuis etiam in caſu, quo Procurator reuocari non poſſit, non prohibeatur dominus perſonaliter adeſſe ſuę cauſæ vna cum eodem Procuratore, maxime ſi de colluſione timeat, vt notatur expreſſe in eod. *c. quamuis*. Vt autem reuocatio valida ſit, debet legitime peruenire ad notitiam Procuratoris reuocati, vt ſumitur ex *c. ex inſinuatione* 3. *de procurat.* imo & ad notitiam Iudicis, & Aduerſarij. ex *c. mandato* 13. *eod.*

16. Excipitur tamen ab hac generali regula caſus, in quo Procurator facultatem habens à domino, re integra aliũ Procuratorem ſubſtituat: hic enim Procu-

curator ſubſtitutus reuocari non poteſt à Procuratore ſubſtituente poſt mandatum ſuſceptum, etiamſi idem ſubſtitutus nondum fuerit vſus tali mandato, niſi ipſe ſubſtituens habeat à Domino non ſolum facultatem ſubſtituendi, ſed etiam facultatem reuocandi, iuxta *c. Is qui 3. de procurat. in 6.* ſubſtituendo enim alium, cenſetur functus officio ſuo: quamuis in delegato Sedis Apoſtolicæ vices ſuas alteri committente aliud cenſeatur, cum poſſit re integra reuocare ſubdelegatum, vt notatur in eod. *c. is qui,* & ſupra dictum fuit à nobis in præced. tit. *n. 9.* Ratio diſcriminis eſſe poteſt; quia delegatus Principis ad aliquam cauſam, ſicut & delegatus inferioris Ordinarij ad aliquam vniuerſitatem cauſarum, habet à lege poteſtatem ſubdelegandi, vnde cenſetur quaſi Ordinarius vt etiam ſupra dictum eſt *tit. præced. n* 10. *& ſeq.* At Procurator ad lites, re integra, ſeu ante litis conteſtationem, ſi quam poteſtatem habet ſubſtituendi, eam non habet à lege & ſtabiliter, ſed ſolum ab homine & tranſeunter ad vnum actum, quo expleto iam cenſetur functus officio ſuo.

17, Hinc à contrario ſenſu infert Laym in cit. *c. is qui*, ſi aliquis Procurator poſt litis conteſtationem alium ſuo iure ſubſtituerit, vt poteſt ex ſupradictis *n.* 13.

n. 13. poſſe ipſum reuocare, cauſamque reaſſumere, ſi ſubſtitutus nondum vſus ſit mandato: quia poſt litis conteſtationem habet non ab homine, ſed à lege poteſtatem ſubſtituendi; ſi autem vſus ſit mandato, non poteſt ipſum inuitum reuocare, niſi iuſta cauſa intercedat, quemadmodum paulo ante diximus de poteſtate domini in ordine ad reuocandum procuratorem.

18. Quæ dicta ſunt de reuocabilitate procuratoris ad lites, intelligi cum proportione etiam debent de Procuratore à domino conſtituto ad negotia extraiudicialia: quia & ipſe reuocari à domino poteſt, quamdiu res eſt integra: quod ſi res non ſit integra, iuſta reuocationis cauſa intercedat neceſſe eſt ad effectum reuocationis. Item vt eius reuocatio valida ſit, requiritur vt ad procuratoris reuocati notitiam perueniat, ex *l. ſi mandaſſem* 15. *ff. mandati*; & inſuper ſi Procuratio ſit circa negotium tractandum cum certa perſona, cuius interſit ſcire conſtitutionem aut reuocationem Procuratoris, neceſſarium quoque erit, vt eidem perſonę innoteſcat Procuratoris facta reuocatio.

19. Excipitur tamen ab hac regula Procurator conſtitutus ad matrimonium contrahendum. Si enim antequam contrahat, à domino reuocetur, contractum

P po-

poſtea matrimonium nullum eſt, etiamſi reuocatio tam Procuratori, quam illi perſonæ, cum qua contractum eſt, fuerit penitus ignorata, cum illius conſenſus defecerit, ſine quo firmitatem habere nequiuit, iuxtá textum expreſſum in *c. ſin de Procurat. in 6.*

TIT. IV.

De in ius vocando, & contumacia.

1. PRæmiſſa generali notitia principalium perſonarum, quæ iudicijs interueniunt, agendum modò eſt de ipſo ordine iudiciali, ac primò de quibuſdam præparatorijs, quę regulariter ipſi iudicio, ſiue de iure poſitiuo, ſiue etiam de iure naturali præire ſolent.

2. Primum, quod in tali genere occurrit, eſt citatio, de qua ſermo eſt in tota rubr. *ff. de in ius vocando*, eoque nomine intelligitur vocatio, per quam vocatur Reus in ius, ideſt ad tribunal Iudicis, iuris experiundi gratia, hoc eſt vt experiatur Actor an ius ſibi competat, necne, vt ſumitur ex *l. 1. ff. de in ius vocando.* Eiuſmodi citationem omni iudicio præmitti debere, ſuadet tum naturalis æquitas, quæ poſtulat neminem indefenſum iudicari, tum ius poſitiuum ſta-

ſtatutum in *l de vnoquoque 47. ff. de re iudicata*, *& c. inter quatuor 8. de maiorit. & obed.* alijſque iuribus, itaut omnia quæ nulla præmiſſa citatione in abſentem fiant, careant omni robore firmitatis.

3. Multiplex autem eſt citationum ſpecies. Alia enim eſt citatio *iuris*, quando videlicet aliqua lex, vel Canon certum dierum terminum ſtatuit, intra quem debeat aliquis ſe iudicio ſiſtere, cuius exemplum eſt in *c. 1. & 16 de elect; in 6. c quamuis 8. de off. Ordin in 6.* & alibi. Alia eſt citatio *hominis*, quando ſcilicet quis mandato Iudicis in iudicium vocatur, de qua citatione ſermo eſt in *c. Propoſuiſti 19. de foro compet. c. cum dilecti 6. de dolo, & contumac. c. veniens 15 de accuſationib. &c.*

4. Secundò alia eſt citatio realis, alia verbalis. Citatio realis dicitur realis captura perſonæ ad iudicium trahendæ. Citatio verbalis eſt, quæ fit ſolo verbo Iudicis, aut Officialis. Huic affinis eſt quæ fit per litteras citatorias, & dicitur citatio ſcripta: item quæ fit affixis litteris citationis, & vocatur citatio edictalis, demum quæ publice fit per præconem, Campanam, vel tubam.

5. Vt citatio legitima ſit, plura requiruntur. Primò enim opus eſt vt fiat à Iudice competente, cuius iuriſdictioni citandus ſubſit, & in eius territorio

 com-

commoretur, quia extra territorium ius dicenti non paretur impune, ex *c. 2. de Conſtit. in 6. & l. fin. ff. de iuriſdict. omn. iudic.* Sed neque poteſt regulariter idem Iudex aliquem ſua ſponte citare; inſtantia enim partis præcedat neceſſe eſt, quod intellige pro cauſis priuatis, ijs præſertim quæ ſimplici iuriſdictione, ſeu officio Iudicis mercenario cognoſcuntur; ſecus enim frequenter accidit in publicis cauſis meri aut mixti imperij, vt colligitur ex *c. qualiter 24. de accuſation.*

6. Secundò opus eſt vt ſeruetur forma legitima, pro qua neceſſe eſt exprimi primò nomen Iudicis, vt innoteſcat an ſit competens: Secundò nomen, & cognomen citati, vt vitetur æquiuocatio, & fraus, ex *c. 2. de reſcr. in 6.* Tertio nomen, & cognomen eius, ad cuius inſtantiam fit citatio, vt citatus cognoſcat Iudicem ad inſtantiam partis procedere, ſecumque deliberet an velit cedere, vel contendere. Quartò cauſam ſaltem in genere, vt poſſit Reus ſuper re, pro qua citatur, ſe præparare ad reſpondendum, *c. præterea 2. de dilationib.* vbi Panor *n. 2.* alijque. Quintò locum iudicij, vt conſtet vtrum ſit competens, & tutus, quia citatus ad locum non tutum non tenetur comparere, ſed liberam facultatem habet appellandi, etiamſi cauſa com-

miſſa fuerit cum clauſula *appellatione remota*, *c.ex parte 47.de appellat.* Sextò diem, & terminum ad comparendum, vt appareat an ſit dies iuridicus, vel feriatus; die enim feriato, ſi ſtatutus ſit in honorem Dei, & Sanctorum (niſi neceſſitas vrgeat, vel pietas ſuadeat) iudicium exerceri non poteſt, etiam de conſenſu partium; quamuis in diebus feriatis, qui gratia vindemiarum, vel meſſium ob neceſſitates hominum indulgentur, procedi valeat, ſi de partium proceſſerit voluntate, *c.fin.de feryjs.*

7. Authoritas citandi eſt penes quēcumque Iudicem competentem, ſiue Ordinarius ille ſit, ſiue Delegatus: cui enim ſiue à iure, ſiue ab homine iuriſdictio commiſſa eſt, reliqua quoque conceſſa ſunt, ſine quibus iuriſdictio exerceri non poſſet, ex *l.2.ff.de iuriſd. omn. iud.* Illud tamen diſcrimen eſt inter vtriuſque generis Iudicem, quod Delegatus poſſit tantum citare verbaliter, vel per litteras citationis, non autem per edictum, niſi ſit delegatus Supremi Principis, ex *auth. de litigioſis §. omnem.verſ. iubemus enim Ordinarios, & verſ.alijs autem omnibus*, nec per citationem realem, niſi ſpecialem de illa commiſſionem habeat, ex *auth. de exhibendis reis § ſi vero ſemel*, iuncta ibid. gloſ. *v. omnimodo.* E conuerſo Iudex Ordinarius, & re &

verbo citandi facultatem habet. Videri poteſt Maran. *de ordine iudiciorum* ſub titulo *de citatione*.

8. Effectus citationis varij ſunt. Primus eſt obligare citatum ad comparendum, ita vt ſi vel poſt trinam vocationem, vel poſt vnam peremptoriam cum tanto temporis interuallo, quantum trina vocatio contineret, non obediat; contumax dicendus ſit, ex *l. contumacia 53. ff. de re iudicata*, eiuſque inobedientia varie puniatur, vt conſtat ex toto Decretal tit. *de dolo, & contumacia*. Inter reliquas pœnas, quibus punitur contumacia Rei, ea eſt vt Actor mittatur primùm in poſſeſſionem rerum contumacis, de quibus actio eſt, non tamquam verus poſſeſſor, & dominus, ſed potius tamquam cuſtos, ex *c. 1. de eo qui mittitur in poſſeſſionem*. Quod ſi hoc non obſtante Reus in contumacia perſeueret, poſt annum ex ſecundo decreto conceditur Actori vera poſſeſſio earundem rerum, quarum Reus erat dominus. *c. prout nobis 4. & c. contingit 9. de dolo, & contumacia, & cit. c. 1. de eo qui mittitur in poſſeſſ.* reſeruata dumtaxat quæſtione proprietatis abſenti, ex cit *c. prout nobis*. Nec prodeſſe poteſt Reo, ſi per vim, & potentiam impediat Actorem ab ingreſſu poſſeſſionis obtentæ per primum decretum: cum enim nemo reportare debeat com-

m o-

modum ex malitia ſua, de canonica æquitate ſancitum eſt, vt elapſo anno Actor, eo non obſtante, verus poſſeſſor conſtituatur, perinde ac ſi ex primo decreto poſſeſſionem cauſa cuſtodiæ realiter ingreſſus fuerit, & retinuerit, *c. contingit 9. de dolo, & contumac.*

9. Ab hac tamen regula cauſa beneficialis excipitur: propter contumaciam enim partis aduerſæ non eſt mittendus Actor in poſſeſſionem beneſici, vtpote quod ſine canonica inſtitutione obtineri non poteſt *c. 1. de reg. iur. in 6.* ſed in eo caſu poterit Iudex etiam lite non conteſtata, diligenter examinato negotio, ipſum finem debito terminare, *c. vn. de eo qui mittitur in poſſeſſ. in 6.*

10. Quod interdum etiam obtinet in cauſa temporali, vt ſcilicet propter contumaciam partis poſſit Iudex deuenire ad ſententiam definitiuam. Vbi tamen diſtinguendum eſt vtrum contumacia ſe teneat ex parte Rei, an ex parte Actoris. Si enim ipſe Actor contumaciæ crimen incurrat; tunc etiam lite non conteſtata, (de qua conteſtatione quid ſit, & quomodo fiat ſermo erit infra), inſtante Reo poteſt per ſententiam Iudicis cauſa terminari, *c. Cauſam 3. de dolo, & contum.* quidquid ſit de iure ciuili, iuxta quod tres dilationes & poſt illas adhuc annus indul-

getur Actori ad comparendum, ante litem conteſtatam, vt notat Panor. in cit. *c. Cauſam n.* 15. Si autem Reus ſit contumax; tunc regulariter procedi non poteſt ad ſententiam definitiuam, niſi lis fuerit conteſtata, & de cauſa liqueat, *c. Prout nobis* 4. *eod.* Æquum enim eſt, contumaciam Actoris, quæ grauior eſt, grauius etiam puniri. Niſi tamen criminalis cauſa contingat, in qua procedatur per viam inquiſitionis: in ea enim contra Reum abſentem contumacem, etiam lite non conteſtata, teſtes recipi poſſunt, & ſententia definitiua ferri *c. Veritatis* 8. *eod.*

11. Alia quoque contumaciæ pœna eſt, vt contumax damnetur ad legitimas & moderatas expenſas, quas propter eius contumaciam Aduerſarius fecit a tempore citationis emiſſæ, *c. Ex litteris* 2. *& c. Cum dilecti* 6. *eod.* Quod ſi ſoluendo non ſit, ad Iudicis arbitrium puniri aliter poterit, vt ſumitur *ex c. finem* 5. *eod.*

12. Iſta tamen intelligenda ſunt, ſi citatus impeditus non ſit, nullaque ſe poſſit exceptione tueri, vt puta exceptione qualitatis perſonæ, quæ ad iudicium compelli non poſſit, iuxta *l. 2. & ſeqq. ff. de in ius vocando*, vel exceptione conditionis loci aut Iudicis manifeſte incompetentis; vel exceptione tem-

po-

poris illegitimi ad exercenda iudicia; vel demum exceptione illegitimæ formæ citationis. Quod ſi citatus dubitet an Iudex, a quo citatur, competens ſit; aut ſi priuilegium, quod habet exemptionis ab ipſo, non ſit manifeſte notorium, quale eſt v. g. priuilegium exemptionis Clericorum a Iudice laico; in tali caſu comparere debet, & incompetentiam allegare, *l. 2. ff. Si quis in ius vocatus non ierit*, eiuſdemque competentiæ iudicium ſpectat ad ipſum Iudicem citantem, *ex l. Conſenſiſſe 2. §. Sed ſi dubitetur, & l. Si quis ex aliena 5. ff. de iudicijs*. Demum ceſſante impedimento, quo detentus fuit, debet citatus, quanto citius poterit, ſe Iudici præſentare, *ex cit. c. Cum dilecti 6. de dolo, & contum.*

13. Alter citationis effectus eſt perpetuare iuriſdictionem Iudicis reſpectu illius cauſæ, de qua citatio facta eſt, & inducere prępentionem reſpectu eiuſdem cauſæ in Iudice citante, itant ſi contingat citatum, accepta citatione, mutare domicilium, & egredi limites territorij Iudicis citantis; adhuc ſubdatur iuriſdictioni eiuſdem Iudicis quoad illam cauſam, *c. Propoſuiſti 19. de foro compet. & l. Si quis 7. ff. de Iudicijs*. Qua in re nihil diſcriminis eſt inter Iudicem Ordinarium, & Delegatum, quamuis

aliqui oppoſitum ſenſerint: cum quia pro vtroque eadem ratio militat; tum etiam quia in citatis iuribus nulla fit quoad hoc inter vtrumque Iudicem diſtinctio: vbi autem iura non diſtinguunt, neque nos diſtinguere debemus, *l. De pretio 8. ff. de publiciana in rem actione*.

14. Tertius effectus citationis eſt interrumpere præſcriptionem, *ex l. fin. C. de annali exceptione*. Quartus demum citationis effectus eſt inducere litis pendentiam; qua durante nihil innouari debet, vt conſtat ex toto tit. *Vt lite pendente &c.* Ad hunc autem effectum ſatis eſt, non ſolum ſi citatio peruenit ad partem citatam, ſed etiam ſi per eam factum ſit quominus perueniret, iuxta textum in *Clem. 2. Vt lite pendente*.

TIT. V.

De libelli oblatione.

1. REo ex vi citationis comparente coram Iudice, debet Actor libellum Iudici offerre, hoc eſt breuem ſcripturam, in qua clare contineantur nomina Iudicis, Actoris, & Rei, Actoris intentio, res quæ petitur, & cauſa petendi, quæ omnia ſcripto tradenda ſunt, ſuppoſito quod procedendum ſit in forma iudicij, *c. 1. de libelli oblat.*

oblat. ac deinde eiuſdem libelli inſpiciendi ac deſcribendi poteſtas concedenda eſt Reo, vt ſecum deliberet an velit cedere vel contendere, vt conſtat ex *l. 1. C. de edendo, & auth. Offeratur C. de litis conteſt.* relata a Grat. in *c. Induciæ 4. 3. q. 3. §. Offeratur*: ac propterea accepto libello non ſtatim cogitur reſpondere Reus, ſed de iure communi conceduntur ei induciæ 20. dierum, ex *cit. auth. Offeratur*.

2. Eſt autem libellus duplex, nempe alius ciuilis ſeu conuentionalis, qui ſcilicet pro cauſa ciuili, & in id quod Actoris intereſt, concipitur, de quo ſermo eſt in *c. fin. de libelli oblat.* alius criminalis, in quo criminis accuſatio continetur.

3. Illud potiſſimum in conceptione libelli attendendum eſt, vt ſeruetur forma legitima. Pro hac in libello criminali opus eſt exprimi nomen accuſatoris, nomen Rei accuſati, & nomen Iudicis, coram quo accuſatur, item delicti locum & tempus. Conſtant hæc omnia *ex l. Libellorum 3. ff. de accuſationib.* vbi ponitur forma libelli criminalis. Pro forma autem libelli conuentionalis, opus eſt (vt diximus) exprimi nomina Actoris, Rei, & Iudicis, rem quæ petitur, & cauſam petendi.

4. Circa cauſam petendi difficultas

eſſe poteſt, vtrum ſatis ſit exprimere cauſam proximam, an etiam requiratur expreſſio cauſæ remotæ? Ad intelligentiam & reſolutionem difficultatis diſtinguendum eſt inter actionem realem, & actionem perſonalem, de qua diuiſione ſermo eſt §. *Omnium autem actionum. inſtit. de actionib.* Actio perſonalis, quæ etiam condictio appellatur *ex l. Actionum 25. ff. de obligationib.* eſt per quam in iudicio petimus, vt Aduerſarius det aliquid aut faciat, ad quod contendimus ipſum eſſe obligatum ex contractu, vel quaſi contractu, ex delicto vel quaſi delicto &c. vt v. g. ſi in iudicio petas vt Aduèrſarius det 100 ad quæ contendis ipſum eſſe obligatum, ex eo quod ipſi equum vendideris 100 Actio realis, quæ etiam dicitur petitio & vindicatio, eſt; quando in iudicio contendis, rem, quæ ab Aduerſario detinetur, eſſe tuam, petiſque vt Iudex declaret eſſe tuam: vnde per hanc actionem proprie & directe non agis ad reſtitutionem, ſed ſolum ad declarationem iuridicam quod res ſit tua; quamuis deinde poſt talem declarationem veniat reſtitutio facienda ex officio Iudicis. Videri poſſunt Iuriſtæ in cit. rubr. *Inſtit. de actionib.* vbi etiam varias vtriuſque generis actionum ſubdiuiſiones exponunt.

5. In vtroque actionis genere alia eſt cauſa remota, alia cauſa proxima agendi. In actione perſonali, cauſa remota eſt contractus aut quaſi contractus, delictum aut quaſi delictum &c. vnde naſcitur obligatio Aduerſarij ad aliquid dandum aut faciendum, vt colligitur ex *l. conſenſu* 2. *& cit. l. Actionum* 25. *ff. de obligationib.* Cauſa autem proxima in eadem perſonali actione eſt illa ipſa obligatio nata ex contractu, &c. vt colligitur ex *l. Licet* 42. § *Ea obligatio ff. de procurat.* At in actione reali cauſa proxima agendi eſt dominium rei; cauſa autem remota eſt id, ex quo fuit vel iure gentium vel ciuili dominium acquiſitum, *l. In rem* 23. § 1. *ff. de rei vindicat.* vt v. g. quod res fuerit tibi donata ab altero, aut vendita & tradita, aut hæreditariè accepta, &c.

6. His præſuppoſitis, ſi agendum ſit actione perſonali, exprimenda eſt in libello cauſa remota, v. g. *peto* 100 *a Titio ex vendito &c.* nec ſufficit exprimere cauſam proximã, v. g. dicẽdo *peto* 100. *ad quæ mihi Titius obligatur*, vt conſtat ex *c. fin. de libelli oblat.* & *l. Et an eadem* 14. §. *Actiones ff. de exceptione rei iudicatæ*. E conuerſo pro actione reali ſatis eſt exprimere cauſam proximam, v. g. ſi dicas te petere rem *quia illius es dominus.* Ratio diſparitatis indicatur in cit. §. *A-*

ctio-

ctiones: quia ſcilicet obligatio perſonalis multiplex eſſe poteſt iuxta multiplicitatem cauſarum vnde procedit; adeoq. ſi ſolum generice exprimatur obligatio Aduerſarij, nimis incertus eſſet libellus, nec poſſet idem Aduerſarius accepto libello deliberare ſecum an velit cedere vel contendere: at dominium rei vnicum eſt, adeoque ſola eius expreſſio incertitudinem non refundit.

7. Ex eodẽ motiuo excludendę incertitudinis prohibetur in libello alternatiua locutio iuxta textum in *l. Prætor edixit 7. §. Quod autem ff. de iniurijs.* Alternatio enim incertitudinem parit. Aliqui tamen ſunt caſus ſpeciales, in quibus alternatio libelli a iure permittitur qui videri poſſunt apud Socin. *in c. 2. de libel. oblat. n. 74.*

8. Sed quid ſi contingat libellum iuridice oblatum iam fuiſſe ab Actore, ſed in eius forma contineri aliquid ab eodem deprehendatur, quod emendari vel mutari opus ſit: numquid eſt in Actoris arbitrio talis emendatio, vel mutatio? Emendari libellus dicitur, quando ſalua libelli ſubſtantia, aliquod tantum eius vitium ad ſubſtantiam non pertinens, aut obſcuritas tollitur, ſeu quando aliquid additur ipſam libelli ſubſtantiam non immutans, itaut ſcilicet

ſub-

ſubſtantialiter nec res petita, nec cauſa petendi, nec ratio varietur. Mutari dicitur, quando actio propoſita, vel cauſa peten di mutatur, & alia proponitur, vel factum narratum variatur.

9. Doctrina communis eſt, poſſe libellum ab Actore mutari tam in ciuilibus, quam in criminalibus ante litis conteſtationem: quia tunc iudicium nondum proprie incœptum eſt; dummodo concedantur Reo aliæ dilationes, & de damno (ſi quod ex primo libello paſſus eſt) reddatur ſecurus: poſt conteſtationem autem litis mutari non poſſe, niſi inchoata alia inſtantia velit Actor vti alio diuerſo libello, cum refuſione expenſarum, iuxtà *c. Examinata* 15. *de iudicijs*: è conuerſo tum ante litis conteſtationem, tum etiam poſt conteſtationem, poſſe libellum emendari vſque ad concluſionem cauſæ; puta declarando aliquid obſcurè dictum, *l. ſi quis intentione* 66. *ff. de iudicijs*, aut diminuendo ſeu augendo ſummam petitam, §. *Si minus Inſtit. de actionib.*

10. Effectus oblati libelli eſt, vt ſecundum petitionem in eo contentam ſit ferenda ſententia, *l. Vt fundus* 18. *ff. communi diuidundo*: Et quamuis ſi nihil Rei interſit poſſit Actor libello oblato, etiam poſt litis conteſtationem, a lite deſiſtere; attamen ſi Rei interſit cogitur

tur Actor eam proſequi, alioquin in contumaciam damnari poſſet, *c. Cauſam 3. de dolo & contumacia.*

TIT. VI.

De Exceptionibus.

1. REo per citationem conuento pluribus Iuris remedijs conſultum eſt, quibus ſe poſſit ab Actore tueri. Inter reliqua ſunt exceptiones, de quibus extat in corpore vtriuſque Iuris expreſſa rubrica.

2. Nomine autem exceptionis hic intelligitur id, quod a Reo contra Actorem opponitur ad elidendam aut differendam eius actionem, vnde ex *l. 2. ff. de exceptionib.* iuncta ibid. Glos. *v. intentionem* definitur *Actionis, vel intentionis excluſio.* Dicitur diſiunctiuè *Actionis, vel intentionis*: quia ſi quid a Reo opponatur ad excludendam Actoris actionem, ad quam cæteroquin Actor habet ius, niſi ea per exceptionem excludatur; tunc exceptio illa dicitur propriè *actionis excluſio*, vt contingeret v. g. ſi metu coactus aut dolo aliquid Titio cum ſtipulatione promiſeris, & Titius conueniat te ad implendam promiſſionem, tu autem contra ipſum excipias de metu vel dolo: in quo caſu exceptio tua actionem

nem excludit, quæ de iure competit Titio, quia ex ſtipulatione obligaris, quamuis etiam a iure tibi concedatur exceptio, ne tu inique damneris, & Titius commodum de ſua prauitate reportet, ex textu expreſſo in §. 1. *inſtit. de exceptionib.* Si autem aliquid opponas ad excludendam actionē, quæ ab Actore intentatur de facto, ſed nullatenus illi competit; tunc exceptio dicitur *intentionis excluſio*, vt v. g. ſi Titius petat a te 100. & tu excipias te iam ſoluiſſe: ſi enim hoc verum eſt, nulla competit Titio actio contra te, cum extincta ſit in te omnis obligatio; adeoque excipiendo non excludis actionem, quæ de iure nulla eſt, ſed ſolum intentionem Actoris, & ideo ab aliquibus talis exceptio vocatur etiam exceptio facti.

3. Exceptionum aliæ dicuntur dilatoriæ ſeu temporales, aliæ peremptoriæ ſeu perpetuæ, §. *Appellantur inſtit. eod.* & *l. Exceptiones 3. ff. eod.* Dilatorię ſeu temporales ſunt quæ ſuſpendunt tantum aut differunt, non autem extinguunt actionem, & intentionem Actoris, vt puta ſi contra Titium agentem contra te vt ſoluas 100. ad quæ obligaris, excipias, inter te & ipſum conueniſſe, ne intra certum tempus ageretur, veluti intra quinquennium: finito enim tempore non impeditur Actor agere contra

te

te. Peremptoriæ autem ſeu perpetuę ſunt, quæ penitus perimunt eandem actionem & intentionem, qualis eſt in ſupra allato exemplo exceptio doli aut metus, quo coactus ſtipulatus fueris, qualis exceptio non limitatur ad certum tempus, ſed ſemper Actori obſtat, & & ſemper rem, de qua agitur, perimit.

4. Rurſus exceptionum dilatoriarum aliquæ reſpiciunt perſonam Iudicis, vt v. g. quod Iudex non ſit competens, aut quod ſit ſuſpectus, ad quod genus etiam reducitur exceptio loci, quod non ſit tutus &c. & hę dicuntur etiam fori declinatorię. Aliæ petuntur ex perſona Actoris aut Procuratoris v. g. quod ſit prohibitus ſtare in Iudicio, aut quod non habeat mandatum procuratorium &c. Aliæ ſumuntur ex perſona Rei, v. g. ſi Reus opponat ſe fuiſſe ab actore ſpoliatum, petatque reſtitutionem in integrum, antequam petitionibus eius reſpondere cogatur, ex *c. Cum dilectus 2. de Ordine cognitionum*. Aliæ demum deſumuntur ex ipſius actionis, & cauſę qualitate, vt eſt v. g. exceptio libelli inepti & incerti, exceptio temporis nondum completi ad obligationem ſoluendam &c.

5. Omnibus dilatorijs exceptionibus commune regulariter eſt, vt proponi debeant ante litis ingreſſum, ſeu an-

te

te litem conteſtatam *c. inter Monaſterium 20. de ſent. & re iud.* ne ſcilicet malitioſe cauſarum terminatio prorogetur, *c. Paſtoralis 4. de exception.* niſi tamen exceptio aliqua oriatur poſt litis ingreſſum, aut niſi notitia alicuius exceptionis ſuperueniat Reo poſt eundem ingreſſum, idque iuramento aſſerat, vt decernitur in eod *c. Paſtoralis*. Sed & ſi quid proponendum ſit de genere exceptionis declinatoriæ fori, proponi oportet non ſolum ante litem conteſtatam, ſed ante omnem aliam exceptionem dilatoriam, ne ſi alia primo proponatur, videatur Reus acceptare Iudicem, adeoque ipſum poſtea reprobare non poſſit, vt ſumitur ex *c. 1. §. cuius in agendo 3. q. 8. cit. c. inter Monaſterium & l. Sed & ſi ſuſcepit 52. §. 1 ff. de iudicijs* iuncta ibi Gloſ. *v hanc.* Quod enim ſemel placuit amplius diſplicere non poteſt, *c. Quod ſemel 21. de reg iur. in 6.*

6. Quod tamen dictum eſt de exceptionibus dilatorijs, illas regulariter proponi non poſse, niſi ante litem conteſtatam, limitatur quoad exceptionem excommunicationis, quæ quamuis & ipſa dilatoria ſit, proponi tamen poteſt etiam poſt litem conteſtatam in qualibet parte litis in prima inſtantia, ne quiſquam in periculum animæ ſuæ ex-

com-

communicato communicare cogatur, *c. Exceptionem* 12 *de exceptionib.* Sed quia inde periculum & occaſio naſci poſſet differendi malitioſe exceptionem excommunicationis, vt interim Actor excommunicatus laboribus, & expenſis fruſtra fatigetur; ideo de Canonica æquitate ſancitum eſt, vt ſi Reus ita malitioſe talem exceptionem opponere differat, in expenſis legitimis condemnetur ex eod. *c. Exceptionem*. Adde excommunicationem eſſe talis generis exceptionem, vt etiamſi non opponatur a Reo, attamen publice excommunicatus repellendus ſit ex officio Iudicis ab agendo, ex eod *c. Exceptionem.* Quænam autem forma ſeruanda ſit in opponenda exceptione excommunicationis, expreſſe decernitur ac declaratur in *c.* 1. *de exceptionib. in* 6.

7. Hæc tamen in prima tantum inſtantia locum habent. Si enim cauſa cadat Actor, & propterea appellationem interponat, excludi poſtea non poteſt a proſecutione appellationis, prætextu excommunicationis, qua fortaſſe innodatus exiſtit: omnis enim legitima defenſio, cuius generis eſt appellationis proſecutio, excommunicato in iudicio reſeruatur iuxta textum expreſſum in *c. Significauerunt* 11. & *c. fin. de exception.*

Ex-

8. Exceptiones peremptoriæ, quarum proprium eſt omne iusActoris prorſus perimere, cuius generis eſt exceptio ſolutionis iam factæ, pacti, iuriſiurandi, tranſactionis, præſcriptionis &c. tales, inquam, exceptiones id amplius habet ſupra dilatorias, vt opponi poſſint etiam poſt litem conteſtatam vſque ad prolationem ſententiæ, *l. Peremptorias 2. C. ſententiam reſcindi non poſſe*. Sunt enim defenſiones principalis negotij cognitionem contingentes. *c. 1. de litis conteſt. in 6.* Quin & aliquæ ſunt, quas etiam poſt ſententiam definitiuam opponi cōceditur vt eſt exceptio Senatuſconſulti Macedoniani *l. Tamenſi 11. ff. ad Senatuſconſult. Macedon.* aliæque quas enumerat Gloſ. ibid. & Gloſ. in *l. 1. C. de iuris & facti ignor. v. vti*.

9. Inter exceptiones peremptorias aliquę recenſentur, quæ dicuntur litis finitæ, quia ſi opponuntur ante litem conteſtatam, & per modum exceptionis declinatoriæ, ſuppoſito quod ſint liquidæ veritatis, & altiorem indaginem non requirant, impediunt ingreſſum litis progreſſumque iudicij: quamuis etiam poſſint opponi poſt litem cōteſtatam, & per modum exceptionis peremptoriæ, in quo caſu non impediunt proceſſum iudicij ſed reijciuntur ad merita cauſæ, & proceditur vlterius in Iudicio.

Huius generis tres numerantur in *c.1. de litis conteſt. in 6.* videlicet, *res iudicata*, quod ſcilicet cauſa fuerit aliàs per ſententiam Iudicis terminata: *Tranſactio*, quod videlicet inter partes compoſita iam fuerit controuerſia, aliquo vtrinque dato, retento aut promiſſo: *Res finita*, hoc eſt quod cauſa fuerit mutuo conſenſu partium, (ſi præſertim iuramentum interfuerit), finita, vel ſopita longo ſilentio, vt explicatur in *l. 1. §. vlt. ff. ad Senatuſconſult. Tertyllian.* Conſonat etiam *l. 1. 2. & 7. ff. de iureiurando.* Quæ omnia ſtatuta ſunt, ne lites ſemel terminatæ facile reuiuiſcerent, & quaſi in infinitum protraherentur, vt ſumitur ex *l fratris 10. & l. cauſas 16. C. de tranſact.*

10. Plures ſimul exceptiones opponere poteſt Reus, quia *nullus pluribus vti defenſionibus prohibetur c. 20. de reg. iur. in 6.*, & *c. Is qui 5. ff. de exception.* etiamſi diuerſæ ſint, ex *l. Nemo 8. ff. eod.* Nec obſtat quod actor vnica tantum actione experiri poſſit, iuxta *l. Nemo ex his 43. ff. de reg. iur.* Congruit eīm rationi, vt fauorabilius cōſulatur Reo qui pro ſui defenſione pugnat, quam Actori, vt decernitur in *l. fauorabiliores 167. ff. de reg. iur. & in c. Cum ſunt 11. eod. tit in 6.*

11. Quia autem *quod ob gratiam alicui us conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum c. 61. de reg. iur. in 6.*

ideo

ideo exceptio in fauorem Rei introducta, retorqueri non debet in diſpendium Rei, quaſi Reus exceptionem obijciens, aliquid de principali Actoris intentione confiteatur, vt v. g. ſi Reus conueniatur a Titio ſuper re, quam Titius contendit ad ſe pertinere, at Reus in contrarium excipiat, ſe poſſediſſe illam rem tempore ſufficienti ad præſcriptionem complendam; per huiuſmodi exceptionem non cenſetur aliquid confiteri de intentione Titij, quod ſcilicet res ad Titium pertineat, vt habetur in *c. exceptionem 63. eod. tit. in 6.* & in *l. non vtique 9. ff. de exception.* alioquin exceptio illa duos effectus oppoſitos pareret, ſcilicet confeſſionem & excluſionem vnius, eiuſdemque intentionis Actoris, quod eſt impoſſibile, & contra *l. Qui hominem 34. §. vlt. ff. de ſolutionib.* iuncta ibid. Gloſ. *v. liberatur.*

22. Quod ſi contingat a Reo exceptionem opponi, quæ videatur inſufficiens, aut minus iuſta ad actionem Actoris excludendam; poteſt Actor ſe replicatione tueri. Sicut enim actionem excludit exceptio ex parte Rei; ita exceptionem replicatio ex parte Actoris: contra quam replicationem ſi iterum aliquid excipiat Reus, dicitur duplicatio; quemadmodum & ſi Actor contra duplicationem aliquid repliget, dici-

tur triplicatio, & ſic deinceps, vt conſtat ex §. 1. *Inſtit. de replication.* & *l.* 2. *ff. de exceptionib.* Pertinet tamen ad Iudicem terminum ponere ne res in infinitum abeat, ac de Iure Canonico nimia eiuſmodi multiplicatio non admittitur, ſaltem quoad teſtes productos, quos tertiò reprobare nòn licet, ne nimis iudicium protrahatur, ex c. *Licet dilectus* 49. *de Teſtibus*.

TIT. VII.

De mutuis petitionibus.

1. ALiud Iuris remedium, quo Reo conſulitur, eſt mutua petitio, de qua in Decretalibus extat expreſſa rubrica. Nomine autem mutuę petitionis hic intelligitur reconuentio ex parte Rei: quando ſcilicet Reus viſo Actoris libello eiuſque petitione, aliud viciſſim ipſe petit, ſuper quo libellum format & eidem Iudici offert, adeoque vterque in eodem iudicio & coram eodem Iudice, quoad diuerſa, conſtituitur Actor ſimul, & Reus.

2. Talis mutua petitio locum habet in omnibus cauſis, vbi non reperitur expreſſe prohibita, aut a qualitate cauſæ non excluditur. Prohibetur autem in cauſis criminalibus criminaliter intenta-

tentatis: quia vt dicitur in c. 1. & c. *Non eſt credendum* 3. 3. q. 11. Non eſt credendum contra alios eorum confeſſioni, qui criminibus implicantur, niſi ſe prius probauerint Innocentes: quia periculoſa eſt, & admitti non debet Rei aduerſus quemcumque profeſſio. Reconuentionem tamen de crimine maiori non eſſe per citata iura prohibitam, docet ibidem Gratianus.

3. Prohibetur etiam in cauſa ſpoliationis, ſuper qua conuentus reconuenire, niſi ſuper alia ſpoliatione, non poteſt: quia ſpoliatus ante omnia reliqua eſt reſtituendus, *ex c. fin. de ord. cognit.* Item prohibetur in cauſa appellationis, de qua ſolum cognoſcit appellationis Iudex, vt notant DD. in *l. 1. ff. Eum qui apellauerit &c.* Item in executiuis, iuxta DD. *in auth. & conſequenter C. de ſententijs & interlocut.* Item in depoſito, vt colligitur ex *c. fin. de depoſito*, quia cõtractus depoſiti, qui ex bona fide oritur, habet executionem paratam. Interdicitur etiam excommunicato, cui omne ius agendi prohibitum eſt *ex c. cum inter 5. de exception.*

4. Prohibetur demum, quotieſcumque qualitas cauſæ reconuentioni repugnat, itaut Iudex cõuentionis de illa cauſa cognoſcere nequeat, vt puta ſi Reus conuentus ſuper cauſa ciuili co-

ram Iudice laico, reconuenire velit Actorem ſuum ſuper cauſa iuriſpatronatus, *c. quanto 3. de Iudicijs*, aut alterius rei ſpiritualis, ſuper qua, etiamſi partes conſentiant, Iudex laicus cognoſcere prohibetur, ex *c. Decernimus 2. eod.*

5. In ijs autem cauſis, in quibus reconuentio, ſiue de iure poſitiuo, ſiue de natura earundem, prohibita non eſt, fieri debet reconuentio coram eodem Iudice, coram quo conuentio facta eſt, ne ſit in poteſtate Rei doloſe trahere Actorem ad aliud Tribunal, & ſic eius actionem eludere vel diſtrahere, *l. Si idem 11. §. Sed & ſi mutua ff. de iuriſd. omn. iud. & auth. Et conſequenter C. de ſentent. & interloc.* Idque procedit ſiue conuentio facta fuerit coram Iudice Ordinario, ſiue coram Delegato ad petitionem Actoris electo, cuius iurisdictio in tali caſu etiam ad cauſam reconuentionis prorogatur: cuius enim in agendo quis obſeruat arbitrium, eum & contra ſe habere Iudicem non debet dedignari, *l. cum Papinianus 14. C. eod. & c. 1. de mutuis petitionib.* quamuis ſi Iudex delegatus ſit ex ſolo Principis arbitrio, aliquorum ſententia ſit, non poſſe ipſum cognoſcere de cauſa reconuentionis, niſi in reſcripto delegationis talis facultas ei concedatur. Coram Arbitris tamen generaliter reconuentio non admit-

mittitur, quia Arbitri iudicare non valent, niſi de his tantum, ſuper quibus in eos extiterit compromiſſum, ex *c. Cum dilectus 6. de arbitris*.

6. Conuerſi iuris eſt, vtrum ſi Clericus agat contra laicum coram iudice laico, reconueniri poſſit coram eodem, non in cauſa ſpirituali, aut ſpirituali annexa, nec in criminali ſiue ciuiliter ſiue criminaliter intentata: ſuper quibus indubitati iuris eſt non poſſe Clericum reconueniri coram Iudice laico, qui nec principaliter nec incidenter de talibus cauſis cognoſcere poteſt, ex *c. Tuam 3. de ord. cognit.* ſed in cauſa mere ciuili? Aliquorum ſententia eſt affirmatiua ex cit. *l. Cum Papinianus*, & quia videtur naturali ęquitati conſonum, vt Reus a Clerico conuentus hac etiam ratione tueri ſe poſſit contra Clericum Actorem. Probabilior tamen videtur negatiua aliorum ſententia, ex pluribus textibus apud Gratianum 11. *q.* 1. & *ex c. Si diligenti* 12. *de foro compet.* vbi generaliter prohibetur ne Clericus etiam volens, nec in cauſa ciuili, coram ſæculari Iudice Reus ſit, nulla facta exceptione reconuentionis. Nec obſtat ratio in contrarium petita ex æquitate naturali: nam plura alia laico non deſunt iuris remedia, quibus ab Actore Clerico tueri ſe poſſit.

7. Cum autem reconuentio introducta fuerit per modum legitimæ defenſionis, & æquitati conſentaneum ſit, vt quod Actori licet in agendo, Reo etiam pro ſui defenſione permittatur, vt decernitur in *c. non licet 32. de reg. iur. in 6. & l. Non debet 41. ff. eod.* ideo de Canonica æquitate ſancitum eſt, vt conuentio, & reconuentio pari paſſu procedant, vt puta ſi Actor contra Reum agat obtentis litteris vt procedatur appellatione remota; Reus etiam Actorem reconueniens ius habet vt in cauſa reconuentionis procedatur contra Actorem appellatione remota, iuxta textum in *c. Prudentiam vlt. de mutuis petition.* quod enim quiſque iuris in alterum ſtatuit, ipſe debet eo vti, *c. Cum omnes 6. de conſtit. & l. 1. ff. Quod quiſque iuris in alterum ſtatuerit &c.*

8. Ex eadem ratione debet vtraque cauſa ſimul cognoſci, & ſi de vtraque liqueat, vna ſententia terminari, ex *c. 1. de mutuis petition.* vna (inquam), quia ex vna ſcriptura proferri debet, ita ut primo ſcriptum ſit & legatur caput conuentionis, ac deinde immediate caput reconuentionis, quamuis ſi res ipſa attendatur, ſententia illa dicenda ſit duplex, quia tot ſunt ſententiæ, quot ſunt cauſæ ſpecies, quemadmodum de ſtipulationibus dicitur in *l. Scire debemus*

29. *ff.*

19. ff. de verbor. obligationib.

9 Item ex eadem ratione cogitur Actor reſpondere libello reconuentionis, ſuppoſito quod velit cogi Reum ad reſpondendum libello conuentionis, itaut vel vterque vel neuter actioni contra ſe intentatæ reſpondere teneatur, ex cit. *c. 1. de mutuis petition. & l. Actionem 5. C. de procurat.* Quod ſi Iudex hac naturali æquitate neglecta cauſam reconuentionis omittat, & ſuper ſola conuentione procedat, valebit ſententia, ſed Reus habebit cauſam iuſtam appellandi ex *l. 1. in fine ff. quæ ſententiæ ſine appellat. reſcindantur.*

10. Tempus proponendæ reconuentionis eſt ante vel ſtatim poſt litem conteſtatam, vt poſſit cauſa conuentionis ſimul & reconuentionis eodem iudicio terminari, ex *auth. de executoribus cap. 2. §. ſancimus* iuncta ibid. gloſ. *v. mox.* Quod ſi ſerius proponatur in progreſſu litis, controuertitur inter Doctores vtrum de iure Canonico admittenda ſit, ſi non ad effectum vt vtraque cauſa ſimul tractetur, & terminetur; ſaltem ad effectum vt poſtquam expedita fuerit cauſa conuentionis, ſtatim fiat ab eodem Iudice tranſitus ad cauſam reconuentionis, prorogata (ſi opus ſit) eius iuriſdictione. Innoc. in *c. 1. de mutuis petit.* in eam ſententiam videtur inclinare, quę

docet poſſe opponi reconuentionem in progreſſu iudicij vſque ad ſententiam, eandemque opinionem ſequitur etiam Gloſ. in eod. *c.* 1. *v. reſpondere*. Panor. tamen alijque ab ipſo relati in cit *c.* 1. *n.* 12. & 13. oppoſitum ſentiunt. Videri poſſunt Doctores iſti in loco citato.

TIT. VIII.

De reſtitutione Spoliatorum.

1. Dictum fuit, Agentem ſuper cauſa ſpoliationis, ac petentem reſtitui, non poſſe à ſpoliatore reconueniri niſi ſuper alia ſpoliatione, quia ante reliqua omnia ſpoliatus reſtituendus eſt per ſententiam Iudicis. Quia tamen hac in re ſunt nonnulla ſpecialiter in vtroque Iure ſtatuta; ideo ponitur ſpecialiter pręſens titulus.

2. Spoliatus hoc loco ille dicitur, qui poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione cuiuſcumque rei, immobilis aut mobilis, corporalis aut incorporalis, violenter & iniuſte deiectus eſt. Dicitur disiunctiue *poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione*, quia incorporalia, qualia ſunt iura, ſeruitutes &c. dicuntur *quaſi poſſideri*.

3. Cum autem ſit æquitati conſonum vt ſpecialibus, & extraordinarijs remedijs à lege ſuccurratur oppreſſis, ex *l.* 1. §. 1 *ff. de vi, & de vi armata*; ideo de iuris vtriuſque ſtatuto plura competunt

ſdo-

ſpoliato remedia ad recuperandam ſuarum rerũ poſſeſſionẽ. Vel enim rei alicuius mobilis poſſeſſione iniuſte ſpoliatus eſt; vel poſſeſſione aut quaſi poſſeſſione rei immobilis. Si primum, competit ei actio *Vi bonorum raptorum*, vel *actio ad exhibendum*, iuxta textum in cit. *l* 1. § *hoc interdictum verſ. illud vtique in dubium*, de quibus actionibus extant expreſſæ rubricæ in libris digeſtorum. Nomine actionis *vi bonorum raptorum* intelligitur actio, per quam coram Iudice petitur, vt violentus ſpoliator reſtituat, & ſi eadem intentetur intra annum, petitur reſtitutio in quadruplum, ex *l*. 1. *ff. vi bonorum raptorum*, & §. 1. *inſt. eod.* Nomine actionis *ad exhibendum* venit actio, per quam coram Iudice petitur, vt ſpoliator, ſeu iniuſtus poſſeſſor rem exhibeat, ideſt in publicum deducat, vt fiat Actori copia eam videndi, & apprehẽdendi, quo poſſit in iudicio probare rem eſſe ſuam, ex *l*. 2. *ff. ad exhibendũ*.

4. Quod ſi rei alicuius immobilis poſſeſſione aut quaſi poſſeſſione fuerit aliquis ſpoliatus, habet de iure ciuili priuilegium interdicti *Vnde vi*, ita dicti, quia prima edicti verba, quibus ſtatutum eſt, ſunt *Vnde tu illum vi deieciſti*, vt videre eſt in cit. *l*. 1. *ff. de vi & de vi armata*. Mediante hoc interdicto, agere poteſt ſpoliatus, vt ante reliqua omnia

reſtituatur ab eo, qui per ſe, vel per aliū ſpoliauerit, aut etiam ſpoliationē ratam habuerit, itaut ſpoliator eiuſmodi nulla ſe poſſit exceptione tueri, nec illi prodeſſe poſſit intentare iudicium petitorium, quo contendere velit rei dominium ad ſe pertinere: quia cum nemini liceat propria authoritate rem ab alio poſſeſſam occupare, prius ad reſtituendum cogitur, quàm ſuper proprietate in iudicio audiatur, ex *c.1.de reſtitut.ſpoliator.* Idque procedit, ſiue poſſeſſio illa qua Actor ſpoliatus eſt, fuerit ſolum poſſeſſio naturalis, ſiue ſolum poſſeſſio ciuilis, ex cit. *l.1.§.deÿcitur ff. de vi, & de vi armata*, ſiue iuſta, ſiue iniuſta, *c. in litteris 5. de reſtit. ſpoliat.* Neque quidquam ſpoliantem iuuabit, quod poſt ſpoliationem ab eo factam ſpoliatus renuntiauerit rei qua ſpoliatus eſt: quia non eſt veriſimile quòd ſpontè iuri ſuo renunciauerit, qui renunciat ſpoliatus, *c. 2. eod.*

5. Vigore huius interdicti, reſtituenda venit non ſolum res ablata, ſed etiam omne damnum inde cauſatum, ſiue ea ſalua ſint, ſiue non, ex cit. *l. 1. §. quod autem verſ. rectiſſimè, & c. grauis 11. de reſtit. ſpoliat.* vnde ſiquis fundi poſſeſſione, vel domus deiectus fuerit, vbi aliqua mobilia reperiebantur, quæ poſt ſpoliationem perire contingat, eo-

rum

rum omnium nomine tenebitur ſpoliator, etiamſi ad ſpoliatorem ea non peruenerint, vt etiam ſumitur ex *l. meritò 19.ff. de vi & de vi armata*; ſi tamen ſpoliatus eam actionem intentet intra annum: quia ſi poſt annum differat; non fruitur priuilegio interdicti, niſi quoad ea quæ ad ſpoliatorem peruenerunt, vt conſtat ex textu eiuſdem interdicti propoſiti in cit. *l.1. ff. eod. mora* enim *ſua cuilibet eſt nociua c.25. de reg. iur. in 6.* Quod intelligendum eſt quoad actionem in foro externo, & attento rigore iuris ciuilis: quia in foro conſcientiæ Spoliator iniuſtus non liberatur obligatione reſtituendi ea in quibus damnum intulit. licet ad ipſum non peruenerint, vt ſumitur ex toto Decretal. tit *De iniurijs & damno dato*, non obſtante quocumque longi temporis curſu: quia diuturnitas peccati, peccati malitiam non excuſat; cum potius peccata tanto ſint grauiora, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam, *c fin. de conſuet.*

6. Spoliatus agens hoc interdicto: duo probare debet: ſe videlicet habuiſſe poſſeſſionem tempore ſpoliationis, & de poſſeſſione ſe fuiſſe deiectum ab eo, contra quem agit, aut de eius mandato, aut ſaltem eum ratam habuiſſe ſpoliationem ab alia perſona factam, vt conſtat ex cit. *l. ff. de vi & vi armata*; ſumiturque

que etiam ex *c. ex parte* 14. & *c. cum ad Sedem* 15. *de reſtit ſpoliat.* Horum alterutro in probationibus deficiente, locum non habet priuilegium interdicti *vnde vi*, ſed alia via, alioque actionis genere procedendum erit. Inde eſt quod ſi laicus Eccleſiaſticum beneficium iniuſte detinuerit, fueritque eodem ab aliqua perſona priuatus, non poteſt agere interdicto *vnde vi* ad recuperandam ante omnia reliqua eiuſdem beneficij detentionem, quia proprie beneficio ſpoliatus, ſeu de beneficij poſſeſſione deiectus non fuit, cum ſit incapax laicus habendæ poſſeſſionis beneficiorum, vt ſumitur ex *c. cauſam* 7. *de praeſcript.* & *l. qui vniuerſas* 30. §. *poſſeſſionem ff. de acquirenda poſſeſſ.* Idem iuris eſt ſi quis mulierem domum ſuam traduxerit animo habendi eam in vxorem, ita tamen vt nulla prorſus ſponſalia cum ea celebrauerit: in quo caſu ſi mulier illa diſcedat, non poteſt vir tamquam ſpoliatus agere interdicto *vnde vi* ad eam recuperandam, quia per ſolam traductionem abſque ſponſalibus præcedentibus, aut ſubſequentibus mulieris poſſeſſio acquiſita non fuit, vt deciditur in *c. ex parte* 14 *de reſtit. ſpoliat.*

7. Prædicta regula de recuperanda ante reliqua omnia poſſeſſione, quæ beneficio interdicti *vnde vi* introducta eſt

in

in fauorem ſpoliati , patitur aliquas limitationes. Inter reliquas ea eſt quæ decernitur in *c. litteras* 13.*eod.* ſi videlicet cõtra petentem reſtitutionem coniugis opponatur conſanguinitas in gradu prohibito , eiuſque probationes offerantur paratæ: tunc enim ad auertendum animæ periculum, negabitur ea reſtitutio quoad thorum , priuſquam de conſanguinitate cognoſcatur . Idẽ quoque ſeruatur , ſi ex reſtitutione magnum ſcandalũ timeatur ſequturum, vt puta ſi agenti poſſeſſorio ad recuperandã vxorẽ, opponatur magna eiuſdẽ in vxorẽ ſæuitia, de qua prius cognoſcendum erit, quã vxor reſtituatur *c. ex tranſmiſſa* 8.*eod.*

8. Item à regula excipitur , qui aliquem ſpolians ſtatim ab occupata poſſeſſione repulſus eſt : in eo enim caſu ille ſpolians ſpoliatus non poteſt agere interdicto *vnde vi*, quia non tam ſpoliatus quàm à ſpoliando impeditus cenſendus eſt, & ita ſtatuitur in *c. olim.*12. *eod.*

9. Controuerſi iuris eſt vtrum priuilegium interdicti *vnde vi* competat etiam manifeſto prædoni , itaut ſi ipſum re prędata ſpoliari à domino contingat, agere poſſit poſſeſſorio , quo mediante ſit ante omnia reſtituendus, non obſtante exceptione dominij , quę à domino ſpoliatore proponatur .

10. Probabilior hac in re eorum

ſententia videtur, qui negant tale priuilegium manifeſto prædoni, cuius efficax argumentum deſumitur ex *c. fin de reſtit. ſpoliat. in 6.* vbi iniuſtus poſſeſſor ſpoliatus ab eo, ad quem de iure communi rem pertinere manifeſtum ſit, dicitur non eſſe ante omnia reſtituendus, quod non alia ratione procedit, niſi quia clarum eſt, eum iniuſte poſſediſſe, & ſpoliantem eſſe dominum manifeſtum. Neque in contrarium facit, quod in *c. in literis 5. de reſt. ſpoliat.* dicatur etiam prædo reſtituendus, & quod in *c. porro 3. de diuortijs* decernatur, virum eſſe reſtituendum coniugi, quam ipſe priuata authoritate, & abſque iudicio Eccleſiæ dimiſerat ex motiuo publicæ, & notoriæ conſanguinitatis, quæ inter ipſos intercedebat; ad vtrumque enim reſpondetur facile: primum poſſe rectè explicari de prædone non notorio; alterum autem eſſe ſpeciale pro illo particulari caſu, in quo agebatur de diſſoluendo matrimonio, quod propter grauitatem materiæ attentari non debet ſine Eccleſiæ iudicio, ante quod mulier etiam in caſu obiectæ conſanguinitatis eſt reſtituenda viro, non quoad thorum, vt ſupra dictum eſt *n. 7.* ſed ſolum quoad alia obſequia coniugalia. Videri poteſt Sanch. *de matrim. lib. 10 diſp. 12. n. 38.*

11. Demum, omiſſis reliquis, excipi-

pitur à regula caſus, in quo ipſe ſpoliatus expreſse, vel tacite conſentiat, vt de exceptione proprietatis aut dominij, quod ſibi competere ſpoliator aſſerit, cognoſcatur, antequam fiat reſtitutio, ex *c.1.de reſtit.ſpoliat.* Spoliatus enim poteſt cedere iuri ſuo ac priuilegio, quod eſt directè in eius fauorem introductum. Poterit itaque tunc vtrumque ſimul iudicium cumulari, videlicet & poſſeſſorium & petitorium coram eodem Iudice vna ſententia terminandum, ſuppoſito quod neutrius cauſæ cognitio ſit extra Iudicis poteſtatem: ita tamen vt priùs de poſſeſſorio pronuntietur, ſed in executione præualeat petitorium; ex *c.cum dilectus 6.de cauſa poſſeſs.& propriet.* quemadmodum vniuerſaliter ſeruari debet quotieſcumque poſſeſſorium cum petitorio concurrit, ſiue agatur interdicto acquirendæ poſſeſſionis, hoc eſt quam nunquam Actor habuit; ſiue interdicto retinendæ, hoc eſt quam habet, ſed in ea turbatur; ſiue demum interdicto recuperandæ, quam ſcilicet habitam amiſit. Quare ſi in prædicto caſu ſpoliatus poſſeſſionem, & ſpoliationem probet; non autem proprietatem aut dominium; obtinebit in poſſeſſorio, ſed cauſa cadet in petitorio: adeoque cum ſententia petitorij in executione præualeat, reſtituendus non erit, vt colligitur ex *c. cum*

ſu-

ſuper 4. de cauſa poſſeſſ. & propr. iuncta ibid. Gloſ. *v. reſtituendum.*

12. Dixi *ſuppoſito quod neutrius cauſæ cognitio ſit extra Iudicis poteſtatem*: quia quandoque contingit, Iudicem poſſe dumtaxat ea quæ poſſeſſionis ſunt cognoſcere, non autem ea quæ proprietatis, vt puta quamuis Iudex delegatus, cui in genere commiſſa ſit cauſa cognoſcenda, aut etiam in ſpecie cauſa proprietatis, poſſit nihilominus etiam cauſam poſſeſſionis cognoſcere, quia proprietas vtpote magis digna trahit ad ſe poſſeſſionem; attamen delegatus cui commiſſa ſit in ſpecie cognoſcenda cauſa poſſeſſionis, non poteſt cauſam proprietatis aſſumere, vt docet Gloſ in *c. Paſtoralis 5. de cauſa poſſeſſ. & propriet. v. cauſa non deciſa*, in fine; adeoque non poterit coram eo petitorium cum poſſeſſorio cumulari: niſi tamen proponatur per modum reconuentionis vbi proponi non prohibetur, in quo caſu iuriſdictio Iudicis prorogatur, vt ſupra dictum fuit tit. 7. vbi *de mutuis petitionibus.*

13. Præter interdictum *vnde vi* ſtatutum à iure ciuili, & à Sacris Canonibus approbatum, de quo hactenus dictum eſt, competit quoque ſpoliato aliud remedium recuperandæ poſſeſſionis introductum à Iure Canonico in *c. ſæpe contingit 18. de reſtit. ſpoliat.* cuius ſumma

in

in eo eſt, vt ſpoliatus agere poſſit contra quemcumque, qui ſpoliationis non ignarus rem ſiue ab ipſo ſpoliatore, ſiue à quolibet alio recepit, & ab eodem ſit ante omnia reliqua, etiamſi non probet dominium, reſtituendus: cum cæteroquin mediante interdicto *vnde vi* agere non poſſet niſi contra ſpoliatorem, aut contra eum qui ſpoliationem mandauit, aut eandem ratam habuit. Æquitas huius extenſionis canonicæ indicatur in *cod. c. ſæpe contingit*: quia ſcilicet quoad periculum animæ non multum intereſt iniuſtè detinere, ac inuadere alienum; qui autem recipit ſcienter rem ab alio ſpoliatione ſubtractam, cum ſit malæ fidei poſſeſſor, iniuſte detinet.

14. Quæſtionis eſt vtrum de iure canonico detur ſpoliato ſimile remedium reſtitutionis etiam non probato dominio, contra tertium poſſeſſorem bonæ fidei, & ſpoliationis neſcium, in cuius manus res quomodocumque bona ipſius fide peruenit. Plerique Doctores affirmant ex *c. redintegranda 3. & 4. cau. 3. q. 1.* vbi generalibus verbis dicitur redintegranda eſſe omnia expoliatis, vel eiectis Epiſcopis, nulla facta diſtinctione vtrum res repetatur à bonæ, vel malæ fidei poſſeſſore, quorum Canonum ſtatutum, quamuis expreſſe ſolum loquatur de Epiſcopis ſpoliatis, attamen ex

vſu

vſu & paritate rationis extendunt ad quemlibet alium ſpoliatum. Non deeſt tamen qui oppoſitum ſentiat, vt videre eſt apud Zoeſ. *de reſtit. ſpoliat. n. 5.*

15. Hactenus dicta procedunt, cum ſpoliatus intentat primus coram Iudice actionem ſpoliationis ad recuperandam rerum ſuarum poſſeſſionem. Quod ſi contingat ipſum ſpoliatum conuentum prius fuiſſe coram Iudice ſuper aliqua cauſa, & ſiue per modum reconuentionis, ſiue per modum exceptionis, ſpoliationem ſibi factam reponat; quęritur quid iuris in tali caſu ſeruandum ſit?

16. Reſpondetur. Vel ſpoliatus conuentus fuit ſuper cauſa criminali, vel ſuper cauſa ciuili. Si ſuper cauſa criminali, & ſpoliatio reponatur ab ipſo per modum reconuentionis, ſeu in viam actionis; tunc criminali cauſa ſuſpenſa, debet ſpoliatus per ſententiam Iudicis prius reſtitui, ſiue ſpoliatio facta fuerit ab accuſatore, ſiue ab aliquo tertio, dummodo ſit ſpoliatio totius ſubſtantiæ aut maioris partis ipſius, ne ſcilicet nudus, & inermis opponatur Reus accuſatori ſuo: in quo caſu conceditur eidem Reo quindecim dierum ſpatium ad ſpoliationem probandam; alioquin in expenſis, quas interim Actor ob hoc fecerit (iudiciali taxatione præhabita) condemnabitur: aliàs (ſi Iudici æquum viſum fuerit) punien-

niendus. Sumuntur hæc ex *c. 1. de reſtit. ſpoliat. in 6.*

17. Idem iuris eſt ſi ſpoliatus conuentus fuit petitorio ſuper cauſa ciuili, & ſuper eadem re per modum actionis, ſpoliationem reponat, quàm ab ipſo Actore paſſus eſt: procedi enim tunc quoque debet in ſolo poſſeſſorio, ſuſpenſo petitorio, & probata ſpoliatione decerni debet a Iudice reſtitutio antequam petitorium cognoſcatur, vt patet *ex c. Ex conqueſtione* 10. *de reſtit. ſpoliat.* Secùs accidit ſi petitorium primò intentatum, & poſſeſſorium poſtea repoſitum ſuper re diuerſa procedant: cum enim tunc intelligantur factæ mutuæ petiones, ſeſe tamquam diuerſæ minime contingentes, procedendum ſimul erit in vtroque, eademque ſententia vtrumque terminandum, vt expreſſe habetur in *c. Cum dilectus* 2. *de ordine cognit.* Item ſecùs accidit ſi Reus ciuiliter ab Actore conuentus ſpoliationem reponat, quam non ab ipſo Actore, ſed ab alio tertio paſſus eſt: quia tunc non obſtante ſpoliationis obiectu, Iudex procedere debet in cauſa ab Actore primitùs intẽtata, ex cit. *c. 1. de reſtit. ſpoliat. in 6.* cum non debeat Actor in eo damnum pati, vbi nihil peccauit.

18. Si autem ſpoliatio obijciatur a Reo non in viam actionis aut reconuen-

tio-

tionis contra Actorem, ſed ſolum per modum exceptionis, tunc probationes eiuſdem audiendæ primo erunt, & ea legitime probata, non cogetur Reus reſpondere petitionibus Actoris, donec ab ipſo reſtituatur: De ea tamen reſtitutione facienda non eſt a Iudice ferenda ſententia, ex cit. *cap. Cum dilectus*: quia ſcilicet ſententia non fertur, niſi ſuper eo de quo actum eſt, ſeu ſecundùm petitionem in libello oblato contentam, *l. Vt fundus 18. ff. communi diuidundo*; de ſpoliatione autem actum non fuit, nec oblãtus libellus, ſed ſolum exceptum, cum non fuerit propoſita per modum actionis, ſed dumtaxat per modum exceptionis dilatoriæ ad intentionem Aduerſarij repellendam.

TIT. IX.

De litis conteſtatione, & de iuramento calumniæ.

1. EXpeditis ijs, quæ iudiciorum quodammodo pręparatoria ſunt, agendum eſt de ſubſtantialibus iudicij partibus, ac primo de litis ingreſſu, qui conſiſtit in conteſtatione litis, vocata propterea baſis & fundamentum iudicij, vt ſumitur *ex §. Omnem verſ. ſi vero apud Iudicem Auth. de litigioſ. coll.* 8. iun-

8. iuncta ibid. gloſ. *v. initium*, ſine qua totus proceſſus iudicialis irritus eſſet, & ſententia Iudicis nulla, *ex c. vn. de litis conteſt.*, *& l. Prolatam 4. C. de ſentent. & interloc.* iuncta ibid. gloſ. *v. ſolitum Iudiciorum ordinem*. Quod tamen intelligendum eſt regulariter, ſeu extra caſus exceptos, quorum aliquos ſupra memorauimus in hoc *lib. 3. tit. 4. n. 9. & 10.* necnon pro iudicijs Ordinarijs, quia ſi procedatur ſimpliciter & de plano ac ſine ſtrepitu & figura iudicij, litis conteſtatio non requiritur, vti nec plures aliæ iudiciorum ſolemnitates, iuxta textum expreſſum in *Clem. 2. de verb. ſignif.* Videri poteſt Abb. in *c. Quoniam frequenter 5. Vt lite non conteſt. n. 4.*

2. Fit autem conteſtatio litis per petitionem Actoris coram Iudice propoſitam in libello, & per reſponſionem Rei negatiuam eiuſdem petitionis, animo litigandi factam, qui animus ſemper præſumitur etiamſi expreſſe nõ declaretur, quoties eiuſmodi petitionem aut reſponſionem non ſtatim ſubſequitur proteſtatio in contrarium, vt tradit *Rota de litis conteſt. dec. 12. in antiq.* Inde eſt, quod per ſolam facti expoſitionem, ſeu per poſitiones & articulos ad ſolam facti ſeriem pertinentes ab Actore propoſitos, Reique reſponſionem illis datam, non intelligitur lis conteſtata, *c. vni. de*

litis

litis conteſt., quia ſola facti narratio non eſt petitio aut negatio petitionis; & propterea eiuſmodi poſitiones & articuli proponi ſolent, poſtquam Actor ſuam in iure petitionem oblato libello expoſuit, eandemque petitionem Reus in iure negauit.

3. Inde etiam eſt quod ſi Reus contra petitionem Actoris dumtaxat excipiat, ſiue in genere exceptionis dilatoriæ, ſiue etiam in genere peremptoriæ, non intelligitur lis conteſtata, *ex c. Si oblato. de litis conteſt. in 6.* Qui enim taliter excipit, non reſpondet neque contradicit Actoris petitioni, ſicut ad litem conteſtandam requiritur. Dixi *dumtaxat excipiat*: ſecùs enim accideret ſi non ſiſteret intra limites puræ exceptionis, ſed inſuper directe reſponderet Actoris libello, negando eius petitionem, vt puta ſi Actor oblato libello petat coram Iudice reſtitutionem pecuniæ, quam mutuauit tibi; tu autem reſpondeas, te non teneri, & petitionem Actoris non eſſe implendam, eo quod ipſe Actor pactus fuerit ſe pecuniam illam non petiturum. Ita excipiens, non pure exciperes, ſed exceptionem cum reſponſione ad libellum cumulares, adeoque litis conteſtatio facta eſſet: & pro ſimili caſu procedunt aliqua iura ex quibus colligitur conteſtari litem ob-

iectu

iectu alicuius exceptionis, vt docet & explicat Gloſ. in cit. *c. Si oblato v. facia.*

4. Quamuis tamen exceptio a Reo obiecta non faciat conteſtationem litis, illam non impedit; imo vt dicitur in eod. *c. Si oblato*, ea exceptione non obſtante, eandem conteſtationem fieri oportebit: niſi tamen ſit exceptio ſpoliationis ab Actore commiſſæ circa illam ipſam rem, de qua eſt eiuſdem Actoris petitio, in quo caſu non cogitur Reus reſpondere petitioni Actoris, donec ab ipſo reſtituatur, vt dictum eſt in *tit. præced.* aut niſi aliqua ex illis tribus exceptionibus objiciatur, quæ dicuntur litis finitæ & impediunt litis ingreſſum, videlicet tranſactio, lis finita, & res iudicata, quas ſupra explicauimus *in hoc libro 3. tit. 6. n. 9.* aliqua enim illarum obiecta, etiam Reus non cogitur Actoris petitioni coram Iudice reſpondere, vt ibidem explicatum eſt.

5. Litis conteſtatio fieri poteſt non ſolum immediate per principales, ſed etiam per eorum procuratores, vt habetur *ex c. Cum ad Sedem 15. de reſtit. ſpol.* modo eorum reſpõſio a principali eadẽ die non reuocetur, *c. Cum cauſam 62. de appel.*

6. Effectus litis conteſtatæ plurimi ſunt. Poſt illam enim non datur amplius locus exceptionibus dilatorijs, niſi ex cauſa poſtea emergente, aut ante

Reo

Reo incognita, vt ſupra dictum fuit *in hoc lib. 3. tit. 6. n. 5.* Item actio & iuriſdictio Iudicis perpetuatur, exceptis quibuſdam caſibus videndis apud Panor. in *c. fin. de off. Iud. n. 8.* Inducitur quaſi contractus inter litigantes, vt neuter altero inuito poſſit a lite recedere, vt colligitur *ex l. Licet 3. §. Idem ſcribit ff. de peculio.* Reuocari non poteſt ſine iuſta cauſa procurator inuitus, *c. Quamuis 2. de procurat. in 6.* nec mutari libellus, vt ſuis in locis ſupra dictum fuit. Demum omiſſis alijs videndis apud Iuriſtas, conteſtata lite deueniri poteſt ad teſtium examinationem, & definitiuam ſententiam, quod ante prohibitum regulariter eſt, vt patet ex toto Decretal. tit. *Vt lite non conteſt.* exceptis caſibus, de quibus diximus *in hoc lib. 3. tit. 4. n. 9. & 10.*

7. Hoc tamen quod vltimo loco dictum eſt, de teſtibus ante conteſtationem litis non examinandis, non eſt generale, ſed regulariter tantùm obtinet, vt conſtat *ex c. fin. Vt lite non conteſt.*, vbi aliqui caſus ab ea regula excipiuntur. Talis eſt, ſi de morte teſtium timeatur, vel abſentia diuturna, in quo caſu ne probationis copia caſibus fortuitis ſubtrahatur, ipſi teſtes etiam lite non conteſtata admitti poterunt, eorumque atteſtationes pro ſuſcipienda lite vale-

bunt;

bunt: dummodo tamen Actor Aduerſarium intra annum conueniat, aut ſaltem receptionem huiuſmodi teſtium illi denunciet. Alij caſus excepti videri poſſunt in *eod. c. fin.* fuſe declarati.

8. Factam litis conteſtationem ſubſequi regulariter debet iuramentum calumniæ, iuxta pręſcriptum Sacrorum, Canonum, qui hac de re extant in Decretalib. ſub expreſſa rubr. *de iuram calumn.* Extat quoque ſimilis titulus in, Cod. videlicet. *de iureiur. propter calumn. dando*. Eo autem nomine intelligitur iuramentum, quo litigantes iurant ſe in iudicio bona fide & abſque fraude atque calumnia, ſiue agendo, ſiue reſpondendo, ſiue excipiendo proceſſuros, vt ſumitur *ex l. 2. C. eod.* vnde vocatur etiam iuramentum credulitatis, ad differentiam iuramenti veritatis, quod eſt de veritate dicenda, & dicitur iuramentum ſcientiæ, quod ſolùm olim præſtabatur in cauſis ſpiritualibus & his annexis, *ex c. Litteras 2. de iuram. calumn.*, ſed poſtea ſtatutum fuit vt etiam in cauſis ſpiritualibus pręſtari debeat iuramẽtum tam de veritate dicenda, quàm de calumnia, iuxta textum in *c. 1. §. fin. eod. tit. in 6.*

9. Quamuis tamen tale iuramentum calumniæ præſtari debeat, non eſt ita, neceſſarium, vt eo omiſſo ſit irritus aut

irri-

irritandus proceſſus iudicialis, & ſententia Iudicis, ſuppoſita quod aliàs legitime proceſſum fuerit, ex cit. c. 1. §. *propter omiſſum. De iuram. calum. in 6.* quia ſcilicet non eſt de ſubſtantia proceſſus iudicialis, quamuis fortaſſe de iure ciuili olim aliter obtinuerit, vt deſumi videtur ex cit. *l.* 2. §. *Sed quia. C. de iureiur. propter. calum. dan* Quod ſi Actor, præſertim a Reo requiſitus, illud ſubire recuſet, punitur amiſſione cauſæ; ſi autem Reus, habetur pro confeſſo, *ex c. vlt. §. fin. de iuram. calum.* ita tamen vt pro tali pœna ſubeunda requiratur ſententia Iudicis, *ex auth. Principales §. Si quis autem. C. de iureiur. propter calumn.*

10. Quod dictum eſt de obligatione ſubeundi iuramentum calumniæ, exceptionem patitur in Clerico, qui Eccleſiæ ſuæ cauſam agat: is enim inconſulto proprio Prælato idem iuramentum ſubire non debet, & Epiſcopus inconſulto Rom. Pontifice, *ex c. 1. de iuram. calumn.* quamuis ſi propriam cauſam agat Clericus, tali priuilegio non fruatur, iuxta textum in *c. Cæterum 5. eod.*

TIT. X.

De probationibus.

1. SOlent frequenter litigantes tam in exordio quàm in progreſſu iudicij negare poſitiones, aut intentionem aliquam Aduerſarij, vnde naſcitur neceſſitas probationis, ſine qua nihil euinceretur, quia Actore non probante Reus abſoluitur, *l. Qui accuſare 4. C. de edendo, & c. vn. Vt Eccleſiaſtica benef. ſine diminut. confer.* Propterea abſolutis ijs, quæ pertinent ad ingreſſum iudiciorum, agendum conſequenter hic eſt de probationibus, primo in genere, quod in hoc titulo præſtabitur, poſtea in ſpecie, quod in ſequentibus titulis expedietur.

2. Probatio generatim, prout hic ſumitur, eſt actus iudicialis, quo per teſtes, aut inſtrumenta, aut alia argumenta idonea fit Iudici fides de eo, quod in controuerſiam deductum eſt, vt ſumitur ex *c. Ex litteris 3. de probationib.* in ijs verbis *ad cognitionem Iudicis inſtruendam.* Alia eſt artificialis, alia inartificialis. Artificialem vocant, quæ arte & induſtria probantis ex ipſa cauſa circumſtantijſque deducitur, vnde vocatur etiam inſita, qualis eſt v. g. præſum-

ptio, quæ naſcitur ex circumſtantijs facti. Inartificialem appellant, quæ extrinſecùs aduenit, puta ex teſtibus, ex inſtrumentis, &c.

3. Vtraque ſubdiuiditur in plenam, & ſemiplenam. Prima eſt quæ plenam fidem Iudici facit, itaut ea poſita poſſit ferre ſententiam, & nullo alio vlterius requiſito, controuerſiam definire, qualis eſt v. g. quæ fit per rei euidentiam, per iudicialem partium confeſſionem, aut per plures teſtes omni exceptione maiores, ideſt quorum authoritas ex nulla legitima cauſa eleuari poteſt. Altera eſt, quæ plenam fidem non facit, quamuis ſit quoddam adminiculum probationis, talis eſt v. g. quæ fit per vnicum teſtem omni exceptione maiorem, aut per confeſſionem extraiudicialem, aut per comparationem ſeu perfectam ſimilitudinem ſcripturarum &c.

4. Tam Actori quam Reo incumbit onus probandi fundamentum intentionis ſuæ: vnde Actori probanda eſt petitio, ſuuſque libellus, reliquaque omnia, quibus petitionem, & libellum ſuſtinere contendit; Reo autem probanda eſt exceptio, quam obijcit ad elidendam aut differendam intentionem Aduerſarij. Quod ſi Reus contra petitionem Actoris nihil aliud opponat, niſi negatiuam vagam, indefinitam, & ſimpli-

plicem abſque vlla reſtrictione certi temporis, aut loci, aut alterius circumſtantiæ, vt puta ſi neget ſe cõtraxiſſe &c. cum talis negatiua indefinita, & vaga non poſſit vllatenus probari, iuxta textum in *c. Bonæ* 23. *de elect.* & *l. Actor.* 23. *C. de probat.* non cogitur Reus ſuam hanc reſponſionem probare, ſed totum probandi onus reiicit in Aduerſarium. Secùs contingeret ſi reſponſio Rei negatiua alicui certæ circumſtantiæ eſſet alligata, aut aliquid expreſſe vel tacite affirmaret, vt eſt exemplum in *c. Super hoc* 5. *de renunc.* in negante ſe ſponte renunciaſſe aliquod beneficiũ, quia vt ibid. explicat *Gloſ. v. negat, non ſponte renunciaſſe*, includit in ſe hanc affirmatiuam, *coactum renunciaſſe*, quam probare debet qui taliter excipit. Aliud quoque exemplũ habes in *l. Si filius* 8 *ff. de probationib.*

5. Probatio debet eſſe clara & certa, vt ſumitur *ex c. In præſentia* 8. *de probat.* & ſi agatur in criminalibus, vbi maius Rei præiudicium eſt, luce expedita clarior ſit neceſſe eſt, vt dicitur in *l. fin. C. eod.* Nec ſufficit probaſſe genus, niſi inſuper probetur & ſpecies in iudicium deducta, vt puta ad probandam alicuius ſubiectionem, non ſufficit probare ſolutionem tributi ab eo factam, quia ſolutio tributi genericum quiddam eſt, & indifferens ad ſubiectionem

oſtendendam, cum ſolui interdum ſoleat tributum ratione protectionis, vt patet *ex c. Recepimus* 8. *de priuileg.*

6. Facienda autem eſt poſt litem conteſtatam, imo & poſt articulos ſeu poſitiones ab Actore propoſitas, quia tunc intelligitur incœptum iudicium, & cognoſcitur quid negetur a Reo. Pro qua re ſciendum eſt, antiqui iuris fuiſſe, vt poſt litem conteſtatam, antequam deueniretur ad aliquod genus probationum, proponerentur ab Actore quædam interrogationes faciendæ Reo, quibus ipſe Reus coram Iudice reſpondere tenebatur, vt conſtat ex toto tit. *ff. de interrogat. in iure facien.&c.* Poſtea tamen vſus obtinuit, vt procederetur per poſitiones ſeu articulos, quo nomine intelliguntur breues quædam verborum formulæ mentem Actoris continentes & verſantes circa factum, quorum initium ſic eſſe ſolet: *Ponit Titius Actor primo. Ponit ſecundò &c.* vnde dictæ ſunt poſitiones, de quibus ſermo eſt in *c fin. de Confeſ. in 6.* Eiuſmodi ſingulis poſitionibus tenetur Reus clare & ſimpliciter reſpondere, itaut ſi id abſque rationabili cauſa recuſet, aut nolit, ſeu contumaciter ſe abſentet, pro confeſſo haberi debeat ſuper ijs, de quibus in eiſdem poſitionibus interrogatus extitit, ex *eod. c. fin.* Si autem illarum aliquas confiteatur,

tur, liberat Actorem ab earundem probatione: ſicut è conuerſo poſitiones, quas Reus negat dicuſitur articuli probatoriales, quia ab Actore proponente probandi ſunt.

7. Quod tamen dictum eſt de probationibus ante litem conteſtatam & poſitiones propoſitas non faciendis, limitationem patitur in caſu, quo probatio ſumenda ſit a Teſtibus, de quorum morte vel abſentia diuturna probabiliter timeatur, vt dictum eſt *in tit. praeced. n.* 7. aut in quo probanda ſit a Reo exceptio aliqua dilatoria, quæ vt ante litem conteſtatam proponitur, vt ſupra explicatum eſt *in hoc lib.* 3. *tit.* 6. *n.* 5. ita & ante eandem probari debet.

8. Quod ſi probatio facta non fuerit vſque ad quartam productionem teſtium aut ante publicata teſtimonia, aut concluſionem in cauſa, non erit poſtea ſuper eiſdem articulis admittenda, ex *c. iurauit* 6. *de probat. c. cum veniſſet* 25. *de teſtib.* & ex *Auth. At qui ſemel C. de probat.* In articulis tamen poſtea emergentibus admittitur, *c. fraternitatis* 17. & cit. *c. cum veniſſet* 25. *de teſtib.* quemadmodum, & in caſu notitiæ poſt publicata teſtimonia ſuperuenientis, ex qua deſumi poſſit legitima probatio, vt conſtat ex *c. ex tenore* 35. *eod.* ſed de his paulò infrà ſermo erit, vbi in ſpecie de Teſtibus.

9. Ordo ſeruandus in probationibus talis eſt, vt Actor primò probet intentionem ſuam, & poſtea Reus in ſuis exceptionibus, earumque probationibus audiatur, ex *l. exceptionem 19. C. de probat.* Niſi tamen Actor in ſua probatione deficiat: quia tunc Reus ab omni probandi onere liberatus abſoluitur, *l. qui accuſare 4. C. de edendo, & c. vn. vt Eccleſiaſt. benef. ſine diminut. confer.* Idem Iuris eſt, ſi Actore non probante, adhuc ſponte ſua velit Reus ſuam exceptionem probare, quia non per hoc firmatur Actoris intentio: dummodo tamen exceptio talis non ſit, per quam expreſſe, vel tacitè debitorem ſe eſſe fateatur; quia in tali caſu, non probata exceptione, videtur firmata Actoris intentio per confeſſionem Rei, ex traditis à Cuiac. *oper. poſthum. to. 4. ad tit. C. de probat.* circa initium.

TIT. XI.

De Confeſſis.

1. QVod autem pertinet ad particulares probationum ſpecies, conſideranda primùm ea eſt, quæ fit per iudicialem Aduerſarij confeſſionem, cum ſit omnium efficaciſſima, de qua ſermo eſt in vtro-

que

que Iure ſub expreſſa rubr. *de confeſſis.*

2. Dicitur autem iudicialis confeſſio ea, quæ fit in iudicio, & coram Iudice competenti, ad differentiam confeſſionis extra iudicium factæ, quæ extraiudicialis appellatur. Vtraque fieri poteſt, vel tacitè, vel expreſsè. Tacitè fit, quando aliquid dicitur, aut agitur, aut omittitur, cui omiſſioni, aut actioni, aut dicto, vel ex natura rei, vel per iuris interpretationem eſt annexa confeſſio, vt puta in exemplo allato *tit. præced. n. 6.* ſi poſt præſtitum veritatis aut calumniæ iuramentum, Reus vel procurator ipſius poſitionibus ab Aduerſario ſibi factis interrogatus, iuſſuſque à Iudice reſpondere, abſque rationabili cauſa recuſet, aut nolit, ſeu contumaciter ſe abſentet, habetur pro confeſſo, quia ius talem contumaciam ita interpretatur, vt patet ex *c. fin. de confeſſ. in 6.* Expreſſa autem confeſſio eſt, quando fit verbis expreſſis, & apertè declarantibus confeſſionem.

3. Quoad efficaciam probationis multum diſcriminis eſt inter confeſſionem iudicialem, & extraiudicialem. Confeſſio enim iudicialis plenam fidem facit de eo quod quis confeſſus eſt, ſiue ſit confeſſio alicuius poſitionis, in quo caſu liberatur Actor ab omni onere probandi eandem poſitionem, vt ſupra dictum eſt; ſiue ſit confeſſio principalis in-

 ten-

tentionis Actoris, in quo caſu habetur Reus pro iudicato, iuxta *l. 1. C. de confeſ.* & ſua veluti ſententia condemnatus, *l. 1. ff. eod.* Si tamen facta fuerit cum circumſtantijs à iure requiſitis, quas explicat Gloſ. in *c. fin. de confeſ. v. confeſſus*: hoc eſt coram Iudice competenti, præſente Aduerſario, eiuſue Procuratore, ex *l. certum 6. §. ſi quis abſente ff. eod.* quę non proceſſerit ex ignorantia facti, ignorantia enim facti, non iuris excuſat, *c. ignorantia 13. de reg. iur. in 6. & l. non fatetur 2. ff. de confeſſis*: item quæ facta ſit ab eo, qui minoritatis annos exceſſerit, hoc eſt 25. impleuerit; ex cit. *l. certum §. in pupillo ff. de confeſ. & l. non omnia 44. ff. de minorib.* demum quæ ſit certa, hoc eſt non confiteatur tantummodo aliquid indeterminatum, & vagum, vnde Reus vrgeri ſolet, vt certum confiteatur, ex *ead. l. certum*.

4. Illud tamen hic aduerti debet, quæ dicta ſunt de efficacia confeſſionis judicialis ad faciendam plenam fidem, intelligenda eſſe relate ad ſolum confitentem: vnde ſi contingat fieri ab aliquo iudicialem confeſſionem de crimine, quod cum ſocijs perpetrauit, maniſeſtando etiam eoſdem ſocios; erit plene probatum contra confitentem, ſed non contra ſocios, qui propterea ex vi præciſa eiuſdem confeſſionis non ſunt

con-

condemnandi, vt habetur in *c. 1. de conf.* vbi inſuper additur, ſecundũ vtriuſque iuris ſtatuta de ſe confeſſos ſuper aliorum conſcientijs interrogari non debere, exceptis quibuſdam particularibus criminibus.

5. Quod autem attinet ad extraiudicialem confeſſionem, diſtinguendum eſt vtrum ea facta fuerit pręſente Aduerſario, & coram legitimis teſtibus, qui de ea teſtari poſſint; vel facta fuerit aduerſario abſente. Si primum, eademque confeſſio ab illis teſtibus in iudicio producatur, fit plena probatio, vt tradunt Doctores fuſe citati à Maranta *p. 6. ſpeculi de confeſs.* circa initium, vbi etiam plures ſuper hac re limitationes enumerat. Si autem facta fuerit abſente aduerſario, & per duos teſtes in iudicio producatur, facit tantùm præſumptionem, & ſemiplenam probationem, vt docet Bart. in *l. admonendi 31. ff. de iureiur.* citatus à Panor. in *c. fin. de ſucceſs. ab inteſt. n. 16.* quod intellige de confeſſione ſemel facta: nam bina confeſſio extra iudicium operatur effectum confeſſionis iudicialis, ex *l. cum ſcimus 21. C. de agricol. & cenſ. lib. 11.* vt ibi notat Bart. relatus à Panor. *in rep. ad c. per tuas 9. de arbitr. n 19.*

6. Ratio diſparitatis, quare plus credatur confeſſioni factæ coram Aduerſario,

rio, quam eodem abſente, eſſe poteſt: quia vbi quis aliquid contra ſe confitetur, præſertim vbi maius ſibi præiudicium timere poteſt, præſumitur id confiteri veritate compulſus, eademque præſumptio eſt iuris, & de iure, contra quam probatio non admittitur, niſi petita ex euidentiſſimis rationibus, vt paulò infra explicabitur vbi in ſpecie de præſumptionibus: confeſſio autem debiti contra ſe facta coram Aduerſario, eſt confeſſio, vbi confitens maius ſibi præiudicium timere poteſt, quam ſi facta ſit eodem abſente. In criminalibus tamen, in quibus clarior probatio requiritur vt dictum eſt in *tit. præced. n.* 5. confeſſio Rei extraiudicialis, ſiue facta ſit præſente parte, ſiue abſente, non ſatis eſt ad condemnationem. Videri poteſt Maran. in loco ſupra citato.

TIT. XII.

De teſtibus, & atteſtationibus.

1. ALtera probationis ſpecies eſt quæ fit per Teſtes, locumque habet in omnibus cauſarum generibus, ſiue Eccleſiaſticis, & ſpiritualibus, ſiue prophanis, ſiue ciuilibus, ſiue criminalibus, vt conſtat ex pluribus iuribus in Decretal. tit. *de teſtib. & atteſtat.* & ex

l. 1.

l. 1. *ff. de teſtib.* Dicuntur autem Teſtes, qui ad fidem alicuius rei ſua atteſtatione ſeu depoſitione faciendam adhibentur. Circa quos, pro pręſenti inſtituto, diſpiciendum nobis eſt, quęnam perſonę poſſint, aut non poſſint eſſe Teſtes in iucio: ac præterea quomodo ſit eorundem atteſtatio ſuſcipienda.

2. Quoad primum, communis regula eſt, vnumquemque admitti poſſe ad teſtimonium ferendum, qui expreſſa lege non prohibeatur, quæ regula deſumitur ex cit. *l.* 1. *ff. de teſtib.* Quis autem ſit à lege prohibitus, colligi poteſt ex ſeptem conditionibus in legitimo teſte requiſitis, quæ apud Gloſ. in *c.* 2. *eod. tit. v. viliſſimi*, his verſiculis continentur.

Conditio, ſexus, ætas, diſcretio, fama,
Et fortuna, fides, in teſtibus iſta requirer.

3. *Conditio*: quia ſolus homo liber ad teſtificandum admittitur in iudicio, vnde ſeruus repellitur, quia habetur pro nullo, ex *l. quod attinet.* 32. *ff. de reg. iur.* niſi tamen de facto proprio interrogandus ſit, & cum alia probatio ad eruendam veritatem non eſt, ex *l. ſerui reſponſo* 7. *ff. de teſtib.* quæ refertur à Grat. in *c. ſi teſtes* 4. § *item ſerui reſponſo* 4. *q.* 3. atque præſertim niſi quæſtio ſit de quibuſdam criminibus exceptis, puta Simoniæ, hęreſis &c. pro quibus teſtificandis

admittuntur plerumque etiam teſtes cæteroquin de iure inhabiles. Laicus etiam contra Clericum non admittitur vbi criminaliter agitur: vbi autem ciuiliter, admittitur dumtaxat ad accuſandum, vt ſuam vel ſuorum iniuriam proſequatur, non autem ad teſtimonium, *c. de cætero 14. de teſtib.* excepto caſu, in quo aliunde veritas cognoſci non poſſit, *c. quoniam 3. eod.* Clericus etiam contra laicum in ſæculari iudicio teſtis adhiberi non debet, niſi vbi teſtes laici non reperiantur; in quorum defectu, ne veritas occultetur, & malus vt bonus æſtimetur, in prouidentia proprii Epiſcopi eſſe debet, vt aut coram ſe, & competentibus iudicibus, aut aliter honorifice veritatem teſtificetur, iuxta textum in *c. fin. 14. q. 2.* Videri poteſt Panor. in *c. cum Nuncius 12. de teſtib. n. 3.* vbi inſuper tradit quod ſi Clericus aliquis ſpontè deponit ſine licentia ſui Prælati coram Iudice ſæculari, quamuis illicitè, valide tamen deponit. In cauſa autem criminali ſanguinis ſpeciali etiam ratione prohibitum eſt Clericis teſtimonium, quia alioquin irregularitatem incurrerent ſequuta morte malefactoris. Idem proportionaliter iuris eſt circa Religioſos.

4 *Sexus*: quia mulieris teſtimonium de iure Canonico nō admittitur in iudi-

cijs criminaliter criminalibus *c. mulierem* 17. 33. *q.* 5. iuncta ibid. gloſ. *v. nec teſtis & c forus* 10. *de verb. ſignif.* vbi ius ciuile correctum eſt, iuxta quod idem teſtimonium etiam in eiſdem iudicijs admittebatur, arg. *l. teſtium* 3. § *penult. ff. de teſtib.* vbi tantummodo excipiebatur mulier quæ palam quęſtum faciat feceritue, vnde à contrario ſenſu arguebatur, reliquas non repelli. In iudicijs tamen ciuilibus admittitur mulieris teſtimonium, excepto teſtamento, in quo mulier regulariter teſtis eſſe non poteſt, *Inſtit de teſtament.* §. *teſtes*, & exceptis cauſis feudalibus, *in lib feud. qui teſtes ſunt neceſ. ad nou. inueſtit. l. ſiue Clericus* circa finem, vbi videndi Doctores: niſi tamen fœmina eſſet illuſtris, & habens ſub ſe feudum, & vaſſallos, cuius teſtimonium etiam in cauſis feudalibus eſſet legitimum, vt tradit Maſcard. *de prob concl.* 764.

5. *Ætas*: quia impuberes, hoc eſt maſculi qui 14. annos non compleuerint & fœminæ quæ 12. neque in cauſis criminalibus, neque in cauſis ciuilibus admittuntur in teſtes, *l. Teſtium.* 3. § *lege iulia ff. de teſtib. & c. teſtes autem* 2. 4. *q.* 2. Si autem pubertatis annos exceſſerint, ſed nondum compleuerint 20. annos, admittuntur in ciuilibus, ſed excluduntur in criminalibus, *l. in teſtimonium* 20. *ff.*

de

de teſtib. exceptis quibuſdam delictis, puta læſæ maieſtatis &c. vt docet Gloſ. in *l. inuiti 19 ff. eod. v. ſed nec pupillis*, pro quibus delictis multæ etiam aliæ, quas adduximus aut adducemus, teſtium inhabilitates non attenduntur.

6. *Diſcretio*: quia prohibentur tam in ciuilibus, quam in criminalibus quotquot laborant defectu, vel infirmitate iudicij, quales ſunt furioſi, & mente capti non habentes lucida interualla, & ex eadem etiam ratione Pupilli.

7. *Fama*: quia repelluntur infames, *c. licet 47. de teſtib.* ſi præſertim tales ſint infamia iuris, qui tum pro criminalibus, tum pro ciuilibus cauſis ſunt inhabiles ad teſtimonium, exceptis quibuſdam caſibus grauioribus, puta hęreſis, aut ſimoniæ &c. *c. tanta 7. de ſimon.* Ex eadem quoque ratione prohibentur etiam excommunicati *c. veniens 38. eod.* in fine, & *c. decernimus 8. de ſent. excomm. in 6.* quia ſcilicet cenſentur infames.

8. *Fortuna*: quia pauper ita vilis, vt facile poſſit pecunia corrumpi, non admittitur ad atteſtandum *l. teſtium 3. ff. de teſtib.* Qua de cauſa, hoc eſt ne detur occaſio corrumpendi teſtes per pecuniam, prohibetur ſolui pretium pro ipſo actu teſtificandi, *c. 1. de teſtib.* itaut teſtimonium, quod ſoluto pretio fit reputetur inualidum, vt notat *Gloſ.*

in

in eod. c. 3. de teſtib. v. pretio.

9. *Fides* demum, ſeu *fidelitas*, quæ vndequaque præſumi debet in teſtibus, vt eorum atteſtatio ſit idonea, vnde ex eiuſdem præſumptionis defectu teſtimonium redditur illegitimum. Ex triplici autem capite poteſt nonnunquam ea præſumptio vacillare, aut etiam induci prȩſumptio contraria, adeoque ex hoc capite repelli aliquis ab atteſtando: videlicet, vel ex nimia coniunctione ſeu propenſione erga litigantem eiuſque cauſam; vel ex nimio contra eundem odio; vel ex eo quod quis aliàs contra fidelitatem peccauerit fueritque periurus.

10. Ratione nimiȩ coniunctionis ſeu propenſionis erga litigantem, repelluntur a teſtimonio domeſtici, qui videlicet ſunt ex eiuſdem familia *c. in litteris 24. de teſtib. & l. penul. ff. eod.* Item conſanguinei & affines, vt colligitur ex *c. Super eo 22. eod. & l. Parentes 5. C. eod.* iuncta ibid. Gloſ. *v. Parentes.* Niſi tamen cauſa aliqua agatur, quæ ſolum domeſticis, aut conſanguineis nota ſit, vt eſt exemplum in *c. Præſens 4. 20. q. 3.* ex qua ratione in cauſa conſanguinitatis audiuntur teſtes conſanguinei, quòd eam præſumuntur magis ſcire, *c. Quotiens 5. de teſtib.* imo & ipſa mater, cuius dicto ſtatur ante contractum Ma-

trimonium, quamuis ex eius ſolius dicto non diſſoluatur matrimonium iam contractum, ſed plurium teſtimonium requiratur, cit. *c. ſuper eo 22. eod.*

11. Ratione propenſionis ſeu affectionis erga cauſam teſtes eſſe non poſſunt Aduocatus, & Procurator in ea cauſa pro qua operam & patrocinium præſtiterunt, etiam in cauſa appellationis, *c. fin. de teſtib. in 6.* quod & in executoribus negotiorum obſeruandum eſt ex *l. fin. ff. eod.* Repelluntur quoque a ferendo teſtimonio in cauſa criminali ij qui conſimili crimine, de quo quæſtio eſt, maculati ſint, ex *c. veniens* 10. & *c. Perſonas* 20. *de teſtib.* quia ſcilicet poſſet eſſe periculum aut ſuſpicio colluſionis, aut affectus ad cauſam propriam tanto facilius defendendam. Excipitur tamen crimen læſę maieſtatis in *c.* 1: *de confeſſ.* & crimen ſimoniæ ſi de eo agatur ciuiliter, & emolumentum exinde non proueniat atteſtanti iuxta textum in *c.* 1. *de teſtib. in 6.*

12. Ratione odij erga alterutrum litigantem, repelluntur ab atteſtando eius inimici *l. Teſtium* 3. *ff. eod.* quia non præſumuntur ex fide, ſed potius ex maleuolentia dicturi.

13. Demum rationе infidelitatis alias commiſſæ repellitur periurus, qui falſum iuramento confirmauerit, idque tum

tum in cauſa ciuili, tum in cauſa criminali, quamuis ſit emendatus, & de periurio pœnitentiam egerit, *c. Paruuli* 14. 22. *q.* 5. & *c. Semel malus* 8. *de reg. iur. in* 6. Quod eſt ſpeciale in reatu periurij. Si quis enim alio criminis genere peccauerit, ſed poſtea de eo crimine ſit emendatus, omnique purgatus infamia, admittitur teſtis in cauſa ciuili, & etiam in criminali quæ ciuiliter agatur, vt expreſſe habetur in *c. Teſtimonium* 54. *de teſtib.* vbi latius videndi Doctores caſus aliquos ſpeciales ab hac regula excipientes. Ex proportionali quoque ratione reijciuntur hæretici, Iudæi, & Pagani a ferendo teſtimonio contra Catholicum & Chriſtianum, *c. Non poteſt* 24. *cum duob. ſeqq.* 2. *q.* 7. quia videlicet, vt ibidem dicitur, non poteſt erga homines eſſe fidelis, qui Deo extiterit infidelis. Teſtimonium tamen Chriſtiani contra Iudæum non repellitur, *c. Iudæi* 21. *de teſtib.* quia non eſt in eo infidelitatis præſumptio.

14. Quod autem attinet ad modum recipiendi teſtes legitimos, eorumque atteſtationes, quod ab initio huius tituli propoſuimus ſecundo loco examinandum; vterlibet litigans intra ſtatutum a Iudice temporis terminum, ſi quid per teſtes probandum ſit, debet teſtes in iudicium adducere, prius tamen citato

&

& euocato aduerſario, qui ipſos videat iurantes, & audiat, ex *c.2.eod.* & ſi quid habet quod contra ipſos excipiat, id ante eorum examen & atteſtationum publicationem obijciat. Productis autem teſtibus, & aduerſario comparente, exhiberi debent tum Iudici tum etiam Aduerſario articuli, ſuper quibus producti ſunt ipſi, teſtiumque nomina ſignificari.

15. Eo actu expedito, vel Aduerſarius aliquam exceptionem obijcit contra teſtes propter quam eos a teſtimonio repellit; vel nullam. Si primum: Iudicis erit attenta rei qualitate prudenter decernere vtrum ſuſpenſo examine teſtium contra quos exceptum eſt, adducendæ ſint probationes exceptionum, an potius procedendum ſit ad Teſtium examen, dilata probatione exceptionum, quæ ſi penitus a Iudice non admittatur, dat excipienti ius legitimum appellandi, *c. ex parte 7. de teſtib.* Si autem nihil excipit, abſolute proceditur ad examen, pro quo poteſt Aduerſarius exhibere Iudici interrogatoria ſua ſuper articulis ſibi ante exhibitis, vt etiam per eadẽ interrogatoria ſuper eiſdem articulis Iudex teſtes interroget, *c. pręſentium 2. §. teſtes etiam eod. in 6.* vt ſi forte contingat teſtes a producente fuiſſe ſubornatos, per interrogatoria ab aduer-

aduerſario propoſita facilius deprehendatur, & propterea productori teſtium non debent eadem Aduerſarij interrogatoria manifeſtari, vt docet *gloſ. in cit. c. Præſentium v. interrogatoria.*

16. Teſtes igitur in iudicium admiſſos & receptos, præmiſſo coram aduerſario iuramento veritatis, quo iurare debent ſe non priuato odio, neque amicitia, neque pro aliquo commodo ad hoc iurandum inductos, reique veritatem prout ſecundum conſcientiam nouerint teſtaturos, quia nullius teſtimonio quantumcumque religioſus exiſtat (niſi iuratus depoſuerit) in alterius præiudicium debet credi *c. Nuper* 51. *de teſtib.* Teſtes (inquam) ita admiſſos, & iuratos Iudex ſeparatim ſingulos & ſecreto examinare debet tam ſuper articulis a producente propoſitis, quam ſuper interrogatorijs exhibitis ab Aduerſario, inueſtigando diligenter circumſtantias omnes, quas cognoſcendæ veritati vtiles iudicauerit, vt decernitur in *c. Cum cauſam* 37. *eod. & in l. Teſtium* 3. *ff. eod.* ſubtiliter etiam animaduertendo quo vultu, quaue animi conſtantia aut trepidatione deponãt, ex quibus ſæpe rei veritas proditur.

17. Illud tamen principaliter curare debet Iudex, vt teſtes dicti ſui rationem proferant, quia ex qualitate rationis pendet robur, & efficacia teſtimonij

itaut

ſtaut ſi vel nulla vel improbabilis reddatur ratio, teſtimonio non credatur, præſertim in cauſis criminalibus, vt ſumitur ex *c. Preterea 27. eod.* & *l. ſolam 3. C. eod.* Hinc ſi quæſtio in iudicium adducta talis ſit, quæ per aliquem ex quinque ſenſibus corporeis de natura ſua percipi poſſit, puta viſu vel auditu debet regulariter teſtis, vt conuincenter deponat, teſtificari de viſu, de auditu proprio, & ſi ſolum deponat de auditu alieno, regulariter non admittitur, *c. Licet 47. eod.* vbi etiam aliqui particulares caſus ab hac regula excipiuntur. Vniuerſaliter autem Iudicis erit, prudenter ſecum perpendere qualitatem rationum in atteſtationibus a teſte prolatarum, vtrum plus, vel minus roboris habeant, quia quæ argumenta ad probandam quamcumque rem ſufficiant nullo certo modo ſatis definiri poteſt, vt fuſe exponitur in *l. Teſtium 3. ff. eod.*

18 Examinatis teſtibus ab Actore productis, debet admitti Reus ad probationem eorum, quæ contra teſtes Actoris excipit, niſi tamen ſuper his fuerit ante auditus. Quod ſi idem Reus eiuſmodi exceptiones probaturus teſtes ſuos & ipſe producat, poterit Actor teſtes illos repellere, eorumque teſtimoniũ etiã alijs ſuperinductis teſtibus reprobare. Vlterius teſtium productio non admit-

mittitur, ne lites nimium protrahantur: & ad ſummum concedi poteſt quarta productio dummodo interueniat legalis ſolemnitas, hoc eſt vt poſtulans præſtet iuramentum, quod neque per ſe, neque per alium teſtificata ſubtraxerit, vel fuerit percunctatus, nec per dolum aut artem aliquam quartam productionem expoſcat; ſed quia quos deſiderat de nouo producere, prius habere nequiuit, iuxta textum expreſſum in *c. penult. de teſtib.* & hoc eſt quod dicitur in rubr. *c. Licet dilectus* 49. *eod.* teſtes probatorios & reprobatorios probatoriorum reprobare licere, ſed reprobatorios reprobatoriorum non licere.

19 Ad rem plene probandam requiruntur ad minimum atteſtationes duorum omni exceptione maiorum, *c. Licet* 23. *eod.* quæ & regulariter ſufficiunt, exceptis quibuſdam particularibus caſibus, in quibus plures duobus exiguntur. Vnius autem atteſtatio facit tantum ſemiplenam probationem, niſi hic ſit publicus officialis ad aliquem actum conſtitutus, & de eo actu a ſe facto teſtetur; aut niſi agatur de euitando peccato, ex qua ratione decernitur in *c. ſuper eo. eod.* vt in quæſtione vtrum aliqua mulier ſit deſponſanda viro, etiaſi ſola mater alterutrius deponat eos eſſe conſanguineos tale teſtimonium

ſa-

ſatis ſit in ordine ad ſponſalia non contrahenda, quamuis ſi Matrimonium eſt firmatum, non debeat ſine plurium iuramento diſſolui ſeu irritum declarari.

20. Sed neque ſatis eſt teſtes eſſe plures, niſi fuerint etiam conteſtes; hoc eſt de vno eodemque indiuidualiter facto vniformiter atteſtantes. Teſtes igitur ſingulares quales dicuntur qui ſinguli de diſtinctis aut diuerſis actibus teſtantur, aut qui ſuper eodem actu non concordant, plenam fidem non faciunt *c. Bonæ* 23. *de elect.* alijſque iuribus. Quod ſi ſinguli teſtes deponant de aliquo particulari actu iterabili & ſub eodem genere contento, controuertitur inter Doctores vtrum in tali caſu cenſeatur plene probatum idem genus, quamuis plene probatus non ſit vllus actus in indiuiduo, vtpote a ſingulari teſte depoſitus. Gloſ. in *l. Ob carmen* 21. *ff. de teſtib. v. impari numero*, quam refert Panor. *Conſilior. lib.* 2. *conſil.* 181. *n.* 2. docet, teſtes ſingulariter deponentes de actibus particularibus, ſufficienter probare cum agitur de probando vniuerſali, vt puta ſi probanda ſit poſſeſſio diuturna, non obſtat ſi vnus teſtis dicat ſe uidiſſe poſſeſſionem vno tempore, alius autem dicat ſe poſſeſſionem vidiſſe alio tempore, quia in ea quæſtione hoc ſolum generaliter quæritur an quis

poſſe-

poſſederit, in quo genere omnes teſtes concordant, non autem an illa vel illa die poſſederit, in qua ſpecie teſtes illi ſunt ſingulares.

21. Si plures teſtes idonei ſint de vno eodemque facto conteſtes, & vnus his contradicat, hic non euertit plenam illorum probationem; poteſt tamen nonunquam minuere ſi multum illis dignitate præemineat: in teſtibus enim non ſolum numerus, ſed etiam qualitas attendenda eſt ex *c. in noſtra* 32. *de teſtib.* vbi propterea decernitur vt ſi teſtes ab vtroque litigante producti deponant contraria, & pro parte vnius ſint pauciores ſed multo maioris authoritatis, plene probatum cenſeri debeat pro eo, pro quo teſtes illi pauciores deponunt quamuis cæteroquin vbi non ſit ille exceſſus præeminentiæ, obtineat in probatione qui plures pro ſe teſtes idoneos numerauerit.

22. Vniuerſaliter tamen ſpectat ad Iudicem teſtes ita diſſidentes, quantum poteſt, conciliare: & quia delictum & periurium in teſtibus non eſt facile præſumendum, *c. Eſtote* 2. *de reg. iur. & c. vnico de ſcrutin. in ord. faciendo*; ideo vbi contrarietas manifeſta non eſt, eorum dicta benigne interpretabitur, vt de diuerſis actibus videantur fuiſſe teſtati, ſi eorum depoſitio fuerit circa actus

reite-

ſuper alijs, *c.Cum veniſſet*.25. *eod.*quemadmodum neque poteſt quidquam opponi contra perſonas teſtium, exceptis tribus caſibus expreſſis in *c. Præſentium* 31. *eod.* videlicet ſi Reus iurauerit ſe ad hoc ex malitia non procedere, vel niſi forte ante publicationem id fuerit proteſtatus, vel ſi oſtendere poſſit ſe poſt publicationem didiciſſe quod obijcit in perſonas.

25. Depoſitiones teſtium in vno iudicio plenario receptæ etiam in alio fidem faciunt pro eadem cauſa & inter eaſdem perſonas, *c. Cauſam* 11. *eod.* Dixi *in iudicio plenario*: quia receptæ in iudicio ſummario fidem non faciunt pro plenario, ſed debent iterum illi vel alij teſtes examinari, ex *c. veniens* 38. *eod.* Quemadmodum neqne receptæ coram Arbitro, ſi teſtes illi adhuc viuant, & alteruter litigans nolit ſtare illis atteſtationibus pro plenario iudicio. Si autem ipſi teſtes coram Arbitro recepti mortui ſunt; tunc eorum atteſtationes fidem faciunt etiam in iudicio plenario, *ex c. Præſentata* 50.*eod.* iuncta ibid.gloſ. *v. acta*. Ratio quare iura decreuerint plus deferendum atteſtationibus teſtium mortuorum coram Arbitro receptis, quàm adhuc viuentium, eſſe poteſt: quia ſi mortuorum etiam teſtium depoſitiones non probarent, periret ſæpius probandi

facultas in alterius detrimentum, ex qua ratione diximus in hoc *lib.* 3. *tit.* 9. *n.* 7. poſſe teſtes examinari etiam lite non conteſtata, quando de eorum morte, vel abſentia diuturna probabiliter timeri poteſt, ex *c. fin. Vt lite non conteſt. &c.*

TIT. XIII.

De fide Inſtrumentorum, de Præſumptionibus, & de Iureiurando.

1. ALia probationis ſpecies eſt, quæ fit per inſtrumenta, ſumendo tale nomen non in ampla ſignificatione, ſub qua complectitur omne id, per quod cauſa inſtrui poteſt & fides Iudici fieri, vt ſumitur in *l.* 1. *ff. de fide inſtrumentor.* ſed in ſignificatione reſtricta, ſub qua ſignificatur ſcriptura faciens ad fidem, & probationem rei, quam continet.

2. Inſtrumentum tali modo ſumptum diuiditur in publicum, & priuatum. Inſtrumentum publicum dicitur ſcriptura, quæ confecta ſit manu perſonæ publicæ, puta Tabellionis aut Notarij ad id muneris authoritate legitima deputati, ſeruata forma legitima, nempe vt facta ſit a Notario ad id a partibus rogato, aut ex mandato Iudicis, cum expreſſione

ne anni, indictionis, menſis, diei, loci vbi ſit actus, nominis teſtium, & cum ſubſcriptione eorundem teſtium atque Notarij ſeu Tabellionis, vt ſumitur ex pluribus iuribus ſub titulo *de fide inſtrumentor.*

3. Subdiuiditur inſtrumentum publicum in protocollum, & tranſumptum. Protocollum dicitur ſcriptura illa Notarij, in qua breuiter annotatur memoriæ cauſa actus geſti ſubſtantia, vt deinde in legitimam formam cum debitis ſolemnitatibus extendatur. Tranſumptum vocatur ipſum inſtrumentum authēticum a Notario ex protocollo deſumptum continens plenam rei expoſitionem, & cum legitima forma extenſum. Quæ autem ex his originalibus inſtrumentis deſcribūtur, vocari ſolent exempla ſeu copiæ inſtrumentorum.

4. Inſtrumentum priuatum dicitur ſcriptura priuatæ perſonæ ſeu ad publicum munus conficendi inſtrumenta non deſtinatæ. Huius generis eſſe cenſetur *Apocha*, hoc eſt ſcriptura quam creditor debitori dat, & in qua idem creditor fatetur ſe recepiſſe a debitore pecuniam ſibi ab eo debitam: *Antapocha*, ideſt ſcriptura quam debitor dat creditori, & in ea profitetur ſe creditori ſoluiſſe quod debebat: *Syngrapha*, hoc eſt ſcriptura propria manu conſcripta

ab ijs qui paciſcuntur, in alicuius rei fidem, & quam ſibi inuicem tradunt: *Libellus rationum*, ſeu rationes priuatæ, quas quis ſponte pro re ſua ſcribit: *Epiſtola* demum, quam quis ad aliquem mittit. Talium ſcripturarum pluries iura meminerunt, vt videre eſt in *l. Plures 18. C. de fide inſtrum. l. Rationes 6. C. de probat. &c.* & aliquando etiam illas appellant inſtrumenta domeſtica, vt patet ex *l. Inſtrumenta 5. C. eod.*

5. Effectus inſtrumenti eſt fidem facere de eo quod continet maiorem aut minorem iuxta diuerſas inſtrumentorum ſpecies. Inſtrumentum enim publicum de eo quod diſpoſitiue continet plenam fidem facit, ſiue ſit protocollum, ſiue tranſumptum, ſiue etiam exemplum ex originali extractum per publicam perſonam authoritate Iudicis, vnde etiam dicitur authenticum. Id tamen intelligendum eſt, donec contrarium non probetur ſiue per teſtes, ſiue per alia inſtrumenta contraria, vt ſumitur ex *cap. Cum Ioannes 10. de fide inſtrumentor.*, & niſi ipſum inſtrumentum ſit in aliqua ſui parte ſubſtantiali ſeu ſuſpecta vitiatum, vnde dubitari merito poſſit de falſitate, vt eſt caſus expreſſus & declaratus in *c. Inter dilectos 6. eod.*

6. E conuerſo ſcriptura priuata id indifferenter non obtinet, ſed aliquan-

do

do contingit authenticam eſſe & plenam fidem facere, aliquando non. Authentica eſſe cenſetur, quando a partibus & a teſtibus eſt ſubſcripta, de quo Panor. in *c.* 2. *eod.* Item authentica eſt ſcriptura perfecta per aliquem Officialem ſuper pertinentibus ad officium ſuum. Item ſcriptura quæ reponitur in Archiuio publico, aut cui appoſitum ſit aliquod ſigillum publicum & authenticum, puta Epiſcopi, Principis, Vniuerſitatis &c. vt ſumitur *ex c.* 2. *eod.*, & ex alijs ibid. adductis a Panor. At ſcriptura priuata, cui talia adminicula deſint, authentica non eſt, præterquam contra ſcribentem, ſi is qui ſcripſit fateatur ſe ſcripſiſſe, & in eadem ſcriptura exprimatur non ſolum debitum in genere, ſed etiam cauſa debiti, puta quod debitor ſit ex mutuo, ex emptione &c. *c. Si cautio* 14. *eod.* quia nemo præſumitur contra ſe temere confiteri.

7. Inſtrumenta ab vtroque litigante produci regulariter poſſunt poſt litem conteſtatam vſque ad concluſionem in cauſa, *c. Cum dilectus* 9. *eod* Imo & aliquando etiam poſt concluſionem, vt ſi producantur ad innocentiam Rei in criminalibus defendendam, aut in iudicio appellationis, alijſue caſibus, quos enumerat Panor. in *eod. c. Cum dilectus n.* 3.

 8. Pro-

8. Produci autem debent originalia, ſeu legitime ex authoritate Iudicis exẽplata, quia talia ſunt authentica quibus creditur, *ex c. 1. eod.* Quamuis tamen neceſſe ſit totum inſtrumentum Iudici oſtendere, *ex c. Cum perſonæ 7. de priuil. in 6.*, opus non eſt aduerſario totum manifeſtare, ſed tantummodo eam inſtrumenti partem vbi quæſtio de qua agitur continetur, *c. contingit 5. de fide inſtrum.* ne ſcilicet oſtenſione totius plurima diuerſa litigia ſuſcitentur.

9. Si quis pro ſe producat inſtrumenta inter ſe contraria, nihil probat, *c. Imputari 13. eod.* Si autem inſtrumenta contraria a diuerſis partibus producantur; tunc vel ſcripturæ illæ ſunt inęqualis authoritatis, vel æqualis. Si inęqualis, creditur ſcripturæ digniori, puta publicæ, & authẽticę prę non authentica. Si omnino æqualis, cadit Actor, quia Actore non probante Reus abſoluitur. Curandum tamen erit a Iudice, vt quantum fieri poteſt per commodam explicationem omnis contrarietas auferatur, vt *in tit. præced. n. 22.* dictum fuit de teſtibus.

10. Alia probationum ſpecies eſt, quæ naſcitur ex præſumptionibus. Eſt autem præſumptio coniectura rationabilis ex aliquo ſigno proueniens ad adſtruendam rei dubiæ fidem, quam pro veritate facit haberi, donec contrarium

non

non probetur. Dicitur *coniectura rationabilis*, vnde excluditur a præſumptionis conceptu ſuſpicio vel iudicium temerarium nullis vel inſufficientibus indicijs fundatum, quod propterea nihil probat, & a iure reſpuitur, ex *c. Inquiſitioni* 44. *de ſent. excom. Et c. Oues* 9. 6. *q.* 1. Dicitur *rei dubiæ*, quia præſumptio ſemper verſatur circa rem incertam, in eoque differt a fictione iuris, quæ eſt certæ falſitatis pro veritate aſſumptio inducta per legem ex cauſa aliqua iuſta, vt cum ius fingit Religioſum eſſe mortuum quamuis viuat, aut hæredem immediatum eſſe eandem perſonam cum defuncto cuius eſt hęres, & ſic de pluribus alijs.

11. Cum autem indicia, ex quibus naſcitur præſumptio, varia ſint, & inęquali probabilitate coniecturam faciant rei; ideo multiplex aſſignari ſolet præſumptionum ſpecies. Alia enim eſt pręſumptio vehemens ſeu violenta; alia non vehemens ſed tantum probabilis. Prior eſt quæ talibus indicijs nititur, vt dubio moraliter non relinquat locum, cuius exemplum eſt in *c.* 2. *de pręſumpt.* petitum ex celebri iudicio Salomonis inter duas mulieres. Præſumptio non vehemens ſed tantum probabilis eſt, quæ non ita vrgentibus indicijs nititur, talibus tamen, vt probabiliter arguant

rem præſumptam, eademque poteſt eſſe maior aut minor, prout magis vel minus probabiliter indicia faciunt coniecturam.

12. Alia quoque præſumptionis diuiſio eſt in præſumptionem hominis, & præſumptionem iuris. Præſumptio hominis eſt quæ formatur in mente hominis ex aliquibus indicijs & argumentis, & non eſt expreſſa in iure. Quæ autem eſt expreſſa in iure, ea dicitur præſumptio iuris, qualis eſt v. g. ea qua præſumitur contra illum, qui dilationibus iudicium ſubterfugit, quia eſt expreſſa in *c. Nullus* 4. *eod.*

13. Subdiuiditur præſumptio iuris in eam quæ eſt iuris tantùm, & in eam quæ eſt iuris & de iure. Præſumptio iuris tantùm eſt quæ eſt expreſſa in iure, ſed nihil ſuper illa ſtatutum eſt quod pro iure habeatur. Præſumptio iuris, & de iure eſt, quando non ſolum continetur in iure, ſed ſuper ipſa ius aliquod firmum ſtatutum eſt, qualis eſt v. g. præſumptio melioris cauſæ reſultans pro victore ex ſententia definitiua lata, contra quam ſententiam intra tempus legitimum non appellauerit is qui cauſa cecidit, vi cuius præſumptionis ſtatutum eſt vt victus cogatur ſatisfacere ſententiæ, vt patet ex *c. Cum inter* 13. *de ſent. & re iudic.* in fine.

14. In-

14. Inter alios præſumptionis effectus pro re præſenti eſt fidem facere in iudicio, & ſubſtitui loco probationis, ſeruato tamen diſcrimine inter prędictas præſumptionum ſpecies: quia præſumptio tantum probabilis aliqualiter ſed non plene probat, niſi tamen fama publica aut alijs adminiculis adiuuetur, in quo caſu poteſt nonnumquam plenam fidem facere, *ex c. Tertio loco.* 13. *de præſumpt.* At præſumptio vehemens & violéta, aut præſumptio iuris, & de iure vniuerſaliter plenã fidem facit, eique ſtatur donec contrarium non probetur, *c. Cum dilecti* 6. *de donationib.*, exceptis tamen cauſis criminalibus grauibus, in quibus propter præſumptionem etiam vehementem non debet quis condemnari, *ex c. Litteras* 14. *de pręſumpt.*

15. Quod autem dictum eſt *donec contrarium non probetur* generaliter obtinet in præſumptione vehementi, & in præſumptione iuris tantum, quæ probationem in contrarium non excludit, quæ tamen apertiſſima ſit neceſſe eſt, *ex l. Non eſt veriſimile* 23. *ff. quod metus cauſa & l. Cum de indebito* 25. *ff. de probat & c. Quia veriſimile* 10. *de præſumpt.* At præſumptio iuris & de iure regulariter probationem in contrarium non admittit, *c. Is qui fidem* 30. *de Sponſal.* Dixi *regulariter*: quia ſunt aliquæ probatio-

nes ita liquidæ, vt admitti quoque poſſint contra præſumptionem iuris & de iure, eandemque diluere. Talis eſſe cenſetur confeſſio contraria ab eo facta, in cuius fauorem ſtat preſumptio, dummodo ſit confeſſio de his quæ pendent a voluntate confitentis, & directe in eius fauorem ſit a iure inducta pręſumptio, vt puta quamuis ſententia & res iudicata pariat prę ſumptionem iuris, & de iure in fauorem eius pro quo iudicatum eſt, attamen diluitur eiuſmodi præſumptio, ſi idem confiteatur ſententiam Iudicis per errorem aut ſubreptionem emanaſſe. Videri poteſt Panor. alijque Doctores in cit. *c. Is qui fidem.*

16. In concurſu plurium pręſumptionum ea pręualet quę potentior eſt: quęnam autem talis ſit prudenti Iudicis arbitrio iudicandum eſt. Cęteris paribus ea potentior eſſe cenſetur quę facit valere actum: quę benignior: quæ fauorabilior Reo: qua peccatum euitatur: quę fundatur in iure magis ſpeciali, & ſic de pluribus alijs circumſtantijs, quę videri poſſunt apud Doctores in tit. *de præſumptionibus*.

17. Quęſtionis eſt vtrum pręſumptio, vt proſit ei pro quo ſtat, ab eodem in iudicio debeat allegari, quam late tractat Menoch. *de præſumpt lib.* 1. *qu.* 48. Qua in re diſtinguendum videtur

cum

cum eodem inter prędictas pręſumptionum ſpecies. Pręſumptio enim hominis allegari debet, quia cum non ſit expreſſa in iure, non pręſumitur nota Iudici. Pręſumptio etiam Iuris, ſi ſit iuris tantùm, & fundata in facto proprio ipſius pro quo ſtat pręſumptio, aut circa factum eius proprium verſans allegari debet, ſaltem per allegationem eius facti ex quo reſultat pręſumptio, vt puta cum ex poſſeſſione de pręterito reſultet pręſumptio poſſeſſionis de pręſenti, debet ſaltem allegari pręterita poſſeſſio: id enim, quod ex ea ſequitur, videlicet pręſumptionem poſſeſſionis præſentis, Iudex ſcire pręſumitur, & ſupplere tenetur cum ſit ſtatuta per legem, quia ea quę ſunt iuris pręſumitur Iudex ſcire, & tenetur ſupplere, ex *l. vn. C. Vt quæ deſunt aduocat. part. Iudex ſuppl.* At pręſumptio iuris & de iure nullatenus eſt de neceſſitate allegenda, quia lex illam habet pro veritate, quam Iudex neceſſario ſequi debet. Videri poteſt idem Menoch. in loco cit.

18. Tempus allegandę pręſumptionis, ſi quando aliqua alleganda ſit, non eſt in iure ſtatutum, vnde indifferenter in toto progreſſu iudicij allegari poteſt.

19. Alia demum probationis ſpecies eſt, quæ naſcitur ex iuramento de veritate, quod nonnumquam adhibetur

in cauſis ciuilibus, quando teſtibus aut inſtrumentis aut præſumptionibus eſt aliquatenus ſed non plenè cauſa probata, vt conſtat ex *c. Ex litteris* 32. & *c fin. de iureiur.* Eſt autem pro re præſenti iuramentum duplex, aliud neceſſarium, aliud voluntarium. Iuramentum neceſſarium eſt quod à Iudice defertur litiganti ad ſupplendas probationes, ita dictum, tum quia per Iudicem neceſſario deferri debet, tùm etiam quia à Iudice delatum non poteſt à partibus recuſari, niſi iuſtis de cauſis, quæ quales ſint videri poſſunt apud Panor. in cit. *c. fin. de iureiur. n.* 5. Iuramentum voluntarium dicitur quod in iudicio vnus litigantium alteri defert, ita vocatum, tum quia qui illud defert, nonniſi volens, & libere defert; tum etiam quia ille cui defertur, poteſt illud recuſare, itaut nec iurare velit, nec iuramentum referre in Aduerſarium deferentem: niſi tamen iuramentum à parte delatum ſit approbante Iudice: in quo caſu, ſi nulla iuſta cauſa excuſet, alter cui defertur, vel iurare debet, vel ſaltem iuramentum referre in aduerſarium, conueniendo vt ipſe iuret, & eius iuramento ſtandum ſit, vt tradit Panor. in cit. *c. fin. n.* 4. & propterea tale iuramentum vocari quandoque ſolet deciſorium; eo quod habeat quandam vim tranſactionis iuxta

Panor.

Panor. ibid. *n. 7.* vbi etiam *n. 8.* ponit quaſdam huius rei limitationes.

TIT. XIV.

De ſententia, & re iudicata.

1. Expeditis in iudicio probationibus deueniendum eſt ad ſententiam, nempe ad pronunciationem, ſeu definitionem Iudicis, quæ iudiciali controuerſię finem imponit, eandemque denominat rem iudicatam, quamuis & ipſa ſententia appellari quoque ſoleat res iudicata; poſtquam intra legitimum tempus non fuerit ab ea appellatum, quia ſic cenſetur approbata, & quodammodo iudicata ab ipſis partibus, & in hoc ſenſu frequenter dicitur ſententia tranſire in rem iudicatam.

2. Triplex eſt ſententiarum ſpecies: alia enim eſt interlocutoria, alia definitiua, alia quæ quamuis definitiua non ſit, habet tamen aliquam vim definitiuæ. Interlocutoria eſt quæ inter principium, & finem cauſæ principalis ſuper aliquo incidenti pronunciatur. Definitiua dicitur quæ principalem quæſtionem definit, ex *Gloſ. in Clem. vn. de ſequeſtrat. poſſeſſ. v. diffini iua.* Ea demum, quæ definitiua non eſt, ſed habet vim definitiuæ, vocatur quæ cauſam principalem non definit, ſed illam reijcit, vt puta cum Iudex pronunciat ſe non eſſe Iudicem in ea cauſa competentem, vt eſt

exem-

exemplum in *c. ſignificantibus* 38. *de off. deleg.* Dicitur autem habens vim definitiuæ, quia Iudex illam reuocare non poteſt, ſicut reuocare non poteſt definitiuam: ea enim lata functus eſt officio ſuo, vt ſumitur ex eod *c. ſignificantibus*, & ex *l. Iudex.* 55. *ff. de re iudic.* at mere interlocutoriam reuocare poteſt, ex *c. cum ceſſante* 60. *de appellation.* vbi videndi Doctores quoad aliquos caſus exceptos, & inter reliquos Panor. ibid. *n.* 11. *& ſeqq.*

3. Cum autem ſententia definitiua ferri non debeat, niſi omnibus auditis, quę partes vtrinque proponere velint, *c. iudicantem* 11. 30. *q.* 5. ideo antequam pronuncietur, interrogandę ſunt partes, vtrum aliquid aliud allegare velint. Si affirment, certus illis terminus temporis ſtatuendus eſt, intra quod illud producant, iuxta *auth. iubemus C. de Iudicijs.* Si negent, iubendi ſunt vlteriori probationi renunciare, eademque renunciatio eſt in actis inſerenda, ex *c. quoniam* 11. *de probat.*

4. His expeditis, citandæ ſunt partes vt certo die adſint ad ius audiendum vt colligitur ex *c.* 2. *de dolo in* 6 Sententia enim lata contra abſentem non citatum, & non contumacem eſt nulla, ex *l. ea quæ* 7. *C. quomodo, & quando Iudex*, niſi agatur de facto notorio, in quo certum ſit abſenti nullam defenſionem

com-

competere, vt limitat Panor. in *c. cum ſit Romana* 5. *de appellat. n.* 7. Partibus præſentibus, aut etiam abſentibus, ſed citatis, Iudex Chriſti nomine inuocato, ſolumque Deum atque iuſtitiam præ oculis habens, ſedens pro tribunali, & de ſcripto, vt præcipitur in *c. fin. de ſent. & re iud. in 6.* recitare debet ſententiam, & iudiciali controuerſię finem imponere.

5. Illud autem præ reliquis attendendum eſt Iudici, vt ſententiam ferat ſecundum allegata, & probata, ex *l. illicitas* 6. *§. veritas ff. de off. Præſidis.* Item ſecundum legum ſtatuta: ſententia enim lata contra expreſſum ſtatutum legis eſt ipſo iure nulla, quamuis ſi ſit contra ſolum ius litigatoris, valida ſit quamdiu per appellationem interpoſitam non infirmetur, vt conſtat ex *c.* 1. *& c. cum inter* 13 *de ſent. & re iudic.* Item ferri debet conformiter ad petionem libelli, & ad genus actionis in ipſo propoſitum, ex *l. vt fundus* 18. *ff. communi diuidun.* Item de die, quia noctu lata regulariter non eſt valida, ex *c. conſuluit* 24 *de off. deleg.* imo & ea die, & hora pro qua citatio facta eſt, quæ ſit dies non feriata, ſed iuridica, iuxta *c. fin. de ferijs.*

6. Quod ſi contingat Iudicem aliquem Eccleſiaſticum, ſiue Ordinarium, ſiue delegatum contra leges, & conſcien-

ſcientiam corruptum iudicare in grauamen alterius, variè punitur per Sacros Canones: ſuſpenditur enim per annum ab executione officij, & condemnandus eſt ad æſtimationem litis parti quam læſerit: & ſi ſuſpenſione durante damnabiliter ſe Diuinis ingeſſerit, irregularitatem etiam incurrit, à qua nonniſi per Summum Pontificem poterit liberari, ſaluis alijs conſtitutionibus, quæ Iudicibus male iudicantibus pœnas ingerunt & infligunt. Ita expreſſe in *c.1. de ſent. & re iudic. in 6.*

7. Effectus ſententiæ prolatæ plures ſunt. Inter reliquos eſt, quod qui cauſa cecidit damnari debeat in expenſas victori ſoluendas, quas idem victor neceſſario fecerit cauſa litis, *c. calumniam 4. de pœnis, & l properandum 10. §. ſiue autem C. de iudicijs*: idque ſiue in ipſa prolatione ſententiæ, ſiue ſaltem intra eandem diem in qua ſententia lata eſt, intra quam diem ſuppleri poſſunt ea, quæ a Iudice omiſſa ſunt in ſententia definitiua, ſi eidem ſententiæ ſint acceſſoria, iuxta *l Paulus 42. ff. de re iudic.* Excepto tamen caſu in quo ſententia pro abſente feratur, aut in quo condemnatus habuerit cauſam probabilem litigandi, quia in ijs non procedit iſta damnatio in expenſas, ex cit *c. calumniam, & c. ſuero 48. verſ. cunque aduerſu. de ſent. excom.*

Item

8. Item alius prolatæ ſententię effectus eſt, vt Iudex quoad eam cauſam deſinat eſſe Iudex, *l.Iudex 55. ff de re iudic.* vnde ſententiam ſemel latam corrigere, mutare, aut emendare non poteſt: ſemel *enim*, male, ſeu bene, officio functus eſt, vt etiam ſumitur ex *l.quod iuſſit 14.ff.eod* Niſi tamen ſententiam tulerit ipſo iure nullam, in quo caſu Iudex ordinarius poteſt iterum iudicare ſecùs autem Iudex delegatus, vt tradit Gloſ.in cit *l.Iudex v.nonpoſſit*, vbi etiam, alias limitationes adducit.

9. Alius etiam effectus eſt, vt faciat ius inter partes, ſi intra tempus legitimum, hoc eſt intra 10. dies, non fuerit ab ea appellatum, in quo caſu dicitur illa tranſire in rem iudicatam, ex *c. quod ad conſultationem 15 de ſent. & re iudic.* fundatque præſumptionem iuris, & de iure in fauorem victoris, etiamſi cæteroquin lata fuerit contra ius alterius litigatoris qui cauſa cecidit, vt habetur expreſſe in *c.cum inter 3. eod.* Inde eſt quod victori competit actio ciuilis rei iudicatæ, per quam agere poteſt, vt præſtet Reus id, in quo condemnatus eſt, ſatisfaciatque ſententię, vt ſvmitur ex *l. Actori 8.C.de reb.creditis*, quæ actio tranſit etiam ad hęredes *ex l miles 6. ff de re iudic.§.fin.* & ſolutum authoritate rei iudicatę repeti non poteſt tamquam indebi-

bi-

bitum, ex *l.* 1. *C. de condictione indebiti* iuncta ibid. gloſ. *v. iudicati.*

10. Dixi ſententiam ius facere *inter partes* quia alijs regulariter non præiudicat, vtputa ſi ſententia lata ſit contra vnum hæredem, non præiudicat alteri cohęredi qui in iudicio non fuit, ex *c. penult. de ſent. & re iudic. & l. 2. C quibus res iudicata non nocet.* Excipiendi tamen ſunt caſus aliqui, de quibus ſermo eſt in cit. *c. penult.* & quos congerit *gloſ. in ead. l. 2. v. irrogare.*

11 Illud tandem ſententię latæ priuilegium eſt, vt neque reſcindi poſſit prætextu inſtrumentorum poſtea repertorum, aut aliarum probationum, iuxta *c. Inter Monaſterium* 20. *de ſent. & re iudic.* exceptis tamen quibuſdam caſibus relatis ibid. a gloſ. *v. confirmantes,* inter quos numerantur cauſæ matrimoniales, de quibus etiam agitur apud Gloſ. in *c. lator* 7. *eod. v. permanere,* quę propterea dicuntur nunquam tranſire in rem iudicatam. Videri poteſt Marant *p. 6. ſpeculi in tit. de ſent.*

12. Sententiam, quæ in rem iudicatam tranſiuerit, ſubſequitur executio. Circa quam, diſtinguendum eſt vtrum ſententia lata fuerit ſuper actione reali, an ſuper actione perſonali. Lata enim ſuper actione reali debet ſtatim executioni mandari, aut ſaltem poſt 10. dies,

vt locus interponatur appellationi, ſi pars grauata appellare velit: lata autem ſuper actione perſonali mandatur executioni poſt tempus quadrimeſtre, quod condemnato ad ſoluendum conceditur, vt conſtat ex *c. Quod ad conſultationem 15. de ſent. & re iudic.* quamuis ex iuſta cauſa poſſit tale tempus a Iudice vel coarctari, vel prorogari. Iſta tamen intelligenda ſunt extra caſus exceptos, inter quos numeratur vbi locum habeat priuilegium reſtitutionis in integrum, de quo ſermo erit infra in *tit.* 16.

13. Sententiam latam regulariter exequi ille idem debet, qui eam tulit, ſi ſit Iudex Ordinarius, & Reum foro ſuo ſubditum habeat. Si autem ſententia lata fuerit a Iudice delegato, controuerſi iuris eſt vtrum per ipſum delegatum executioni mandāda ſit, vt videre eſt apud Menoch. *de arbitr. Iudic. lib.* 1. *qu.* 74. Illud conuenit inter Doctores, de Iure Canonico delegatum Summi Pontificis poſſe exequi ſententiam ſuam, vel eandem Ordinario committere, iuxta textum in *c. in litteris 9. de off deleg.* iuncta ibid. Gloſ. in primo notabili, & ſi illam Ordinario committat, tenetur idem Ordinarius obedire *c. Paſtoralis* 28. §. *quia. eod.* quia delegatus Summi Pontificis quoad cauſam ſibi commiſſam maior eſt omnibus poſt Papam *c. ſane* 11. *eod.*

eod. & *c. ſtuduiſti 2. de off. Legati*. At circa delegatum ab inferiori Ordinario vtrum exequi poſſit ſententiam ſuam, variant Doctores. Affirmat Gloſ. in *c. Si quis contra 4. de foro compet. v. ipſius ſolicitudine*, & Panor in eod. *c. n. 37. & ſeqq.* Non deſunt tamen qui oppoſitum ſentiunt citati ibid. ab eod. Panor. *n.* 32. & 33. Ideo pro praxi attendendum eſt tum ad conſuetudinem loci, tum ad verba cõmiſſionis De Iure ciuili ſentit Gloſ. in *l. A diuo 15 ff. de re iudic. v. a ſe* neque delegatum Principis ſuam ſententiam exequi poſſe. Videri poteſt Menoch. in loco ſupracit. & alij Doctores in cit. *l. A diuo*.

TIT. XV.

De Appellationibus.

1. QVia nonnunquam contingere poteſt vel ex errore vel ex malitia Iudicis litigantem cauſa cadere, cui cæteroquin ius aſſiſtebat; ideo de iuris vtriuſque æquitate remedia nonnulla ſtatuta ſunt, quibus litigans læſus ab iniuſta ſententia lata tueri ſe poſſit, faciendo ne tranſeat in rem iudicatam, vel eius executionem impedire. Huius generis eſt appellatio, hoc eſt ab inferiori Iudice ad ſuperiorẽ

ra-

ratione grauaminis illati vel inferẽdi facta prouocatio: quæ cum ſit neceſſariæ defenſionis & quoddam pręſidium innocentiæ, vt habetur in *c. cum ſpeciali* 61. §. *porro. de appellat.* ideo eam eſſe etiam de iure naturæ recte tradit Panor. ad rubr. *de appellat. n* 6.

2. Ad intellectum huius remedij quæri iſta poſſunt: quis appellare poſſit? A quo? Ad quem? Contra quam ſententiam? Quomodo, & quando? Qui demum ſint appellationis effectus?

3. Quod attinet ad primum: generalis regula eſt poſſe quemlibet grauatum appellare, cuius intereſt, etiamſi perſonaliter condemnatus non ſit, ſeu liti non interfuerit, vt ſumitur ex *l.* 1. *ff. de appellat recipiend.* idque obtinet etiam in excommunicato, cui, quæ neceſſariæ defenſionis ſunt in iudicio non negantur *c. ſignificauerunt* 11. *& c. fin. de exception.* Dixi *grauatum*: quia qui grauamen proprie tuliſſe non dicitur, apppellationis beneficio non iuuatur, qualis eſt v. g. notorius Reus, confeſſus, & conuictus *c. peruenit* 13. *c. conſuluit.* 14. *& c. cum ſpeciali* 61. §. *Porro. de appellat.* quia, vt ibi dicitur, appellationis remedium non eſt ad defenſionẽ iniquitatis, ſed ad præſidium innocentiæ inſtitutum.

4. Quia autem indultum a lege, imò

&

& ab ipſa natura remedium ad tutelam innocentiæ ampliari decet; ideo non ſolum poteſt quis appellare pro ſe & in cauſam ſuam, ſed etiam pro alio; vnde Procurator, qui habeat ſaltem generale mandatum, pro ſuo principali appellare permittitur, imo & debet, niſi ex iuſta cauſa excuſetur, *c. Non iniuſte* 14. *de procurator.* in quo caſu iuſtæ cauſæ impedientis debet ſaltem Domino nunciare ſententiam vt ab illa appellare poſſit. Item in cauſa pluribus communi, eiusdemque defenſionis, appellatio ab vno illorum facta, etiam reliquis, qui non appellauerint, prodeſt, iuxta textum expreſſum in *l. Si qui ſeparatim* 10. §. *fin. ff. de appellat.* & ex toto *tit. C. Si vnus ex pluribus appellauerit*. Demum in criminali iudicio, vbi grauius innocentiæ periculum eſt ſi iniuſta ſententia condemnetur, latius etiam extenditur de iuris æquitate remedium appellationis: quia pro damnato ad ſupplicium quilibet appellare poteſt, ſiue eius interſit, ſiue non interſit, ſiue habeat mandatum, ſiue non habeat; imo & reſiſtente damnato, qui nolit tali appellationi deferri, vt habetur expreſſe in *l. Non tantum 6. ff. de appellat.* humanitatis enim eſt, quemlibet, eo non obſtante, prouocantem audire.

5. Quod attinet ad alterum, quo

quæ-

quęrebatur a quo Iudice poſſit quis appellare? regula eſt appellari poſſe ab omni Iudice ſiue Ordinario ſiue delegato: niſi ſit ſupremus Princeps, qualis eſt Summus Pontifex reſpectu totius Eccleſiæ, a quo nemo eſt appellare permiſſus, *c. Ipſi ſunt 16. & c. cuncta 17. 9. q. 3.* de natura enim appellationis eſt vt fiat ab inferiori Iudice ad ſuperiorem.

6. Sed & inferior Iudex ab hac regula excipitur quotieſcumque quoad aliquam cauſam conſtitutus ſit cum clauſula *appellatione remota*, hoc eſt ita vt ab eo in illa cauſa appellari non poſſit. Circa cuius clauſulæ intellectum cum dubitatum olim fuerit vtrum omnes cuiuſcumque generis appellationes cenſeri debeant per illam prohibitæ; an tantummodo appellationes friuolæ & inanes? Declarauit Innoc. III. in *c. Paſtoralis 53. de appellat.* cenſeri debere prohibitas non ſolum appellationes friuolas & inanes, quæ etiamſi ea clauſula non eſſet appoſita adhuc admittendæ non eſſent, ſed etiam quaſcumque alias appellationes, quę a iure expreſsè conceſſæ non reperiuntur.

7. Quæſtionis eſt, vtrum hoc ius ſeruandum nunc ſit? Ratio dubitandi eſt: quia aliqui cum Gloſ. in *eod. c. Paſtoralis v. expreſſe*, cenſent illud eſſe abrogatum in *c. vt debitus 59. eod. tit.* in

quo

quo generaliter conceditur appellari poſſe, quotieſcumque adeſt iuſta & probabilis cauſa appellandi: vnde inferunt interponi poſſe appellationem etiam in caſibus a iure non expreſſè conceſſis, dummodo ſit appellatio probabilis, non obſtante quod Iudex conſtitutus fuerit cum clauſula *appellatione remota.*

8. Contraria tamen ſententia multo probabilior eſſe videtur: tum quia communior eſt; tum quia ſi ea clauſula nihil aliud operaretur quam excludere appellationes improbabiles, & inanes, eſſet fruſtranea, quia etiam abſque ea clauſula appellationes eius generis non admittuntur ex *c. Cum appellationibus 5. de appellat. in 6.* tum demum, quia correctio iurium, quantum fieri poteſt vitari debet, ſicut vitari facile poteſt in prędictis duobus capitibus, *ſi c. Vt debitus* intelligatur pro caſibus, in quibus Iudex conſtitutus ſit ſine clauſula *appellatione remota*, cuius clauſulæ nulla mentio ibidem fit; at *c. Paſtoralis* procedat dumtaxat in caſibus in quibus ea clauſula interueniat, qua diſtinctione ſeruata, nulla contrarietas in illis iuribus reperitur.

9. Nec propterea ſequitur per eandem clauſulam plus iuſto adimi modum defenſionis: ſi quando enim contingat aliquem fuiſſe iniuſte grauatum per ſen-

ten-

tentiam, nec appellare poſſe vigore prædictæ clauſulæ, non prohibetur recurſus ad Superiorem, vt officio nobili grauamen emendet, vt ſumitur ex *eod. c. Paſtoralis*. Adde, in cauſa graui, non obſtante clauſula *appellatione remota*, permitti quandoque appellationem, ſi non plenam, & quoad omnes eius effectus, puta etiam quoad effectum ſuſpenſiuum iuriſdictionis in Iudice a quo appellatur ſtatim ac appellatio interpoſita eſt; ſaltem quoad effectum deuolutiuum, hoc eſt ita vt eius cauſæ cognitio deuoluatur ad Superiorem, vt colligitur ex *c. Romana* 3. §. *Si autem*. *De appellat. in* 6. Quam in rem etiam facit quædam declaratio, quæ citatur, Sacræ Congregationis Concilij, quæ cenſuit in cauſis viſitationis & correctionis non dari appellationem ad effectum ſuſpenſiuum, ſed tantùm ad deuolutiuum, vt tradit Pignattel. *Conſult. Canonic.* to. 8. *conſult.* 61. *n.* 4.

10. Quod ſpectat ad tertium, in quo quæritur, ad quem appellari poſſit? regula eſt appellari debere a Iudice, qui ſententiam tulit, ad eius Superiorem habentem tribunal diſtinctum quia Superioris eſt corrigere factum inferioris, ex *c. Cum inferior.* 16. *de maior. & obed.* quin & gradatim ad Superiorem proximum, *c. Dilecti* 66. *de appellat.* ne iuriſ-

dictiones confundantur: ita vt de iure ciuili nec appellare liceat ad Principem omiſſo Iudice intermedio, *ex l. Imperatores 21. ff. eod.* Quod tamen de iure canonico locum non habet quoad Summum Pontificem, ad quem immediate appellari poteſt omiſſis Iudicibus intermedijs, quemadmodum & ad Legatum de latere, qui in prouincia ſibi decreta gerit vices Papæ & concurrit cum quolibet Ordinario, vt ſumitur ex *c. Si duobus 7. de appellat. & c. 1. de off. legati.* Dixi *habentem tribunal diſtinctum*: quia ſi ſit idem inferioris & Superioris tribunal, vt accidit in Epiſcopo eiuſque Vicario Generali, tunc ab vno ad alterum appellari non poteſt, *c. Non putamus 2. de conſuet. in 6.*

11. Iſta tamen intelligenda ſunt de appellatione a Iudice Ordinario: ſi enim appellandum ſit a Iudice delegato, diſtinguendum eſt vtrum delegans totam ſuam iuriſdictionem totiuſque cauſæ cognitionem tranſtulerit in delegatum, nihil iuriſdictionis ſibi reſeruando, ſed eam totam a ſe abdjcando, vt accidit, v. g. quando delegatus a Summo Pontifice ad aliquam cauſam, ſubdelegat eandem totam alteri, ſicut poteſt ex dictis in hoc *lib. 3. tit. 2. n 9. & 10.*, vel vtrum ſibi aliquid de iuriſdictione reſeruauerit. In primo caſu appellandum

erit

erit non ad ſubdelegantem, ſed ad eius Superiorem, nempe ad Summum Pontificem; in altero autem appellatur ad ſubdelegantem, vt expreſſe decernitur in *c. Super quaſtionum* 27. §.*Tertio.de off. Deleg.*

12. Quot attinet ad quartum, contra quam ſententiam poſſit aut non poſſit appellari; regula eſt appellari poſſe a quacumque, niſi in iure prohibeatur. Qua in re aliquod diſcrimen eſt inter ius canonicum antiquum, & inter ius poſtea ſtatutum a Trid. *ſeſſ.*24. *de refor.cap.* 20. quod olim de iure canonico ex rationabili cauſa admittebatur appellatio etiam a ſententia interlocutoria, & a quolibet grauamine etiam ante ſententiam definitiuam, vt patet ex *c. Cum ſit* 5. *de appellat. & c. Super eo.* 12. *eod.* At Trident. decreuit vt cauſæ omnes ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes in prima inſtantia coram Ordinarijs locorum dumtaxat cognoſcantur, atque omnino ſaltem infra biennium a die motæ litis terminentur: alioquin poſt id ſpatium liberum ſit partibus, vel alteri illarum iudices ſuperiores, aliàs tamen competentes adire; qui cauſam in eo ſtatu quo fuerit, aſſumant, & quamprimum terminari curent; nec antea alijs committantur, nec auocentur: neque appellationes ab eiſdem interpoſi-

tæ, per ſuperiores quoſcumque recipiantur; eorumue commiſſio, aut inhibitio fiat, niſi a definitiua, vel a definitiuæ vim habente, & cuius grauamen per appellationem a definitiua reparari nequeat. Ita expreſſe ibidem Trid. exceptis tamen cauſis, quæ iuxta canonicas ſanctiones apud SedemApoſtolicam ſunt tractandæ; vel quas ex vrgenti, rationabilique cauſa iudicauerit Summus Romanus Pontifex per ſpeciale reſcriptum ſignaturæ Sāctitatis ſuæ manu propria ſubſcribendum, committere, aut auocare.

13. Item *ſeſſ.* 13. *de refor. c.* 1. decreuit, vt in cauſis viſitationis & correctionis, ſiue habilitatis & inhabilitatis &c. ab Epiſcopo, ſeu illius in ſpiritualibus Vicario generali, ante definitiuam ſententiam ab interlocutoria, vel alio quocumque grauamine non appelletur: nec Epiſcopus, ſeu Vicarius appellationi huiuſmodi, tamquam friuolæ, deferre teneatur; ſed ea, ac quacumque inhibitione ab appellationis iudice emanata, necnon omni ſtylo, & conſuetudine etiam immemorabili, contraria non obſtante, ad vlteriora valeat procedere; niſi grauamen huiuſmodi per definitiuam ſententiam reparari, vel ab ipſa definitiua appellari non poſſit: quibus caſibus ſacrorum & antiquorum

Ca-

Canonum ſtatuta illibata perſiſtant.

14. Attento igitur hoc iure, appellari non poteſt niſi a ſententia definitiua aut ab habente vim definitiuæ cuius grauamen per appellationem a definitiua reparari nequeat: a reliquis autem interlocutorijs appellare non licet, in quibus ſi quid peccatum eſt, reparari poteſt per ſententiam definitiuam, & corrigi ab eodem Iudice, qui retractare poteſt in eodem iudicio ſententiam interlocutoriam quam tulit, vt ſupra dictum eſt in hoc *lib.* 3. *tit.* 14. *n.* 2. Conſonat etiam ius ciuile, iuxta quod ab eiuſmodi interlocutorijs appellari non poteſt, vt conſtat ex *l. Ante* 7. *C. quorum appellat. non recipiuntur.*

15. Item prohibetur appellatio tertio facta ab eadem ſententia & ab eodem iudice, ex *cap. Sua nobis* 65. *de appellat.* Præſumitur enim iuſtum eſſe, quod tribus conformibus ſententijs eſt firmatum.

16. Demum omiſſis reliquis, non admittitur appellatio, vbi ea apparet manifeſte friuola, vt contingeret in cauſis ſeu factis notarijs, *cap. Peruenit.* 13. & *cap. Conſuluit* 14. *eod.*, aut in ijs, vbi tantummodo agitur de executione legis, ex *c. Conſuluit* 29. *eod.* quia tunc videretur appellari potius contra legem, ſicut ex proportionali ratione appellari non poteſt ab executio-

ne ſententiæ definitiuæ, niſi executor excedat modum executionis, iuxta *l. Ab executione 5. C. Quorum appellat. non recipiuntur.*

17. Circa formam & tempus appellandi, illud in primis obſeruandum eſt, vt de appellatione interpoſita (quæ fieri debet per vocem *appello*, aut per aliud æquiualens) conſtet iudici a quo appellatur, vnde coram eodem fieri regulariter debet, ex *c. Vt debitus 59. & c. fin. de appellat.* Tempus autem illius interponendæ eſt vel ſtatim vel ſaltem intra 10. dies a die latæ ſententiæ, aut a die notitiæ de ſententia lata, *c. quod ad conſultationem 15. de ſent. & de re iudic.*

18. Illud tamen diſcriminis eſt inter appellationem ſtatim interpoſitam, & inter interpoſitam poſt aliquod interuallum intra 10. dies, quod ſi appelletur à ſententia definitiua aut ab habente vim definitiuæ ſtatim, ſufficiat appellare viua voce; ſi autem appelletur ex interuallo, appellari debeat ſcripto, ex *l. A ſententia 5. §. fin. ff. de appellat.* quamuis hoc diſcrimen in appellatione a pure interlocutoria (ſi quando ea permittitur) non ſeruetur: quia ſiue ea ſtatim fiat, ſiue ex interuallo, fieri debet in ſcriptis, expreſſa cauſa appellationis, quod ad minuendas lites ſtatutum fuit in *c. 1. de appellat. in 6.* In quo etiam huius generis

ris appellatio differt ab appellatione a definitiua, quia in appellatione a definitiua ſufficit in genere dicere ſe eſſe grauatum, vt tradit Gloſ. in cit. *c. Quod ad conſultationem 15. de ſent. & re iudic. v. Cauſam non exprimens.* Ratio diſparitatis eſſe poteſt: quia expreſſio cauſæ appellandi multo vtilior eſt in appellatione ab interlocutoria, nam iudex, vt dictum eſt, non prohibetur interlocutoriam corrigere, & ab expreſſione ſpecialis grauaminis, ratione cuius appellatur, moueri poteſt ad illam corrigendam, quod ſi faciat, ceſſat appellatio, ex *c. Cum ceſſante 60. de appellat.*

19. Interpoſitæ appellationi tenetur regulariter deferre Iudex a quo, alias puniendus, vt ſumitur ex *c. De Priore 31. eod.* & geſta corã ſe ad Iudicem appellationis tranſmĩttere cum apoſtolis intra 30. dies, intra quos ijdem apoſtoli debent ab appellante peti ex *c. ab eo 6. de appellat. in 6.* imo & intra tempus breuius, ſi ex cauſa legitima iudex a quo tempus breuius præſcripſerit, arg. *l. 2. ff. de re iudic.* vt etiam ſumitur ex Panor. in *c. Cum ſit Romana 5. de appellat. n. 10. & ſeqq.* vbi fuſe tractat vtrum, & quando Iudex poſſit breuiare tempus conceſſum a lege.

20. Sunt autem apoſtoli hic litteræ, quas Iudex a quo tranſmittit ad Iudicem

ad quem in teſtimonium, & fidem appellationis interpoſitæ, ita dicti a græca voce ἀποστέλλω, quæ ſignificat *mitto*: ac diuiduntur in dimiſſorios, reuerentiales, & refutatorios. Apoſtoli dimiſſorij dicuntur litteræ ad Iudicem appellatum miſſæ teſtificantes de appellatione interpoſita & admiſſa. Apoſtoli reuerentiales ſunt litteræ teſtantes de appellatione interpoſita, & admiſſa non ex debito iuſtitiæ, ſed ob reuerentiam Superioris appellati. Apoſtoli demum refutatorij vocantur litteræ, quibus Iudex a quo ſignificat Iudici ad quem fuiſſe appellatum, ſed delatum non fuiſſe appellationi.

21. Obtentos apoſtolos dimiſſorios appellans præſentare debet Iudici ad quem intra 6. menſes, ex *l. 2. C. de temporib. & reparationib. appellat.* vel etiam intra tempus breuius, ſi illud Iudex a quo ex rationabili cauſa coarctauerit, alioquin cenſebitur appellatio deſerta, vt etiam ſumitur ex *c. Perſonas 4. de appellat.* Tempus autem proſequendæ appellationis de ſtatuto vtriuſque iuris eſt annus, & ex iuſta euidentique cauſa etiam biennium, quamuis & hoc tempus poſſit Iudex a quo ex cauſa breuiare, *c. Cum ſit. 5. eod. & auth. Ei qui C. de temporib. & reparationib. appellat.* itaut ſi intra tale tempus qui appellauit proſe-

cu-

cuius non fuerit cauſam appellationis, cenſeatur appellationi renunciaſſe: niſi tamen eo tẽpore fuerit a proſequẽdo impeditus, quia impedito tẽpus quoad hoc non computatur, *c. Ex ratione 8. de appellat. & c. quia diuerſitatẽ 5. de conceſſ. præb.*

22. Officium iudicis appellati eſt appellationem ad ſe delatam admittere, de eius iuſtitia cognoſcere, & ſi viderit eam fuiſſe iniuſte & illegitime factam, remittere debet appellantem ad Iudicem a quo, ſuppoſito quod hic quantum in ſe fuit appellationi contradixerit, & in expenſas damnare, *c. Cum appellationibus 5. de appellat. in 6.* Quod ſi iuſtam fuiſſe cognoſcat, id ipſum pronuntiare debet, & poſtea examinatis meritis cauſæ principalis, ſententiam prioris iudicis vel caſſabit, vel reformabit, prout iuſtitia ſuadebit.

23. Vt autem hoc preſtet, non opus eſt alia conteſtatione litis, quia ea quę facta fuit in prima inſtantia extenditur etiam ad cauſam appellationis, ex *c. Per tuas 58. de appellat.* Quare vterque litigans immediate procedet ad probandas ſuas exceptiones coram Iudice appellationis, eo modo quo ſupra diximus faciendum eſſe in prima inſtantia: depromendo probationes vel ex prioribus actis, vel etiam alias vlteriores producendo.

24. Demum quod attinet ad effe- ctus appellationis, duplex potiſſimũ aſſignari ſolet, nempe ſuſpenſiuus, & deuolutiuus. Primus conſiſtit in eo quod per appellationem ſuſpendatur iuriſdictio iudicis a quo appellatum eſt, vnde vlterius in eadem cauſa procedere non poteſt, vt ſumitur ex *c. Si a iudice* 10. *eod. in 6.* & ſi quid innouet, antè omnia penitus reuocari debeat per iudicem appellationis. Quod tamen intelligendum eſt de appellatione a ſententia definitiua: per appellationem enim ab interlocutoria (vbi ea intermitti poſſit) non ſtatim ſuſpenditur iuriſdictio iudicis, nec ea quæ ab eodem iudice *a quo* poſt appellationem acta ſunt, irritantur, donec appellationis cauſam veram eſſe conſtiterit: niſi iudex appellationis (poſtquam ſibi conſtiterit per appellationem emiſſam, ex cauſa probabili fore ad ſe negotium deuolutum, inhibeat canonice iudici a quo appellatum extitit, ne procedat: tunc enim quidquid poſt inhibitionem huiuſmodi fuerit innouatum, eſt (licet cauſa eadem non ſit vera) per eundem appellationis iudicem, ante omnia in ſtatum priſtinum reducendum. Sumuntur hæc ex *c. Non ſolum* 7. *eod. in 6.*

25. Hæc tamen doctrina intelligi regulariter debet, & pro appellatione a iu-

a iure permiſſa. Contingit enim aliquoties in aliqua cauſa appellationem interponi, per quam non ſuſpenditur iuriſdictio iudicis, vt patet ex ijs, quæ ſupradiximus in hoc tit. n. 9. vbi exemplum attulimus de appellatione in cauſis viſitationis & correctionis ex declaratione Sacræ Congregationis Concilij.

26. Vtrum autem poſt appellationem a definitiua, ſicut prohibetur iudici ne aliquid innouet, & ſi quid innouet reuocatur, ita pariter prohibitum ſit partibus, itaut ſi aliquid interim per partem fiat, ſit reuocandum; controuerſia eſt inter Innoc. & Hoſt. quæ videri poteſt fuſe expoſita a Panor. in *c. Dilectæ 10. de except. n. 4.*

27. Alter effectus appellationis eſt deuolutiuus, itaut ſcilicet per appellationem deuoluatur cauſa ad iudicem appellatum, qui cognoſcere poterit tum de iuſtitia appellationis, tum etiam de cauſa principali, imo & de eius acceſſoris & connexis, vt ſumitur ex *c. Dilectis 55. de appellat.* Hic effectus latius extenditur, quam effectus ſuſpenſiuus, quia ſæpe etiam in iis caſibus, in quibus effectus ſuſpenſiuus locum non habet, admittitur deuolutiuus, vt ex dictis patet.

TIT. XVI.

De in integrum reſtitutione.

1. PRæter appellationis remediũ, quo de iuris æquitate ſuccurritur ijs, qui per ſententiam iniuſtam læſi ſint, aliud quoque ſuppetit remedium quibuſdam particularibus locis, & perſonis, vbi ſe non poſſint appellatione tueri; quod eſt beneficium reſtitutionis in integrum, ſeu reductionis in ſtatum priſtinum. Competit autem hoc remedium minoribus, hoc eſt qui nondum vigeſimum quintum ętatis annum impleuerunt, & Eccleſijs, vt ſumitur ex toto tit. *De in integrum reſtitut.* in primo Decretal. & in toto tit. C *ſi aduerſus rem iudicat. reſtit. poſtuletur*; imo, & omnibus locis pijs authoritate Epiſcopi erectis, & fundatis, iuxta *l. omnia 33. C. de Epiſc. & Cler*; vbi habetur quod priuilegia tributa Eccleſijs extendantur quoque ad alia loca pia. Vnde ſi minor aut Eccleſia ſe in aliquo grauiter læſam cognoſcat & appellandi tempus iam fluxerit, reſtitutionem tamen in integrum poterit implorare.

2. Hoc beneficium eſt amplæ interpretationis, & extenſionis, vnde datur non ſolum pro reparanda læſione ſen-

ten-

rentiæ iniuſtæ, quamuis eà proceſſerit ex propria negligentia, ſiue ex negligentia tutoris &c. ſed etiam pro reſcindendis contractibus, quos celebrare damnoſum fuit ijſdem minoribus aut Eccleſijs, in quo caſu agere poſſint contra quemuis alienatæ rei poſſeſſorem, vt conſtat ex *c conſtitutus 8. de in integr.reſtit.* Idque adeo procedit vt in eodem caſu vnus minor agere poſſit contra aliū minorem, & vna Eccleſia contra aliam atque in integrum reſtitui, vt ſumitur ex *c.auditis 3.eod.& l.verum 11.§.fin.ff. de minorib.* Niſi tamen eadem ſit vtriuſque cauſa, hoc eſt itaut agat vtraque de æquali damno vitando, & æque potens ſit vtriuſque priuilegium, in quo caſu res decidenda erit iuxta ius commune, perinde ac ſi illis non competeret beneficium reſtitutionis in integrum, quia priuilegiatus contra priuilegiatum non vtitur priuilegio ſuo vbi par eſt vtriuſque cauſa, arg. *l.aſſiduis 12 § & ideo quod antiquitas C.qui potiores in pignore*, vbi priuilegium prælationis dotis non competit contra alium habentem ſimile priuilegium. Videri poteſt Barr. *in auth. quas actiones C.de ſacroſanct.Eccl* & Panor.in *c in præſentia 8.de probat n 37 & ſeqq.*

3. Quamuis tamen hoc beneficium directè, & primario ſolis minoribus, & locis pijs conceſſum ſit, non obſtat quomi-

minus aliquando etiam maioribus concedatur, ſi iuſta aliqua cauſa interueniat, vt puta ſi per alienam fraudem decepti ſint, vt exponitur in *c.ex litteris* 4. *de in integr.reſtit.* & habetur etiam ex toto tit. *ff. ex quibus cauſis maiores in integr. reſtit.*

4. Tempus petendi reſtitutionem in integrum pro minoribus eſt tum totum tempus minoritatis, tum integrum quadriennium ab expleta minoritate, de quo quadriennio iuſta abſentia, & omne legitimum impedimentum excipitur ex *l.fin.C.de temporib.in integr.reſtit.* adeoque lapſo quadriennio tantum temporis adijci debebit, quantum fuit tempus abſentiæ. Eccleſia etiam quotieſcumque grauiter læſa fuerit, petere poterit reſtitutionem in integrum intra quadriennium à tempore læſionis ſaltem cognitæ intra quod ſi negligenter omiſerit, admittenda non erit ad vſum huiuſmodi beneficij; ſed agere tantum poterit per viam iuris communis: niſi tamen intra illud quadriennium ex aliqua rationabili cauſa reſtitutionem in integrum petere non potuerit, quia in re præſenti non currit tempus impedito. Sumuntur hæc ex toto tit. *de reſtit.in integr. in* 6.

5. Peti autem debet regulariter coram iudice illius contra quem petitur, quia Actor ſequitur forum Rei, quamuis

ſi

ſi Eccleſia læſa ſit, petere poſſit reſtitutionem etiam contra laicum coram iudice Eccleſiaſtico, vt colligitur ex *c. penult. de reb. Eccl. alienan. vel non.* Sed & opus eſt vt iudex ille, coram quo petitur, non ſolum habeat facultatem iudicandi, ſed etiam adminiſtratione potiatur cum iuriſdictione coniuncta: ex qua ratione coram arbitro compromiſſario peti non poteſt, quemadmodum neque coram iudice delegato ab Ordinario adminiſtrationem non habente, qui de cauſa reſtitutionis in integrum cognoſcere nequit, niſi coram eo mota fuerit incidenter, iuxta textum in *c. penult. de in integr. reſtit.* cauſa enim reſtitutionis in integrum pertinet ad mixtum imperium, vt ſupra diximus in hoc *lib. 3. tit. 2. n. 13.* Ea autem quæ ſunt mixti imperij, non competunt niſi habentibus adminiſtrationem cum iuriſdictione coniunctam, vt patet ex dictis in loco citato.

6. Illud etiam diligenter ſeruandum eſt, vt ſi petendà ſit reſtitutio in integrum contra ſententiam ab aliquo iudice latam, non petatur coram alio inferiori iudice: minor enim iudex contra ſententiam maioris non reſtituit, ſed ſolum contra ſententiam latam, vel à ſe ipſo, vel à iudice minoris aut æqualis iuriſdictionis, vt conſtat ex *l. Præfecti 17. & l. minor 18. ff. de minorib.* iuncta

ibid.

ibid. gloſ. *v. minor autem*. Inde eſt quod contra ſententiam definitiuam Supremi Principis aut eius delegati, nemo inferior in integrùm reſtituere poteſt, niſi ad id ſit ſpecialiter delegatus.

7. Pro forma petendæ reſtitutionis in integrum, opus eſt vt ea coram idoneo iudice petatur præſente aduerſario contra quem petitur, niſi ſit per contumaciam abſens, vt habetur ex *c. tum ex litteris 5. de in integr. reſtit.* Æquitas enim petit vt nemo inculpabiliter indefenſus iudicetur, ratione cuius præmitti etiam debet citatio, & litis conteſtatio, vt patet ex ſupradictis in *hoc lib. 3. tit 4. n. 2.*

8. Effectus reſtitutionis in integrum eſt primò, vt quandiu eius iudicium pendet, nihil innouari debeat, ſed omnia in ſuo ſtatu conſeruari, vt conſtat ex *l. vn. C. in integr reſtitutione poſtul. ne quid noui fiat.* Excipitur tamen ab hac regula caſus, in quo aliquis poſt latam contra ſe in aliqua cauſa ſententiam, intentet iudicium de reſtitutione in integrum, cum vehementi prę ſumptione malitiæ, quod ſcilicet id faciat ad impediendam executionem ſententiæ: tunc enim executioni mandari poteſt lata ſententia, pręſtita tamen ab aduerſario idonea cautione de reſtituendo, quod medio tempore occaſione ſententiæ perceperit, ſi petens reſtitutionem in integrum

in

in iudicio eiuſdem reſtitutionis præualuerit, vt habetur in *c. ſuſcitata 6. de in integr.reſtit.*

9. Alter effectus reſtitutionis in integrum ſententia iudicis obtentæ eſt, vt reiciſſum ſit quod geſtum eſt, & vnuſquiſque in ſuo priſtino iure reponatur, itaut ſcilicet læſus, qui reſtitutionem obtinuit, ſuum recipiat; & etiam lædens (ſi tamen bona fide egerit) ſuo pretio, & neceſſarijs ac vtilibus expenſis, quas fortaſſe in re, quam reſtituit, fecit, non defraudetur, vt patet ex *c.1.eod.*

TIT. XVII.

De arbitris.

1. HActenus de tota forma iudiciorum. Quia autem ad tollendas lites, prætermiſſis nonnunquam iudicibus ordinarijs, compromittitur in arbitros, qui controuerſiam ſua ſententia componant; ideo præcedentibus titulis congruenter ſubiungitur rubrica *de arbitris*.

2. Arbiter dicitur ab arbitrando, ſeu cenſendo, qualis eſt in lata ſignificatione quicumque aſſumitur ad aliquid æſtimandum, vt quid ſibi in aliqua re videatur enunciet. In ſtrictiori autem ſignificatione, prout hic accipitur, eſt qui con-

conſtituitur vt circa rem aliquam controuerſam ſuum iudicium proferat, cui deinde partes ſtare debeant.

3. Quia autem nonnumquam conſtituitur arbiter de præcepto iuris, vt in cauſa ſuſpecti iudicis, in quo caſu debet de iure aſſumi arbiter, qui de cauſa ſuſpicionis cognoſcat, ex *c. ſuſpicionis 39. de off. deleg.* nonnumquam ſponte, & libera voluntate partium; ideo arbiter in genere diuidi ſolet in arbitrum iuris, & in arbitrum voluntarium, qui etiam appellatur arbiter compromiſſarius, & conſtitui poteſt de conſenſu partium, vel vt procedat ſimpliciter, & non ſeruata forma iudiciali, qualis dici ſolet amicabilis arbitrator; vel vt ſeruando iudiciorum ordinem, puta præmiſſa citatione, examinatione teſtium &c. de cauſa cognoſcat, & iudicet, in quo caſu dicitur proprie, & rigoroſe arbiter, parumque differt à iudice, niſi quod iuriſdictionem non habeat, ſed tantum cognitionem.

4. Compromittere poſſunt in arbitros quotquot ita liberam habent ſuarum rerum adminiſtrationem, vt etiam alienare poſſint: ſecus ſi cui interdicta ſit alienandi facultas. Ex qua ratione in *c. cum tempore 5. de arbitris* expreſſe declaratur, Eccleſiam exemptam compromittere non poſſe in præiudicium ſuæ exemptionis, quia eidem exemptioni,

etiamſi

etiamſi ſponte voluerit, renunciare non poteſt.

5. In aſſumendis arbitris habendus eſt perſonarum delectus, ne aliquis ex ijs eligatur, quibus a iure non permittitur officium arbitrandi. Huius generis ſunt ſerui, & mulieres, ex *l.fin. C. de receptis arbitris, & l. Pedius 7. §. in ſeruum ff. eod.* Quod tamen intelligi debere quoad officium arbitri proprie, & rigoroſe talis, non autem quoad officium amicabilis arbitratoris, inſinuat Gloſ. in ead *l. Pedius v. nullum ſit*, vbi explicat ſtatutum legis pro eo arbitratu, *quod eſt ſimile iudicio*. Sed & à munere arbitri proprie, & rigoroſe talis non ita in vniuerſum excluduntur mulieres, vt nulli exceptioni locus ſit: admittuntur enim de iure canonico mulieres quæ ordinaria iuriſdictione fungantur, vt patet ex *c. dilecti 4. de arbitris*.

6. Item ab officio arbitri rigoroſe talis pro cauſis ſpiritualibus, & fori Eccleſiaſtici excluditur laicus, ex *c contingit 8. eod.* Cum enim arbiter Iudicem imitetur, ſicut laicus in eiuſmodi cauſis iudex eſſe non poteſt, ita nec decet ipſum arbitrari. Excipitur tamen ab hac regula caſus, in quo authoritate, & conſenſu Superioris Eccleſiaſtici àſſumatur in arbitrum laicus ſimul cum Clerico: hoc enim permittitur in *c. per tuas 9. §. fin.*

ſin.eod. Nec obſtat argumentum à paritate deſumptum ex iure ciuili in cit. *l Pedius*, vbi ſicut ſeruus per ſe ſolum arbiter eſſe non poteſt, ita nec ſimul cum libero. Diſparitas enim eſt ex Panor. in eod. *c.per tuas n. 3.* quia ſeruus eſt incapax compromiſſi, incapax autem per præciſam mixturam cum capaci non efficitur capax; at laicus non eſt incapax compromiſſi ſuper re ſpirituali, nec prohibetur, vt ſolus ſit arbiter, ratione incapacitatis, quia arbitrium de re ſpirituali non eſt actus ſpiritualis, cum ſolam dicat cauſæ cognitionem ab omni iuriſdictione ſeiunctam; ſed tantummodo prohibetur propter quandam honeſtatem, & decentiam: honeſtas autem ſatis conſeruatur ex mixtura Clerici. Oppoſitum contingit quotieſcumque aliquid prohibetur laico ex defectu capacitatis, quia tunc ſicut per mixturam Clericorum non efficitur capax, ita & ſimul cum Clericis prohibetur illud exercere, cuius exemplum eſt in *c. Maſſana 56. & in c. ſacroſancta 51. de elect.* Vtrum autem ſolus laicus poſſit eſſe ſuper cauſa ſpirituali amicabilis arbitrator controuertitur inter authores. Negat Panor in *c. contingit 8. de arbitris n 1.*

7. Cauſæ ſuper quibus in arbitros compromitti poteſt, ſunt quotquot a iure per prohibitionem non ſunt exceptæ.

In

In ſpecie autem exceptæ ſunt cauſæ arduæ, & magni præiudicij, quę per maiores iudices expediri debent, adeoque compromiſſo non exponi, cuiuſmodi ſunt cauſæ matrimoniales, in quibus agatur de validitate aut inualiditate matrimonij, item cauſæ liberales verſantes circa libertatem, & ingenuitatem hominis, & cauſæ criminales, iuxta textum expreſſum in *c. penult. de in integr. reſtit.* Exceptę quoque ſunt ex eadem ratione cauſę ſpectantes ad nobile iudicis officium, quæ videlicet ſunt meri aut mixti imperij, puta cauſa reſtitutionis in integrum &c. vt habetur ex *eod. c penult.* & ex *l. non diſtinguemus 32. §. Iulianus ff. de receptis arbitris.*

8. Facto igitur compromiſſo, & aſſumpto vno, vel tribus arbitris, ex *c. 1. de arbitris*, vt ſcilicet in eo diſpari numero facilius controuerſia componi poſſit per ſententiam maioris partis, debet apud ipſos controuerſia definiri: & quamuis liberum partibus ſit compromittere, vel non compromittere, ſuppoſito tamen quod compromiſerint, non poteſt vnus altero inuito rem transferre ad Iudicem quamdiu pendet arbitrium: quemadmodum, & ipſe arbiter quamuis libere poſſit arbitrium acceptare, vel non acceptarē, ſuppoſito tamen quod acceptauerit, cogitur ſententiam dicere, *l. labeo 3. §.*

tametſi,

tametſi, & l. Si quis rem 30. ff. de receptis arbitris.

9. Sed, & ſtari debet ſententię arbitri, quę à Canoniſtis vocatur *laudum*, executionique mandari, itaut nec appellari ab eo poſſit, ex *l.* 1. *C. de recept. arbitr.* niſi contineat iniquitatem euidentem, vt limitat Panor. in *c. cum dilectus 6. de arbitris n.* 17. vbi fuſe tractat quando nam prohibitum, vel conceſſum ſit appellare à ſententia arbitri. De iure Canonico ab arbitro iuris appellari poteſt ad Papam, ex *c. ab arbitris* 11. *de off. deleg. in 6.* Si quis autem eidem laudo, contra quod appellare non poteſt, ſtare noluerit, diſtinguendum eſt vtrum compromiſſum factum fuerit ſub aliqua pœna ſubeunda ei qui compromiſſo non ſteterit; vel ſub nulla pœna. In primo caſu contra non ſtantem compromiſſo agi poteſt ad pœnam: at ſi nulla pœna adiecta fuit conueniri poteſt ad intereſſe, ex *c. per tuas 9. de arbitris*, hoc eſt ad compenſandas expenſas factas à parte in litigando, ſuppoſito quod aliunde peti non poſſit executio ſententiæ, vt puta quia non interuenit iuramentum, nec arbitrium fuit approbatum, vt cum Innoc. explicat Panor. in repet. ad idem *c. per tuas n.* 53.

10. Quod ſi arbitrium expreſſe, vel tacite fuerit à partibus homologatũ,

vt locuntur Canoniſtæ, hoc eſt approbatum, & receptum, & poſtea vnus reſilire velit, executionique contradicat; tunc non ſufficit pœnam aut intereſſe ſoluere, ſed agi poteſt ad executionem arbitrij, ſeu laudi, perinde ac ſi controuerſia fuerit per ſententiam iudicis definita, ex cit. *c. per tuas, & l. penult. C. de receptis arbitris.* Vbi notandum quod arbitrium, ſeu laudum tunc dicitur expreſſe homologari, quando firmatur ſubſcriptione partium, ſeu expreſſe approbatur à partibus: tacite homologari dicitur, quando intra 10. dies à laudo lato partes non contradicunt, vt ſumitur ex cit. *l. penult.*

11. Idem iuris ſeruandum eſt, etiamſi laudum homologatum non fuerit, ſi compromittentes in arbitrum iurauerunt ſe laudo ſtatuturos. Cum enim iuramentum ſeruandum ſit vbi ſeruari poteſt ſine diſpendio ſalutis æternæ, vt habetur in *c. 1. de pactis in* 6. & fere in toto tit. *de iureiur.* ad eiuſdem obſeruantiam agi poterit, & pars compelli, vt etiam ſumitur ex *c. 2 de arbitris,* & pluribus confirmat Panor. in *c. per tuas 9. eod n. 13.*

12. Quæſtionis eſt vtrum iuramentum de laudo ſeruando apponi poſſit cõpromiſſo etiam quando compromiſſo adiecta eſt pœna ſoluenda ab eo, qui cõpromiſſo non ſteterit? Et præterea vtrũ

ſi

ſi contingat compromiſſum factum fuiſſe ſub eodem iuramento & ſimul cum adiectione pœnæ, ſatis ſit ſolui pœnam ab eo qui compromiſſo non ſtat, vel vtrū præter ſolutionem pœnæ cogendus ſit etiam ad executionem laudi?

13 Reſpondetur ad primum, iuramentum illud in ea circumſtantia non videri reprobatum, arg. citati *c. Per tuas* vbi Innoc. III. interrogatus ad quid cogi deberet procurator, qui interpoſito iuramento compromiſerat in arbitrum nomine ſui principalis, ſed deinde laudo ſtare nolebat; reſpondet diſtinguendum eſſe vtrum fuerit vel non fuerit de obſeruando arbitrium pœna ſtatuta, & pro vtroque caſu decernit ad quid cogi debeat procurator, vt ibidem videre eſt: ſupponit ergo ſummus Pontifex etiam in compromiſſo iurato ſtatui poſſe pœnā ſoluendam ab eo, qui laudo ſtare non velit.

14. Ad ſecundum reſpondetur rem eſſe controuerſam inter Doctores, quam hic pro dignitate reſoluere per Inſtitutionum breuitatem non licet. Pro ſententia aſſerente non ſtantē compromiſſo cogendum eſſe non ſolum ad ſolutionem pœnæ, ſed etiam vi iuramenti ad executionem laudi, videri poteſt Panor. in cit. *c. Per tuas n.* 13. *&* 14. *& in repet. ad idem c. n.* 31. *&* 32. Molina *de Iuſt. tract.* 5. *diſp.*

5.*diſp.36.n.6*. vbi dicit hanc ſententiam eſſe communem, alijque ab ipſis citati, iuxta quos iuramentum de laudo ſeruando æquiualet huic clauſulæ *rato manente compromiſſo*: adeoque ſicut ſi compromiſſum pœnale fieret ſub hac clauſula, vt etiam ſoluta pœna adhuc ratum maneat compromiſſum, eo ipſo peti poſſet tum executio pœnæ, tum etiam ſimul executio laudi; ita pariter iuxta eoſdem ſi cōpromiſſum pœnale fiat cum appoſitione iuramenti de ſeruando laudo. Pro ſententia contraria videri poteſt Innoc. in eod. *c. Per tuas n.* 3. & Layman. ibid. *num.*14.

15. Si igitur contingat aliquem ab arbitrio iurato aut homologato reſilire, vt propterea cogendus ſit ad executionem eiuſdem, id poteſtatis non ſpectat ad arbitrum, cui nulla competit iuriſdictio ſed ſola cauſæ cognitio, ex *l. Ait Prætor* 5.*ff. de re iudic.* iuncta ibid. Gloſ. *v. non habent*. Quapropter adeundus erit Iudex ordinarius illius, qui reſilit ab arbitrio, ex *l. Cum antea* 5.*C. de receptis arbitris.*

16. Lato per arbitrum laudo expirat compromiſſum, quia arbiter functus eſt officio ſuo, vnde nec mutare poteſt ſententiam ſuam, quamuis errauerit, ex *l. Qualem* 19 *& l. Quia arbiter* 20.*ff. de receptis arbitris*: ſed in caſu iniuſtitiæ manifeſtæ, & multo magis ſi arbitri per dolū

& colluſionem aut ex falſis probationibus proceſſiſſe noſcuntur, poterit pars grauata opponere exceptionem de dolo coram Iudice, & petere vt arbitrium reducatur ad iuſtitiam ſecundum boni ac prudentis viri iudicium, vt ſumitur ex *l. non diſtinguemus* 32. §. *cum quidam ff. eod.* dummodo tamen id faciat intra 10. dies poſt latum arbitrium, quia ſi vltra eos differat, cenſebitur arbitrium tacite a partibus homologatum, vt ſupra dictum eſt, eo proportionaliter modo quo ſupra in *tit.*14. *num.*9. dictum fuit ſententiam iudicis tranſire in rem iudicatam, ſi intra 10. dies non fuerit ab ea appellatum. Id tamen intellige quoad reducendam ſententiam arbitri rigoroſe talis: nam contra arbitramentum arbitratoris, ſeu amicabilis compoſitoris peti poteſt reductio ad arbitrium boni viri vſque ad 30. annos, vt cum communiori ſententia tradit Bart. in *l. Societatem* 76. §. *arbitrorum n.*22. quia ius petendi eiuſdem reductionem eſt ius perſonale, contra quod non præſcribitur, niſi 30. annis, ex *l. ſicut* 3. *C. de præſcr.* 30. *vel* 40. *annor.*

17. Sed & alijs quoque modis expirare poteſt compromiſſum, quos enumerant Iuriſtæ in tit. *de receptis arbitris.* Inter reliquos eſt ſi certus terminus temporis compromiſſo præfixus fuerit: item ſi vel arbitri vel litigantes moriantur, quia com-

compromiſſum non extenditur ad hæredes, niſi ſpecialiter cautum ſit, & ſic de reliquis quæ apud Iuriſtas ibidem videri poſſunt.

TIT. XVIII.

De pactis & Tranſactionibus.

1. ALius quoque modus euadendi moleſtias iudiciorum, præter compromiſſum, ſunt pacta & trāſactiones, quibus frequenter extra ſtrepitum iudicialem controuerſiæ componuntur; ac propterea de his poſt rubricam de arbitris vltimo loco diſpiciendū breuiter nobis eſt.

2. Pactum dicitur a pactione, vt habetur in *l. 1. ff. de pactis*, vnde etiam pacis nomen appellatum eſt. Pactio autem nihil aliud eſt, quam duorum pluriumue in idem placitum conſenſus, fierique poteſt vel expreſſe vel tacite. Expreſſe fit vel mediante tractatu inter præſentes, vel etiam per epiſtolam aut nuncium inter abſentes: tacite quando aliquid fit ex quo ſatis colligitur in aliquam rem conſenſus quamuis verbis non declaratus, cuius exemplum habes ex *l. 2. ff. eod.* in creditore, qui chirographum debiti reddat debitori ſuo: ex vi enim huius redditionis cenſetur conuenire ſeu obli-

gare ſe ad non petendam ſolutionem debiti.

3. Præcipua pacti diuiſio eſt in pactũ nudũ, & in pactũ veſtitum ſiue legitimũ. Pactũ nudũ dicitur quando ſiſtitur in ſola mutui conſenſus & obligationis declaratione abſque aliquo extrinſeco ſuperueniente, per quod veluti veſtiatur & plus roboris acquirat, vt puta quando nec ſtipulatio interceſſit, nec ſcriptura per litteras aut chirographum, nec traditio vllius rei ex parte alterutrius &c. Pactũ veſtitum eſt quando aliquid eiuſmodi extrinſecum accedit, puta vel ſtipulatio, vel ſcriptura, vel traditio, vel iuramentum &c.

4. Quia autem etiam ex præciſa mutui conſenſus & obligationis declaratione naſcitur ſaltem obligatio naturalis ſeruandi rem pactam; ideo de iure Canonico, cuius eſt obuiare periculis animarum, etiam nuda pacta ſeruanda ſunt ex *c.1. de pactis.* dummodo eorum obſeruatio non vergat in animæ detrimentum vt habetur in *c. fin. eod.* Hoc autem adeo firmitatem habet, vt ſiquis indultum habeat ab Apoſtolica Sede aliquid faciendi, ſed de eò non faciendo pactum fecerit cum aliquo, cui pacto expreſſe non derogetur in indulto; tunc pactum & obligatio eiuſdem ſeruandi vigeat, non obſtante eo indulto Apoſtolico, iuxta

textum expreſſum in *c.*1. *eod. in* 6.

5. Ex his inferunt communiter Canoniſtæ, vt videre eſt apud Abbat. & Felinum in *c.* 1. *de pactis*, etiam ex pacto nudo de iure Canonico oriri actionem ideſt ius petendi in Eccleſiaſtico iudicio id quod promiſſum eſt: nam actio conceditur in iudicio, ſi lex aſſiſtat promiſſioni factæ *l. legitima* 6. *ff. eod.*

6. Tranſactio eſt quædam ſpecies pactionis, & conſiſtit proprie in pactione circa rem dubiam & litis incertę facta non gratuitò, ſed aliquo vtrinque dato, aut retento, aut promiſſo, quo a lite recedatur, vt conſtat ex *l.* 1. *ff. de tranſact.* & *l. tranſactio* 38. *C. eod.* Dicitur circa *rem dubiam*, quia de re certa & liti non obnoxia, puta de re iudicata a qua intra tempus legitimum appellatum non ſit, tranſactio regulariter eſt nulla, ex *l. Eleganter* 23. *verſ. ſi poſt rem iudicatam ff. de condictione indebiti.* Dicitur etiam *litis incertæ* quia tranſactio proprie non fit, niſi de re dubia propter litem ſuſceptam aut ſuſcipiendam, cuius exitus ſit incertus. Dicitur demum *aliquo vtrinque dato, aut retento, aut promiſſo*: quia niſi quid tale fiat, dicitur pactum gratuitum ſeu amicabilis compoſitio, non autem tranſactio proprie dicta.

7. Tranſigere poſſunt quotquot liberam habent rerum adminiſtrationem

& facultatem alienandi. Ex defectu talis facultatis non poteſt Prælatus Eccleſiæ tranſigere de rebus Eccleſiæ ſuæ in præiudicium eiuſdem, itaut ſcilicet tranſactionis effectus extendatur etiam vltra mortem Prælati, niſi de legitimo conſenſu Superioris *c. De cætero* 5. *&* *c. Veniens* 8 *de tranſact.* vt notauit etiam Gloſ. in *c. ex multiplici* 3. *de decimis v. eandem conuentionem*.

8. Tranſigi poteſt de qualibet re dubia & litigioſa, niſi ſit per aliquam legem excepta, quemadmodum excepta ſunt ſpiritualia & his annexa, puta beneficia Eccleſiaſtica, iuſpatronatus &c. dato pro illis, aut retento, aut promiſſo aliquo temporali, propter ſpeciem ſimoniæ *c. conſtitutus* 4. aliiſque iuribus *de tranſactionib.* Item excepta eſt cauſa matrimonialis, ſuper qua nec tranſactio, nec amicabilis compoſitio fieri poteſt, ex *c. fin. eod.* cum ſit res decidenda ſecundum Sacros Canones a iudice Eccleſiaſtico, ne contra eoſdem contingat vel matrimonium legitime contractum diſſolui, vel illegitime initum perſeuerare.

9. In iure quoque ciuili de quibuſdam tranſigi prohibitum eſt, vt puta ſuper cauſa criminali quę pœnam ſanguinis non irroget, ſi criminaliter agatur, tranſigi non poteſt inter Accuſatorem & Reum, quamuis id non prohibeatur

ſu-

ſuper cauſa capitali, excepto adulterio, & ſuper crimine falſi, iuxta *l. Tranſigere 18. C. de tranſact.* Item prohibitum eſt, de ijs, quæ in teſtamento vel codicillo relicta ſunt, tranſigi ſine iudice, & non inſpectis cognitiſque teſtamenti verbis, *l. De his 6. ff. eod. & l. 1. ff. quemadmodum teſtamenta aperiantur.* Prohibita demum quoque eſt ſine iudicis authoritate & cauſæ cognitione tranſactio de alimentis in vltima voluntate relictis, quæ in futurum debentur, ex *l. De alimentis 8. C. de tranſact. & l. cum hi 8. ff. eod.* quia ſcilicet periculum eſſet, aliquē contentum modico præſenti facile renunciare ſibi relicta, & alimentis in poſterum carere contra mentem teſtatoris: quæ ratio cum ceſſet circa alimenta iam præterita, propterea in cit. *l. De alimentis* permittitur de præteritis alimentis tranſactionem fieri.

10. Pręcipuus tranſactionis effectus eſt, vt per illam finis litibus vel motis vel mouendis imponatur, itaut poſtquā ſemel bona fide & legitimè ea facta fuerit, nullo prętextu retractari poſſit, ſiue inſtrumenti poſtea reperti, ſiue præſcriptionis, ſiue priuilegij &c. vt habetur in *c. 1. de tranſact.* Inde eſt quod tranſactio parit exceptionem litis finitæ, vt patet ex ijs quæ ſupra diximus in hoc *lib. 3. tit. 6. n. 9.* ſumiturque ex *c. 1. de litis conte-*

ſtat. in 6. Adeoque Reus aliquis ab Actore conuentus coram iudice ſuper aliqua re, ſi opponat de ea re iam factam fuiſſe tranſactionem inter ſe & Actorem, eo ipſo non ſolum vincit in cauſa, ſed etiã impedit omnem litis ingreſſum & progreſſum, quemadmodum impediret, ſi excipiendo opponeret, rem fuiſſe alias iudicatam, nec appellatum fuiſſe intra tempus legitimum.

INSTITVTIONVM IVRIS CANONICI

LIBER QVARTVS.

TIT. I.

De accuſationibus.

1. QVādoquidem ex dictis ad initium libri præcedentis, iudiciū aliud ciuile eſt, aliud criminale; cū expoſitum ſit toto eodem libro quod pertinet ad ciuile, ſequitur vt de criminali diſpiciamus, exordium ſumentes a modo, quo iuxta Sacros Canones inſtituitur, ac deinde gradum facientes ad crimina, quæ ſunt eiuſdem iudicij materia, & ad pœnas, quibus abſoluitur, quæ erunt materia ſequentium rubricarum.

2. Criminale iudicium nihil omnino ſimile habere cum cæteris iudicijs, de quibus ſupra locuti ſumus, aſſeritur in §. 1 *Inſtit. de publ. iudic.* quod tamen intellige cum *Gloſ. ibid. v nec omnino quicquam* quoad aliqua magis præcipua

iudiciorum, vt puta quoad initium ſeu inſtitutionem, cum ciuile per actionem; at criminale per accuſationem, inquiſitionem, aut denuntiationem inſtituatur: quoad finem, quia in ciuilibus agitur vt aliquid detur Actori, in criminalibus autem vt puniatur accuſatus: demum in aliquibus etiam quoad progreſſum; tum quia in ciuilibus probat tantum Actor, ex *l. qui accuſare* 4. *C. de Eden.* ſed in criminalibus quandoque & Actor & Reus, *l. vbi falſi* 22. *C. ad leg. Corn. de falſis*, & *l. fallaciter vlt. C. de abolitionib.* tum etiam quia in criminalibus multò clarior probatio requiritur contra Reum quam ſufficiat in ciuilibus, vt pluries in ſuperioribus indicatum eſt. Cęterum quoad plura vtrumque iudiciorum genus conuenire manifeſtum eſt, cum in vtroque libellus porrigatur, iuretur de calumnia, examinentur teſtes &c. vt notatur ibidem a Gloſ. citata.

3. Inſtituitur itaque criminale iudicium vel per accuſationem, vel per denunciationem, vel per inquiſitionem, *c. ſuper his* 16. *de accuſation.* & *c. licet Heli* 31. *de Simon.* Eſt autem hic accuſatio iuxta *Hoſt. in Sum. h. t.* criminis alicuius apud iudicem competentem, inſcriptione interueniente, ad pœnam facta delatio quæ definitio ſeu deſcriptio colligitur etiam ex *l. fin. C. de accuſation.*

4 Fieri

4. Fieri iſta ſolet per libellum accuſatorium, in quo contineatur nomen iudicis, accuſatoris,& Rei, item delicti locum & tempus, vt ſupra diximus in *lib.* 3. *tit.* 5. ex *l. Libellorum* 3. *ff. eod.* ac præterea ſubſcribat ſe accuſator ad pœnam talionis, hoc eſt obligationem in ſe ſuſcipiat ſubeundi eandem vel ſimilem pœnā, ſi crimen delatum non probauerit, quam Reus probato crimine pati debuiſſet, atque hoc eſt quod in iure intelligitur nomine inſcriptionis. Eiuſmodi inſcriptio ſtatuta olim fuit, ne facile quis ad accuſationem proſiliret, *l. ſi cui* 7. *ff. eod.* ſed quia fortaſſe propter eius neceſſitatē multi deterrebātur ab accuſando, vnde plura crimina manebāt impunita; ideo paſſim eius vſus a foro receſſit, pro quo conſulēda eſt particulariū regionū conſuetudo.

5. Quilibet ad accuſandum in foro admittitur tum pro ſua ſuorumque iniuria proſequēda ſiue ad intereſſe priuatū, tum ad vindictam publicam, niſi ſpecialiter & expreſſe reperiatur iure prohibitus, quemadmodum aliqui prohibentur propter infirmitatem ætatis aut ſexus: vt mulier,& pupillus; aliqui propter delictū propriū, vt infames aliqui; propter conditionem ſuam: vt filij contra parentes, & liberti contra patronos; aliqui propter ſuſpicionem calumniæ: vt illi qui falſum teſtimonium ſubornati dixerunt, &

ſic de pluribus alijs, qui fuſe recenſentur in *l. qui accuſare* 8. *& ſeqq ff. de accuſation. c. Prohibentur* 13. 11. *q.* 1. & pluribus *cc.* 11. *q.* 7. vbi etiam inter cæteros numerantur laici qui Clericum accuſare prohibentur, vt in *c.* 2. *&* 3. *ead. q.* 7. & Clerici quibus vetitum eſt Laicos accuſare, vt in *c. Sicut Sacerdotes* 6. *ead. cau. & q.* tum ad vitandum irregularitatis periculum ſi pœna ſanguinis afficiatur accuſatus, tum quod reuerentia ſtatus Clericalis id exigat vt his odioſis litigijs & minus laudabilibus accuſationibus ſe nō immiſceant. Has aliaſque a publica accuſandi facultate exceptiones, *Gloſ. in c.* 1. *de accuſation.* his verſibus complectitur.

Fæmina, pupillus, delatus, crimine tentus.
Suſpectus, quæſtu corruptus, ſortileguſq.
Infamis, ſeruus, pauper, cum milite Princeps.
Libertus, ſociusſocium, necnon inimici.
Clericus Eccleſiam nullus deferre valebit.

6. Hęc dicta procedunt præſertim quoad accuſationem ad vindictam publicam. Si enim accuſent ad ſuum dumtaxat, aut ſuorum, aut ſuę Eccleſiæ intereſſe, plerunque non repelluntur, iuxta *l. Hi tamen* 11. *ff. de accuſation.* ſed & aliquæ ſunt criminum ſpecies a communi

ni ea regula exceptæ, ad quorum ſcilicet accuſationem admittuntur etiam plerique illorum, quibus cæteroquin accuſare prohibitum eſt, vt ſuis infra locis indicabitur, vbi de illis particularibus criminibus ſermo erit.

7. Illud tamen hic admonendi ſumus, ſi de facto contingat accuſatorem aliquem inhàbilem ad accuſandum accedere, nec a Iudice ex officio, nec ab accuſato per exceptionem repelli, non propterea proceſſum accuſationis inualidari, vt teſtatur communis opinio, ſatiſq. conuinci arg. textus in *c.Pia 1.de excep. in 6.* vbi valet iudicium cum excommunicato, ſi contra eum non fuit exceptum

8. Perſonę, quæ accuſari criminaliter poſſint, ſunt generatim omnes delinquentes, ſine vlla ſexus differentia, etiã. impuberes pubertati proximi qui præſumuntur eſſe doli capaces, ex *l. Pupillum 111. ff. de reg. iur.* quamuis poſtea poſſit interdum Iudex miſeratione ætatis mitigare illis pœnam, iuxta *l. Auxilium 37.* §. *In delictis ff. de minorib.* Excipitur tamen ab hac generali regula delinquens, qui ſit in ſuprema aliqua dignitate, poteſtateque conſtitutus, cuius accuſatio durante eo munere regulariter intentari, aut ſaltem examinari non poteſt, *l. qui accuſare 8. ff. de accuſat & l. ſi adulterium 38. in fine ff. ad leg. Iul. de adulter.* Item

exci-

excipitur qui iam ſemel fuerit de aliquo crimine accuſatus & legitime abſolutus: hic enim iterum de eodem crimine non impetitur, *c. De his 4. de accuſation.* Demum excipitur quaſi beneficio cuiuſdam pręſcriptionis qui crimen aliquod commiſerit ante 20. annos, totoq. eo tempore numquam fuerit eius criminis accuſatus, *l. Querela 12. C. ad leg. corn. de falſis.* & tradit *Farinacc. in praxi crim p. 1. tit. 1. de inquis q. 10.* dummodo tâmen crimen ſtotum tranſierit, & non habeat tractum ſucceſſiuũm, qualem habet v. g. crimen hæreſis, Apoſtaſiæ, matrimonij contra Sacros Canones contracti &c. in quibus quis perſiſtit, adeoq, delictum continuat vt notat *Zoeſ. ff. de accuſation. n. 27.*

9. Quod attinet ad modum procedendi in iudicio criminali accuſatorio, proportionaliter idem ille ſeruatur, qui in iudicio ciuili, de quo dictum eſt in libro præced., paucis quibuſdam exceptis, quæ in titulis eiuſdem libri præcedentis congruo loco notata ſunt. Inter hæc illud potiſſimum recenſetur, quod vt paulo ante diximus, multo clarior & euidentior probatio requiratur in criminalibus, maiorque libertas concedatur Reo defendendi cauſam ſuam, etiam poſtquam in illa concluſum eſt: & quod quamuis actio ciuilis permittatur per Procuratorem tractari; id tamen in actione

quæ criminaliter agitur, regulariter prohibetur tum ad defendendum, tum ad accuſandum, ex *c. Veniens 15 de accuſat.* & *l. penult. §. fin. ff. de publ. iudic.*, exceptis aliquibus particularibus caſibus quos notauimus in *tit. 3. libri præced.* Periculum enim eſſet facile eludendi eã actionem ſi vel accuſator vel Reus poſſet eidem non perſonaliter, ſed per Procuratorem adeſſe: quia & accuſatus facile ſubterfugeret pœnam illam capitalem, vel aliam corporalem, qua poſt probationem criminis puniri meretur: & accuſator pœnam talionis, aut (vbi ea in deſuetudinem abijt) aliam arbitrariam, quæ illi infligitur, ſi inuentus fuerit in accuſatione calumniator.

10. Si igitur accidat abſentem aliquem deferri, (quod in Iure permiſſum eſt, ſaltem quoad receptionem nominis inter Reos, vt colligitur ex *l. Nullus 2. §. Ex longinquo. C. de exhiben. Reis*) recipitur ea delatio, ſed in cauſa regulariter non proceditur, & multo minus ad ſententiam damnationis deuenitur, donec accuſatus perſonaliter aduenerit, ex *l. Abſentem 6. C. de accuſat.* iuncta ibid. *Gloſ. v. Non poſſe*, ad id coactus, ſi opus fuerit etiam per excommunicationis cenſuram, ne hac Iuris æquitate ad commiſſi criminis impunitatem abutatur. Quod ſi ea pœna non obſtante,

te, contumaciter intra annum ſe Iudici non præſentauerit, habebitur pro conuicto, 11. *q.* 3. *c. Rurſus* 36. iuxta intellectum Gloſſæ ibid.

11. Quod etiam fortiori iure procedit, ſi accuſatus, poſtquam perſonaliter interfuit conteſtationi litis, progreſſui iudicij ſe ſubducat, & contumaciter abſens fiat: tunc enim ratione contumacię damnabilioris, non obſtante eius abſentia proceditur in iudicio, & ſi de delicto liqueat, ad ſententiam deuenitur, ſuppoſito quod ſententia ſit talis generis, vt etiam in abſentem mandari poſſit executioni, qualis eſt ſententia priuationis, depoſitionis, priuationis ab officio, &c. vt docet *Abb. in c. Veritatis* 8. *de dolo & contum. n.* 20.

12. Cum autem æquitati conſonum ſit, vt vbi congruis iuris remedijs Rei malitia coercetur, non negligatur malitia Accuſatoris, cuius cæteroquin cauſa minus fauorabilis eſt, ex *cap. Cum ſunt.* 11. *de reg. iur. in* 6. *& l. fauorabiliores.* 167. *ff. eod.* ideo ſicut Reus, ita & Accuſator contumaciter abſens ſtatutis in iure pœnis ſubiectus eſt, vt conſtat ex toto tit. *ff & C. ad S. C. Turpillian.* Si igitur accidat Accuſatorem inſtituta ſemel accuſatione, & poſt litem conteſtatam, aut etiam ante litem conteſtatam, ſed poſt datos fideiuſſores

ac

de lite proſequenda, aut etiam ante datos fideiuſſores, ſed poſt datum libellum, iudicio ſe ſubducere, & ad probandum crimen non comparere, abolitione non impetrata, incidit in pœnam Turpilliani, hoc eſt notatur infamia, cum mulcta quinque librarum auri, & ſi delicti qualitas poſtulat, vlterius etiam punitur pro motu Iudicis. Sumuntur hæc ex textu expreſſo in *l.* 1. & 2. *C. ad S.C. Turpill. l.* 1. *ff. eod.* & *l. Præuaricationis* 3. §. *fin. ff. de Præuaricat.* Conſonat etiam textus in *c. Licet in beato*. 14. *de accuſat.*, vbi quibuſdam Canonicis non imputatur ad pœnam quod ab accuſatione deſtitiſſent, quia non ſe obſtrinxerant vinculo inſcriptionis: vnde a contrario ſenſu deducitur, quod ſi accuſator deſiſtat poſt inſcriptionem, quę de iure ponitur in libello accuſatorio, punitur Turpilliano.

13. Dixi *abolitione non impetrata*. Nomine autem abolitionis hic intelligitur venia ſiue facultas deſiſtendi ab accuſatione, eamque Iuriſtæ in rubr. *C. De abolitionib.* communiter diuidunt in generalem ſeu publicam, & ſpecialem ſiue priuatam. Generalis ſeu publica eſt quæ publice fit vel ipſo iure, vt puta ratione feriarum pro certo tempore indictarum, vel ex decreto Principis ob diem inſignem, aut publicam gratulatio-

tio-

tionem &c. *l. Abolitio 7. cum ſeq. ff. ad Turpillian.* quamuis plerumque eiuſmodi abolitio ſuſpendat potius quam extinguat accuſationem, cum finitis ferijs permittatur Accuſatori repetere Reum, dummodo id faciat intra 30. dies a die quo feriæ finitæ ſunt, *l. Aut priuatim* 10. *ff. eod.* quia ijs elapſis vlterius non auditur, ex *l.* 1. *C. de generali abolit.* Impune tamen, & citra metum Turpilliani omittit accuſator etiam intra eos 30. dies Reum repetere, per textum *l. Si interueniente* 12. *ff. ad Turpill.* quia, vt ibidem dicitur, non videtur deſiſtere, qui exemptum Reum non defert.

14. Hæc autem intelligenda ſunt quoad accuſationem iàm antecedenter inſtitutam antequam abolitio generalis interueniret. Cæterum ſi eo tempore quo generalis abolitio accuſationum indulgetur, alicuius cauſa criminalis nondum agi cœpta fuerit per litis conteſtationem, ſed tantummodo oblatus fuerit libellus accuſatorius, tunc locum non habet prædictus effectus generalis abolitionis; quare accuſator, ſi finitis ferijs ab accuſatione deſiſtat, incidit in Turpillianum, vt ſumitur ex *l.* 2. *C. de gener. abolit. & ex l. penult. ff. ad Turpillian.*

15. Abolitio ſpecialis ſiue priuata eſt omittendæ accuſationis venia, quam pri-

priuatim accuſator petit & impetrat a Iudice qui de crimine cognoſcit, vt ſumitur ex *l.* 1. §. *Abolitio priuatim*. *ff. eod. & ex l.* 2. C. *de abolitionib. iuncta ibid. Gloſ. v. a competenti*. Eiuſmodi abolitionem non pro omnibus delictis, nec in omnibus circumſtantijs, neque cuilibet Accuſatori Iudex pro libito dare poteſt. Non enim conceditur in crimine capitali, ex *l. fin.* C. *ad. Turpill.* & particulariter in delictis numeratis in *l. fallaciter* 3. C. *de abolition.* ac præterea diſpiciendum Iudici eſt vtrum Accuſator fallaciter & calumnioſe in accuſatione ſe geſſerit, quia tunc eidem abolitio non conceditur, per textum in ead *l. fallaciter*, ne eius fraus impunita relinquatur. Item non conceditur abolitio, ſi Iudex deprehendat abolitionem peti ab Accuſatore per deceptionem vel corrupto pecunijs a Reo, ex *l.* 2. C. *eod.* ne videlicet ipſe Reus commodum a ſua prauitate reportet. Sed & vniuerſim nonniſi cauſa cognita huiuſcemodi abolitio conceditur a Iudice, qui propterea perpendere ſecum diligenter debet, an per errorem, ſeu temeritatem, ſeu calorem Accuſator proſiluerit ad accuſationem, vnde hæc explanans Accuſator abolitioni locum faciet, ex *ead. l.* 2.

16. Illud quoque iuris in hac re ſerua-

ſitum 13. *ff. de Teſtib.*) erat vt ipſi innueretur in fronte littera K. vt tradit *Cuiac. ad l. Is cui* 18. *ff. Qui teſtam. facere poſſ.* Sed cum poſtea eam pœnam abrogauerit Conſtantinus in *l. Si quis in metallum* 17. C. *de pœnis*, ſucceſſit pœna talionis, de qua ſupra dictum eſt, approbata etiam in Iure Canonico 5. *q.* 6. *c.* 2, ita vocata ex eo quia talis, ſeu ſimilis illa ſit, qualis eſſet pœna qua puniretur accuſatus ſi conuictus fuiſſet, vt explicat *Abb. in c. ſuper his* 16. *de accuſation. n.* 8. aut vbi ea in deſuetudinem abijt, vel vbi eiuſdem capax non eſt calumniator, alia pœna extraordinaria, præter infamiam ſtatutam 5. *q.* 6. *c.* 1. & 3. necnon in *l. qui non probaſſe* 3. & *l. noſtris* 8. *C. de calumniatorib.*

20. Inde fit quod cum pœna canonica Clericorum pro magnis ſceleribus ſit depoſitio ab Ordine, ex *c. tuæ* 6. *de pœnis*, ſi contingat Clericum inferioris Ordinis fuiſſe calumniatorem contra Clericum Ordinis ſuperioris, puta Subdiaconum contra Diaconum; tunc Subdiaconus in pœnā calumniæ non ſolum deponitur ab Officio, ſed etiam verberibus publice caſtigatus in exilium deportatur, ex *c* 1. *de calumniatorib.* quia videlicet ſola depoſitio Subdiaconi eſt minor pœna, quàm depoſitio qua Diaconus puniretur ſi conuictus fuiſſet, vnde

de in ſupplementum alia etiam pœna præter depoſitionem imponitur Subdiacono calumniatori, vt poſt *Gloſ. in co.l. c.1.de calumniat.* notat *Panor.ibid n.5.& Hoſt.in ſum.de calumnia.§ quali pœna calumniator.*

21. Quod tamen dictum eſt, Accuſatore non probante abſolui Reum, intelligi debet niſi eidem Reo ſit indicenda purgatio, vel propter vulgatam infamiam, vel propter graue ſcandalum, vel propter vehementem ſuſpicionem, quorum quodlibet ſatis eſt ad purgationem indicendam, ex *c. inter 10. §. attendentes de purgat.canon.* vnde in eiſdem circumſtantijs purgatio indicitur, etiamſi contra Reum infamatum nullus Accuſator accedat, prout ſumitur ex *c.accedens 23. de accuſation.* In caſu autem purgationis indictæ, Reus vel ſatis oſtendit innocentiam ſuam de obiecto crimine, & tunc abſolui debet tum ab eodem crimine tum ab eius infamia, innocens declarari, & in priſtinum ſtatum reſtitui, 2. *q. 4.c.habet 7 & c.ex tuarum 8. de purg. canon.* Vel in purgatione deficit, & tunc eadem pœna punitur in Iure canonico, ac ſi de crimine conuictus eſſet, hoc eſt pœna depoſitionis ab omni officio, & beneficio Eccleſiaſtico, ex *c. cum P. 7. eod.*

22. Ratio huius Canonis ea commu-

ſic de pluribus alijs, qui fuſe recenſentur in *l. qui accuſare* 8. *& ſeqq. ff. de accuſation. c. Prohibentur* 13. 11. *q.* 1. & pluribus *cc.* 11. *q.* 7. vbi etiam inter cæteros numerantur laici qui Clericum accuſare prohibentur, vt in *c.* 2. *&* 3. *ead. q.* 7. & Clerici quibus vetitum eſt Laicos accuſare, vt in *c. Sicut Sacerdotes* 6. *ead. cau. & q.* tum ad vitandum irregularitatis periculum ſi pœna ſanguinis afficiatur accuſatus, tum quod reuerentia ſtatus Clericalis id exigat vt his odioſis litigijs & minus laudabilibus accuſationibus ſe nõ immiſceant. Has aliaſque a publica accuſandi facultate exceptiones, *Gloſ. in c.* 1. *de accuſation.* his verſibus complectitur.

Fæmina, pupillus, delatus, crimine tentus.
Suſpectus, quæſtu corruptus, ſortileguſq.
Infamis, ſeruus, pauper, cum milite Princeps.
Libertus, ſociuſſocium, necnon inimici.
Clericus Eccleſiam nullus deferre valebit.

6. Hęc dicta procedunt præſertim quoad accuſationem ad vindictam publicam. Si enim accuſent ad ſuum dumtaxat, aut ſuorum, aut ſuę Eccleſiæ intereſſe, plerunque non repelluntur, iuxta *l. Hi tamen* 11. *ff. de accuſation.* ſed & aliquæ ſunt criminum ſpecies a communi

ni ea regula exceptæ, ad quorum ſcilicet accuſationem admittuntur etiam plerique illorum, quibus cæteroquin accuſare prohibitum eſt, vt ſuis infra locis indicabitur, vbi de illis particularibus criminibus ſermo erit.

7. Illud tamen hic admonendi ſumus, ſi de facto contingat accuſatorem aliquem inhàbilem ad accuſandum accedere, nec a Iudice ex officio, nec ab accuſato per exceptionem repelli, non propterea proceſſum accuſationis inualidari, vt teſtatur communis opinio, ſatiſq. conuinci arg. textus in *c. Pia 1. de excep. in 6.* vbi valet iudicium cum excommunicato, ſi contra eum non fuit exceptum.

8. Perſonę, quæ accuſari criminaliter poſſint, ſunt generatim omnes delinquentes, ſine vlla ſexus differentia, etiã. impuberes pubertati proximi qui præſumuntur eſſe doli capaces, ex *l. Pupillum 111. ff. de reg. iur.* quamuis poſtea poſſit interdum Iudex miſeratione ætatis mitigare illis pœnam, iuxta *l. Auxilium 37. §. In delictis ff. de minorib.* Excipitur tamen ab hac generali regula delinquens, qui ſit in ſuprema aliqua dignitate, poteſtateque conſtitutus, cuius accuſatio durante eo munere regulariter intentari, aut ſaltem examinari non poteſt, *l. qui accuſare 8. ff. de accuſat & l. ſi adulterium 38. in fine ff. ad leg. Iul. de adulter.* Item exci-

excipitur qui iam ſemel fuerit de aliquo crimine accuſatus & legitime abſolutus: hic enim iterum de eodem crimine non impetitur, *c. De his 4. de accuſation.* Demum excipitur quaſi beneficio cuiuſdam pręſcriptionis qui crimen aliquod commiſerit ante 20. annos, totoq. eo tempore numquam fuerit eius criminis accuſatus, *l. Querela 12. C. ad leg. corn. de falſis* & tradit *Farinacc. in praxi crim p. 1. tit. 1. de inquiſ q. 10.* dummodo tamen crimen ſtotum tranſierit, & non habeat tractum ſucceſſiuum, qualem habet v. g. crimen hæreſis, Apoſtaſiæ, matrimonij contra Sacros Canones contracti &c. in quibus quis perſiſtit, adeoq, delictum continuat vt notat *Zoeſ. ff. de accuſation. n. 27.*

9. Quod attinet ad modum procedendi in iudicio criminali accuſatorio, proportionaliter idem ille ſeruatur, qui in iudicio ciuili, de quo dictum eſt in libro præced., paucis quibuſdam exceptis, quæ in titulis eiuſdem libri præcedentis congruo loco notata ſunt. Inter hæc illud potiſſimum recenſetur, quod vt paulo ante diximus, multo clarior & euidentior probatio requiratur in criminalibus, maiorque libertas concedatur Reo defendendi cauſam ſuam, etiam poſtquam in illa concluſum eſt: & quod quamuis actio ciuilis permittatur per Procuratorem tractari; id tamen in actione

quę

quæ criminaliter agitur, regulariter prohibetur tum ad defendendum, tum ad accuſandum, ex *c. Veniens* 15 *de accuſat.* & *l. penult.* §. *fin. ff. de publ iudicijs*, exceptis aliquibus particularibus caſibus quos notauimus in *tit.* 3. *libri præced.* Periculum enim eſſet facile eludendi ea actionem ſi vel accuſator vel Reus poſſet eidem non perſonaliter, ſed per Procuratorem adeſſe: quia & accuſatus facile ſubterfugeret pœnam illam capitalem, vel aliam corporalem, qua poſt probationem criminis puniri meretur: & accuſator pœnam talionis, aut (vbi ea in deſuetudinem abijt) aliam arbitrariam, quæ illi infligitur, ſi inuentus fuerit in accuſatione calumniator.

10. Si igitur accidat abſentem aliquem deferri, (quod in Iure permiſſum eſt, ſaltem quoad receptionem nominis inter Reos, vt colligitur ex *l. Nulius* 2. §. *Ex longinquo. C. de exhiben. Reis*) recipitur ea delatio, ſed in cauſa regulariter non proceditur, & multo minus ad ſententiam damnationis deuenitur, donec accuſatus perſonaliter aduenerit, ex *l. Abſentem* 6. *C. de accuſat.* iuncta ibid. *Gloſ. v. Non poſſe*, ad id coactus, ſi opus fuerit etiam per excommunicationis cenſuram, ne hac Iuris æquitate ad commiſſi criminis impunitatem abutatur. Quod ſi ea pœna non obſtante,

te, contumaciter intra annum ſe Iudici non præſentauerit, habebitur pro conuicto, 11. *q.* 3. *c. Rurſus* 36. iuxta intellectum Gloſſæ ibid.

11. Quod etiam fortiori iure procedit, ſi accuſatus, poſtquam perſonaliter interfuit conteſtationi litis, progreſſui iudicij ſe ſubducat, & contumaciter abſens fiat: tunc enim ratione contumaciȩ damnabilioris, non obſtante eius abſentia proceditur in iudicio, & ſi de delicto liqueat, ad ſententiam deuenitur, ſuppoſito quod ſententia ſit talis generis, vt etiam in abſentem mandari poſſit executioni, qualis eſt ſententia priuationis, depoſitionis, priuationis ab officio, &c. vt docet *Abb. in c. Veritatis* 8. *de dolo & contum. n.* 20.

12. Cum autem æquitati conformum ſit, vt vbi congruis iuris remedijs Rei malitia coercetur, non negligatur malitia Accuſatoris, cuius cæteroquin cauſa minus fauorabilis eſt, ex *cap. Cum ſunt.* 11. *de reg. iur. in* 6. *& l. fauorabiliores.* 167. *ff. eod.* ideo ſicut Reus, ita & Accuſator contumaciter abſens ſtatutis in iure pœnis ſubiectus eſt, vt conſtat ex toto tit. *ff & C. ad S. C. Turpillian.* Si igitur accidat Accuſatorem inſtituta ſemel accuſatione, & poſt litem conteſtatam, aut etiam ante litem conteſtatam, ſed poſt datos fideiuſſores

de lite proſequenda, aut etiam ante datos fideiuſſores, ſed poſt datum libellum, iudicio ſe ſubducere, & ad probandum crimen non comparere, abolitione non impetrata, incidit in pœnam Turpilliani, hoc eſt notatur infamia, cum mulcta quinque librarum auri, & ſi delicti qualitas poſtulat, vlterius etiam punitur pro motu Iudicis. Sumuntur hæc ex textu expreſſo in *l.* 1. *&* 2. *C. ad S.C. Turpill. l.* 1. *ff. eod. & l. Preuaricationis* 3. §. *fin. ff. de Præuaricat.* Conſonat etiam textus in *c. Licet in beato*. 14. *de accuſat.*, vbi quibuſdam Canonicis non imputatur ad pœnam quod ab accuſatione deſtitiſſent, quia non ſe obſtrinxerant vinculo inſcriptionis: vnde a contrario ſenſu deducitur, quod ſi accuſator deſiſtat poſt inſcriptionem, quę de iure ponitur in libello accuſatorio, punitur Turpilliano.

13. Dixi *abolitione non impetrata*. Nomine autem abolitionis hic intelligitur venia ſiue facultas deſiſtendi ab accuſatione, eamque Iuriſtæ in rubr. *C. De abolitionib.* communiter diuidunt in generalem ſeu publicam, & ſpecialem ſiue priuatam. Generalis ſeu publica eſt quæ publice fit vel ipſo iure, vt puta ratione feriarum pro certo tempore indictarum, vel ex decreto Principis ob diem inſignem, aut publicam gratula-

tio-

tionem &c. *l. Abolitio 7. cum ſeq. ff. ad Turpillian.* quamuis plerumque eiuſmodi abolitio ſuſpendat potius quam extinguat accuſationem, cum finitis ferijs permittatur Accuſatori repetere Reum, dummodo id faciat intra 30. dies a die quo feriæ finitæ ſunt, *l. Aut priuatim* 10. *ff. eod.* quia ijs elapſis vlterius non auditur, ex *l. 1. C. de generali abolit.* Impune tamen, & citra metum Turpilliani omittit accuſator etiam intra eos 30. dies Reum repetere, per textum *l. Si interuenient* 12. *ff. ad Turpill.* quia, vt ibidem dicitur, non videtur deſiſtere, qui exemptum Reum non defert.

14. Hæc autem intelligenda ſunt quoad accuſationem iàm antecedenter inſtitutam antequam abolitio generalis interueniret. Cæterum ſi eo tempore quo generalis abolitio accuſationum indulgetur, alicuius cauſa criminalis nondum agi cœpta fuerit per litis conteſtationem, ſed tantummodo oblatus fuerit libellus accuſatorius, tunc locum non habet prædictus effectus generalis abolitionis; quare accuſator, ſi finitis ferijs ab accuſatione deſiſtat, incidit in Turpillianum, vt ſumitur ex *l. 2. C. de gener. abolit. & ex l. penult. ff. ad Turpillian.*

15. Abolitio ſpecialis ſiue priuata eſt omittendæ accuſationis venia, quam pri-

priuatim accuſator petit & impetrat a Iudice qui de crimine cognoſcit, vt ſumitur ex *l.* 1. §. *Abolitio priuatim*. *ff. eod.* & *ex l.* 2. C. *de abolitionib. iunctæ ibid. Gloſ. v. a competenti*. Eiuſmodi abolitionem non pro omnibus delictis, nec in omnibus circumſtantijs, neque cuilibet Accuſatori Iudex pro libito dare poteſt. Non enim conceditur in crimine capitali, ex *l. fin.* C. *ad. Turpill.* & particulariter in delictis numeratis in *l. fallaciter* 3. C. *de abolition.* ac præterea diſpiciendum Iudici eſt vtrum Accuſator fallaciter & calumnioſe in accuſatione ſe geſſerit, quia tunc eidem abolitio non conceditur, per textum in ead *l. fallaciter*, ne eius fraus impunita relinquatur. Item non conceditur abolitio, ſi Iudex deprehendat abolitionem peti ab Accuſatore per deceptionem vel corrupto pecunijs a Reo, ex *l.* 2. C. *eod.* ne videlicet ipſe Reus commodum a ſua prauitate reportet. Sed & vniuerſim nonniſi cauſa cognita huiuſcemodi abolitio conceditur a Iudice, qui propterea perpendere ſecum diligenter debet, an per errorem, ſeu temeritatem, ſeu calorem Accuſator proſiluerit ad accuſationem, vnde hæc explanans Accuſator abolitioni locum faciet, ex *ead. l.* 2.

16. Illud quoque iuris in hac re ſerua-

uatur, vt ea cauſę cognitio in ordine ad concedendam abolitionem fiat præſente etiam Reo, vt ſumitur ex *ead. l. 2.* quamuis non ſemper eius aſſenſus requiratur. Diſtinguendum enim eſt, vtrum res ſit integra ex parte Rei necne? hoc eſt vtrum carceres, verbera, catenas, tormenta paſſus fuerit: item vtrum lis diu ſteterit, ſeu vltra 30. dies durauerit; quia in his caſibus, inuito Reo, abolitio non conceditur; ſecus autem re integra, & lite infra 30. dies inſtituta, ex cit. *l. fallaciter, & l. fin. ff. ad Turpill.* quia videlicet tunc per conceſſionem abolitionis parum vel nihil ledi-tur cauſa Rei, ſicut læderetur ſi poſtquam ad predictum ſtatum cauſa deducta eſt, Accuſator ex authoritate Iudicis impune deſiſteret.

17. Adde aliquando neque ſufficere conſenſum Rei. Si enim accidat occaſione iudicii criminalis, cauſa teſtimonij, vexata fuiſſe tormentis corpora ingenuorum licet plebeiorum, qui conſcij & participes criminis non erant; tunc abolitio a Iudice non conceditur, etiamſi Accuſator petat & Accuſatus conſentiat, ex cit. *l. fallaciter*, ne ſcilicet impune ſit Accuſatori abſque ſufficienti cauſa Teſtes illos tormentis expoſuiſſe.

18. Accuſator itaque vigore abolitionis ab inſtituta accuſatione deſiſtens, libe-

liberatur a Turpilliano. Sed & inſuper priuatur in poſterum facultate accuſandi de eodem crimine eundem Reum, per textum in *l. Mulier. 4. ff. ad Turpill.* niſi ſpecialiter ipſi Princeps permittat, ex *l. 1. C. de abolition.* Quod etiam latiùs extenditur de Iure canonico expreſſo in *c. Licet 14. de accuſation.* vbi accuſanti etiam citra vinculum inſcriptionis, & poſtea accuſationem non proſequenti perpetuum de eodem crimine ſilentium imponitur, ne ſuper eodem illi de cętero liceat eundem Reum accuſare, vel etiam infamare.

19. Extra caſum impetratę abolitionis, & loquendo in puncto proſecutionis cauſę criminalis, incumbit Accuſatori onus probandi crimen obiectum, vt ſupra dictum eſt. Quod ſi in ea probatione deficiat, tunc Reo abſoluto incipit Iudicis cognitio contra Accuſatorem, examinando videlicet qua mente ductus idem Accuſator proceſſerit ad accuſandum. In eo examine, ſi ex iuſta cauſa, & probabili errore ductum repererit accuſaſſe, eundem abſoluere debet. Si autem in euidenti calumnia eum deprehenderit, ſeu ſcienter falſum crimen impoſuiſſe, legitimam pœnam ei irrogat, per textum in *l. 1. §. Sed non vtique ff. ad Turpill.* quæ pœna olim ex lege Remmia (cuius mentio fit in *l. Quæ-*

ſitum

ſitum 13. *ff. de Teſtib.*) erat vt ipſi innueretur in fronte littera K. vt tradit *Cuiac. ad l. Is cui* 18. *ff. Qui teſtam. facere poſſ.* Sed cum poſtea eam pœnam abrogauerit Conſtantinus in *l. Si quis in metallum* 17. C. *de pœnis*, ſucceſſit pœna talionis, de qua ſupra dictum eſt, approbata etiam in Iure Canonico 5. *q.* 6. *c.* 2. ita vocata ex eo quia talis, ſeu ſimilis illa ſit, qualis eſſet pœna qua puniretur accuſatus ſi conuictus fuiſſet, vt explicat *Abb. in c. ſuper his* 16. *de accuſation. n.* 8. aut vbi ea in deſuetudinem abijt, vel vbi eiuſdem capax non eſt calumniator, alia pœna extraordinaria, præter infamiam ſtatutam 5. *q.* 6. *c.* 1. & 3. necnon in *l. qui non probaſſe* 3. & *l. noſtris* 8. *C. de calumniatorib.*

20. Inde fit quod cum pœna canonica Clericorum pro magnis ſceleribus ſit depoſitio ab Ordine, ex *c. tuæ* 6. *de pœnis*, ſi contingat Clericum inferioris Ordinis fuiſſe calumniatorem contra Clericum Ordinis ſuperioris, puta Subdiaconum contra Diaconum; tunc Subdiaconus in pœnâ calumniæ non ſolum deponitur ab Officio, ſed etiam verberibus publice caſtigatus in exilium deportatur, ex *c* 1. *de calumniatorib.* quia videlicet ſola depoſitio Subdiaconi eſt minor pœna, quàm depoſitio qua Diaconus puniretur ſi conuictus fuiſſet, vnde

de in ſupplementum alia etiam pœna præter depoſitionem imponitur Subdiacono calumniatori, vt poſt *Gloſ. in tot. c.1. de calumniat.* notat *Panor. ibid n. 5. & Hoſt. in ſum. de calumniat. § quali pœna calumniator.*

21. Quod tamen dictum eſt, Accuſatore non probante abſolui Reum, intelligi debet niſi eidem Reo ſit indicenda purgatio, vel propter vulgatam infamiam, vel propter graue ſcandalum, vel propter vehementem ſuſpicionem, quorum quodlibet ſatis eſt ad purgationem indicendam, ex *c. inter* 10. §. *attendentes de purgat. canon.* vnde in eiſdem circumſtantijs purgatio indicitur, etiamſi contra Reum infamatum nullus Accuſator accedat, prout ſumitur ex *c. accedens* 23. *de accuſation.* In caſu autem purgationis indictæ, Reus vel ſatis oſtendit innocentiam ſuam de obiecto crimine, & tunc abſolui debet tum ab eodem crimine tum ab eius infamia, innocens declarari, & in priſtinum ſtatum reſtitui, 2. *q.* 4. *c. habet* 7 *& c. ex tuarum* 8. *de purg. canon.* Vel in purgatione deficit, & tunc eadem pœna punitur in Iure canonico, ac ſi de crimine conuictus eſſet, hoc eſt pœna depoſitionis ab omni officio, & beneficio Eccleſiaſtico, ex *c. cum P.* 7. *eod.*

22. Ratio huius Canonis ea communu-

muniter redditur à Canoniſtis cum *Gloſ. in c. inſinuatum 13. de ſimon. v. perpetuo priues*, & cum *Abb. in c. accedens 23. de accuſat. n.* 4. quod præſumptio probabilis orta ex infamia contra Reum tranſeat per defectum purgationis in violentam, & quod ratione huius violentæ præſumptionis puniatur, vt conuictus, vbi etiam nonnulli conantur afferre rationem quare ita procedatur in Iure Canonico cum cæteroquin in Iure ciuili violenta præſumptio non ſufficiat ad imponendam pœnam ordinariam criminis. Sed hæc ratio non videtur vſquequaque ſubſiſtens: quia etiam in Iure Canonico per textum expreſſum in *c. litteras 14. de præſumpt.* ſola præſumptio etiam vehemens de crimine non ſatis eſt ad condemnationem, vt diximus in lib. præced. vbi *de præſumptionib.* Congruentiùs igitur ſtatutum illius *c. cum P.* refunditur in infamiam iuris, & facti, qua laborat accuſatus de graui crimine, & in eius purgatione deficiens: infamiam enim ſecundum ſe ſatis eſſe vt quis ab omni officio, & beneficio Eccleſiaſtico deponatur, tradit poſt Dynum *Gloſ. fin. in c. infamibus penult. de reg. iur. in 6.* quod præſertim procedit poſtquam infamia quaſi tranſiuit in rem iudicatam, ſicut tranſit in defectu purgationis, vt ſicut propter magnitudinem criminis infamatus, penden-

den-

dente eius infamiæ iudicio non ſolum promoueri nequit, *c omnipotens* 4. *de accuſationib.* ſed etiam ſuſpendi poteſt ab officio, & beneficio, ex *c. inter* 10. *de purgat.canon.* ita & infamia tranſeunte in rem iudicatam, ab omni officio, & beneficio deponatur. Conſonat etiam Ius ciuile in *l.infamia* 8.*C.deDecurionib. lib.*10.*& l.Iudices* 12.*C.de dignitatib.lib.* 12. per quæ iura infames officijs, & dignitatibus ciuilibus etiam ante contractam infamiam acquiſitis exuuntur.

23. Quæ dicta ſunt hactenus de purgatione, intelligenda ſunt de purgatione canonica. Alia enim eſt purgatio vulgaris, alia purgatio canonica, vt conſtat ex toto tit.*de purgat. vulgari*, & tit. *de purgat. canon.* in Decretalibus. Purgatio vulgaris dicitur illa probatio, quam vulgus inuenit, & vſu introduxit, ſed ſacri Canones damnauerunt, vel quia per illam Deus tentari videtur, 2. *q* 4. *c. Monomachiam* 23.*& c.fin.de purgat.vulg* vel etiam quia per eam facile contingit, vt pœna criminis refundatur in innocentem, vt ſumitur ex *.c.* 2. *eod.* Huius prohibiti generis in Iure Canonico ſpecialiter recenſetur purgatio facta per Monomachiam ſiue duellum, cit. *c.Monomachiam, & c.* 1. *de purgat. vulg* purgatio facta per contactum ferri candentis, vel aquæ feruentis ſiue frigidæ, *c.*

Mennam.8.§.*fin*.2.*q*. 4. *c.conſuluiſti* 21. *ead.cau.* & *q.* & *c. ex tuarum* 8. *de purg. canon.* & ſic de reliquis ſimilibus videndis apud Doctores in tit.*de purgat.vulg.* quæ vel ſuperſtitioſa ſunt, vel fallacia,& incerta, & propterea prohibita, ac niſi per ignorantiam inuincibilem, aut per ſpecialem Spiritus Sancti inſtinctum hic & nunc excuſentur, peccaminoſa.

24. Sola igitur illa purgatio, quæ canonica dicitur, quia per Sacros Canones inducta eſt, adhiberi poteſt ad detegendum crimen, vel innocentiam infamati. Eius autem forma deſcribitur in *c.quoties* 5.*de purg.canon.* in eoque conſiſtit, quod purgandus iuret primùm ſuper Sancta Dei Euangelia, ſe neque per ſeipſum, neque per ſubmiſſam perſonam commiſiſſe delictum, cuius infamia laborat, nec aliquem alium pro eo ſe ſciente: ſed & inſuper teſtes aliquot iurent, quod veritatem eum dicere credunt, qui purgatur, vnde vocantur Compurgatores, eorumque iuramentum dicitur iuramentum credulitatis, ex *c de teſtibus* 13.*eod.* cum è conuerſo iuramentum purgandi dicatur iuramentum veritatis.

25. Illud autem hac in re diligenter curandum eſt Iudici, vt tam purgando, quàm compurgatoribus faueat vndequaque præſumptio, quod non ſint peiera-

raturi: quare ad hoc genus probationis purgandus non admittitur, niſi aliunde ſit perſona honeſta, nobilis, vel ingenuæ: ſecus ſi ſit perſona vilis, aut aliunde infamis, qualis eſt v.g. qui fuerit aliàs furti damnatus, vel periurus fuerit, vel falſum teſtimonium dixerit, iuxta textũ in *c.1.de purg.canon.* cuius generis perſonæ ad iuramentum non admittuntur, ſed purgantur aliter ad arbitrium Iudicis, vt ibid. docet *Gloſ.fin.*

26. Idem quoque iuris ſeruatur in compurgatoribus, qui debent eſſe talis honeſtatis, & opinionis, vt veriſimile ſit eos nolle amore, vel odio, vel ſpe obtinendæ pecunię peierare. Sed & vt idonei appareant, neceſſe eſt, vt eius quem purgare debent, vitam & conuerſationem agnoſcant, vt habet textus in *c.cum P.7 & c.inter.10.§. ipſum igitur.de purg.canon.* Item de iure communi debent eſſe eiuſdem Ordinis cum purgando, vt ſi hic ſit Epiſcopus, etiam Compurgatores ſint Epiſcopi; ſi Presbiter, ſint Presbiteri, & ſic de reliquis: dummodo eorum copia haberi poſſit, & purgando non ſint aliunde inimici, quia in eiuſmodi caſu admittuntur etiam alij inferioris Ordinis ad compurgandum, imo & in defectu Clericorum, etiam laici honeſti, & in defectu virorum, etiam fœminæ, ex *c. cum in iuuentute* 12. *eod.*

 iuncta

iuncta ibidem *Gloſ. fin.*

27. Quod attinet ad numerum Compurgatorum, ſeruatum olim fuit, vt Epiſcopus adhibitis 12. Epiſcopis ſe purgaret, Sacerdos adhibitis tribus, vel quinque, vel ſeptem Sacerdotibus, Diaconus tribus alijs Diaconis, *c. omnibus* 20. & *c. ſi legitimi* 13. 2. q. 4. Ratio autem quare pro maioribus ſtatutus eſſet maior numerus compurgantium, quam pro minoribus, affertur à Panor. in ſupracit. *c. inter* 10. *de purg. canon.* quia maiores habent notitiam plurium, & facilius propter potentiam inueniunt Compurgatores, quam minores, qui nec habent tot notos, nec facile poſſunt alios inducere ad ſe purgandum, quia Compurgatores ſunt voluntarij, & non poſſunt compelli ſicut alij Teſtes. Adde & aliam congruentem rationem: quia quo altioris Ordinis aliquis eſt, eo magis eſt expoſitus oculis reliquorum, eiuſque bono, vel malo nomine, & exemplo, populus facilius excitatur: congruum igitur fuit, vt ſi quando aliquis eiuſmodi purgandus eſſet ab infamia, qua aſpergebatur, manifeſtius purgaretur, multiplicatis Teſtibus innocentiæ ſuæ. Hodie tamen numerum Compurgatorum eſſe arbitrarium Iudici, habito reſpectu ad criminis enormitatem, qualitatemque perſonæ, & infamiæ docet ibid. idem Abb. poſt Gloſ. in

cod.

eod. *c. inter v. quartadecimæ manus.*

TIT. II.

De denunciationibus.

1. ALter modus inſtituendi criminales cauſas iuxta ſacros Canones (vt in præced. tit. dictum fuit) eſt denunciatio, quo nomine intelligitur, *criminis manifeſtatio legitime facta Superiori ſine inſcriptione*, vt ſumitur ex *Hoſt. in ſum. de denunciationib. §. quid ſit denunciatio.* Modus hic inſtituendi criminale iudicium in eo differt ab accuſatione, quòd in hac Accuſator ſeſe inſcribat ad probandum crimen, & ideo adeſſe non poſſit per procuratorem, ſed perſonaliter, vt in præced. tit. dictum eſt; ſecùs in denunciatione delator: vnde poſtquam iſte, ſiue per ſe ſiue per procuratorem crimen detulerit; reliqua omnia iudicij, & proceſſus criminalis ſunt à Iudice ex officio ſuo expedienda: & propterea denunciatio dicitur à Iuriſtis remedium extraordinarium, quia attento Iure ciuili ſcripto regulariter procedi non poteſt in criminalibus, niſi ad inſtantiam Accuſatoris, exceptis quibuſdam caſibus in Iure permiſſis, vt tradit *Iul. Clar lib.5. receptar. ſentent. q 7. n.1.*

2. Dixi *attento iure ciuili ſcripto:*

quia vigore conſuetudinis videtur denunciatio iam tranſiſſe in remedium ordinarium; cum ſæcularis etiam fiſcus ſoleat conſtituere Aduocatos, vel Syndicos fiſcales, qui quælibet crimina denuncient, ac deinde Iudices procedunt ex officio ſuo. De Iure tamen Canonico dici debet denunciatio ſimpliciter & abſolute remedium ordinarium, quia generaliter conceſſa eſt in *c. qualiter, & quando* 24. circa finem, *c. ſuper his* 16. *de accuſationib. c. licet Heli* 31. *de ſim.* & docet *Azor. p. 3. lib. 13. cap. 21. dub. 3.*

3. Quamuis tamen denunciator non ſe inſcribat ad pœnam, vt dictum eſt; illud Iuris ſtatutum eſt ad coercendam facilitatem calumniandi, quæ oriri poterat a ſublatione inſcriptionis, vt ſi poſtea in iudicio nihil de criminibus denunciatis probatum fuerit, denunciator ab officio, & beneficio ſuſpendatur, donec ſuam purgauerit innocentiam, ſcilicet, quod non calumniandi animo ad crimina proponenda proceſſit, vt habet textus in *c. fin. de calumniat.*

4. Hæc dicta procedunt potiſſimum quoad denunciationem iudicialem. Diuiditur enim communiter à Canoniſtis denunciatio quadrifariam, vt videre eſt apud *Panor. in c. nouit.* 13. *de Iudicijs n.* 33. *in fine*, vt alia ſit Euangelica quæ etiam dicitur charitatiua; alia iudicialis;

alia

alia Canonica quæ videlicet per Sacros Canones eſt introducta; alia regularis qua proceditur in Religioſis Ordinibus contra Regulares iuxta eorum Conſtitutiones, & Regulas. Sed quia ipſa Canonica, & Regularis, vel eſt iudicialis, vel Euangelica; ideo congruentius diuidi denunciatio vniuerſaliter poteſt, prout diuiditur à Theologis, in Euangelicam, & Iudicialem.

5. Denunciatio Euangelica eſt, qua crimen defertur ad Superiorem tamquam ad Patrem, ad priuatam emendationem proximi delinquentis, ex Charitate procedens: fierique illa debet iuxta ordinem inſtitutum à Chriſto Domino *Matth.18.* in illis verbis: *Si peccauerit in te frater tuus &c.* Denunciatio iudicialis (quæ potiſſimum huc ſpectat) eſt qua crimen defertur ad Superiorem tamquam ad Iudicem; fierique illa aliquando ſolet, vel ciuiliter, vt cum per ipſam priuatum dumtaxat intereſſe aut ſatisfactio intenditur; vel criminaliter, vt cum intenditur publica vindicta, ſeu pœna ob vtilitatem publicam, & in hoc ſenſu procedit illa iudicialis denunciationis diuiſio, quam Doctores tradunt, vt alia ſit iudicialis denunciatio ciuilis, ſeu priuata, alia criminalis, ſeu publica.

6. Quod attinet ad crimina, perſonas, & conditiones in denunciatione

ſeruandas, diſtinguendum eſt inter forum ſæculare, & Eccleſiaſticum. In foro ſæculari admittitur de iure denunciatio iudicialis publica delictorum ad idē forum pertinentium, quæ procedat ab Officialibus publicis ad hoc muneris deputatis, ex *l. ea quidem 7. C. de accuſat.* Quinimo de conſuetudine ſatis communiter recepta admittitur quoque procedens à quacumque perſona priuata, quia publicæ vtilitatis eſt notitiam delictorum quocumque modo ad Iudicem peruenire, ne permaneant impunita, vt teſtatur *Clar. in cit. q. 7. n. 2.* Denunciatio autem iudicialis priuata, per quam agitur ad intereſſe priuatum denunciantis, admittitur de iure ciuili, ſi procedat ab eo cuius intereſt, ſuppoſito quod agere ſiue accuſare ſit prohibitus, vt puta quia eſt ſeruus, & conqueritur de domino, quia eſt filius, & conqueritur de patre &c. ex *l. 1. §. quod autem ff. de off. Præf. Vrb. Abb. in c. nouit. 13. de iudic. n. 48.* alijque communiter. Æquitatis enim eſt, vt qui via ordinaria excluſus eſt à ſuo iure proſequendo via ſaltem extraordinaria admittatur.

7. In foro Eccleſiaſtico denunciatio Euangelica, ſeu charitatiua admittitur generatim, & indiſtincte a quocumque fiat, quia omnibus generatim præceptum eſt a Chriſto Domino, vt quod

in

in ipſos frater peccauit Eccleſię dicant, ſi ex priuata monitione non reſipuerit, *Matth.* 18. Denunciatio etiam iudicialis in eodem foro admittitur à quocumque procedat, dummodo quis non ſit publicus concubinarius, ſi præſertim fuerit propterea excommunicatus, aut dummodo non ſit conſpirator inimicus contra denunciatum, aut iuramenti præſtiti tranſgreſſor, alijſque criminibus irretitus: hi enim ſicut ab accuſando, & teſtificando, ita & à denunciando iudicialiter repelluntur, ex *c. cum oporteat* 19. *& ſeq. de accuſat.*

8. Item quod attinet ad qualitatem criminum, & perſonarum denunciandarum, eiuſdem generis denunciatio in eodem foro non admittitur, niſi vbi crimen eſt Eccleſiaſtici, vel mixti fori, aut vbi perſona denuncianda eſt ſpecialiter ſubiecta Eccleſię, qualis eſt Clericus, vel vbi in foro ſæculari deficit Iudex, qui iuſtitiā adminiſtret, & ſic de reliquis ſimilibus, quę videri poſsūt diſtinctè narrata apud *Azor. p.* 3. *lib.* 13. *cap* 21. *dub.* 4.

9. Cum autem denunciatio ſit præambula inquiſitioni faciendæ per Iudicē ex officio; inde fit, per eiuſmodi denunciationem deferri non poſſe regulariter niſi crimen, quod in foro exteriori probari poſſit, & regulariter niſi de quo aliqua infamia orta ſit: ſiue ſermo ſit de de-

nunciatione facienda in foro Eccleſiaſtico, ſiue de facienda in foro ſæculari. Fruſtra enim & cum ſolo famæ diſpendio, adeoque iniuſte, ad Iudicem deferretur crimen ex eius officio puniendum vbi nulla eidem ſuppeteret via illud cognoſcendi, & proſequendi inquiſitionem. Secus videtur aſſerendum pro denunciatione Euangelica, quę cum non tendat ad pœnam, ſed ſolum ad priuatam emendationem denunciati, locum habere videtur, etiam vbi crimen pro foro exteriori probari non poſſet.

10. Quæſtionis eſt vtrum ante omnem & quamlibet denunciationem, præcedere ſemper neceſſario debeat monitio priuatim facta? Ratio dubitandi eſt; quia in *c. Qualiter & quando* 24. circa finem *de accuſat.* habetur, quod ſicut accuſationem legitima debet præcedere inſcriptio, & inquiſitionem clamoſa inſinuatio ſeu infamia, ſic & denunciationem charitatiua monitio præuenire.

11. Hanc quæſtionem ex pluribus quos refert, reſoluit *Azor. in cit. cap.* 21. *dub.* 5. per diſtinctionem multiplicem. Vel ſermo eſt de denunciatione quæ fiat in foro ſæculari, vel de facta in foro Eccleſiaſtico. Ad denunciationem iudicialem primi generis ſiue generalem, ſiue ſpecialem & priuatam, docet non neceſſario prærequiri monitionem priuatam: item

item nec ad denunciationem iudicialé, quæ fiat in foro Eccleſiaſtico (quam Canoniſtæ & legiſtę Canonicam appellant, hoc eſt per Canones inductam) ſi generalis ſit: ſecus autem ſi ſit ſpecialis, pro qua cum communi ſententia docet opus eſſe præcedenti monitione, ſiue hæc trina eſſe debeat, iuxta ſententiam Innoc. Hoſt. & aliorum in *c. Nouit. 13. de iudic.* ſiue ſufficiat eſſe binam, iuxta ſententiam Panor. in eod. *c. Nouit. n. 59.* ſemel priuatim & ſecreto *inter te et ipſum ſolum.* ſecundo *coram vno vel duobus teſtibus*, iuxta ordinem prærequiſitum ad denunciationem Euangelicam.

TIT. III.

De Inquiſitionibus.

1. TErtius modus inſtituendi & proſequendi cauſas criminales eſt inquiſitio, *criminis* nempe *ex officio a Iudice competente legitime facta inueſtigatio*, prout deſcribitur ab Hoſt. in *Sum. de inquiſitionib.* Dicitur *ex officio*, quibus verbis ab accuſatione diſcernitur in qua Iudex procedit ad inſtantiam Accuſatoris, cum e conuerſo in inquiſitione nemine inſtante, ſed ex vi muneris ſui inquirat de crimine, vt ſic ad plenam probationem ſententiamque perueniat,

ſiue id faciat occaſione denunciationis ab aliquo factæ, ſiue dumtaxat ex vi famę præcedentis.

2. Dicitur *a Iudice competente*. Pro quo vt inquiſitio valida ſit, opus eſt vt Iudex non ſolum ſimplici iuriſdictione fungatur, ſed etiam ius gladij habeat ſeu merum imperium, de quo dictum eſt in *lib. præced. tit de Iudice* circà finem; ac præterea neceſſe eſt vt ſuæ iuriſdictioni ſubiectum habeat Reum contra quem inquirit, & articulum ſuper quo inquirit: alioquin inquiſitio inualida eſt, quia extrà territorium ius dicenti non paretur impune, *c. 2. de conſtit. in 6. & toto tit. C. ſi a non compet Iud.* ac propterea inquiſitio facta a Iudice ſæculari contra Eccleſiaſticam perſonam nulla eſt, quia Clerici nec ciuiliter nec criminaliter conueniri poſſunt coram Iudice ſæculari, vt diximus in *lib. 2. tit. de immunit. Eccleſiar.* & docet *Farinac. in praxi crimin. p. 1. lib. 1. tit. 1. q. 1. n. 55.*

3. Modus hic procedendi, ex diſpoſitione Iuris Canonici, extendit ſe ad omnia crimina, vtpote indiſtincte conceſſus in *c. Qualiter & quando 24 de accuſat. & c. licet Heli 31. de Sim.* At in foro ſęculari, attento iure ciuili ſcripto, non poteſt regulariter Iudex ex officio inquirere ſuper delictis, nemine accuſante, niſi in caſibus & delictis exceptis, quo-

quorum aliqua numerantur a *Gloſ. in l.* 1. §. *Ex publico ff. ad leg Iul. de adulter. v. ſine accuſatore*: quamuis attento iure conſuetudinario communiter recepto procedatur etiam in eodem foro per inquiſitionem ex officio in omnibus delictis, factaque illa ſit remedium ordinarium, vt teſtatur *Clar. lib.* 5. §. *Practica criminalis q.* 3. *n.* 6.

4. Inquiſitio vniuerſim ſumpta diuidi communiter ſolet a Canoniſtis in tres ſpecies. Prima eſt *omnino generalis* ſeu *generaliſſima*, per quam nullo particulari crimine, nullaque particulari perſona expreſſa, generatim inquiritur ex mero officio Iudicis, an committantur, necne crimina in aliqua communitate? an de vllo ſit fama vel ſuſpicio vllius criminis? Hoc genere inquiſitionis vtuntur Prælati & Superiores in viſitatione Prouinciæ & locorum ſubiectorum. Altera eſt *omnino ſpecialis*, per quam ſuper certo crimine inquiritur contra certam perſonam vt cum ſuper homicidio facto inquiritur contra Titium, an illud commiſerit. Tertia eſt *mixta*, ideſt partim ſpecialis, partim generalis, qualis eſt quæ generalis eſt circa perſonam et ſpecialis circa delictum, vt cum de particulari homicidio commiſſo inquiritur generaliter, quiſnã illud commiſerit? aut quæ eſt ſpecialis circa perſonam & generalis circa delictum,

ctum, vt cum inquiritur an Titius vllo ſe crimine maculauerit?

5. Quod attinet ad inquiſitionem omnino generalem, recepta communiter a Doctoribus ſententia eſt, fieri illam poſſe etiamſi nullà præcedat infamia, nullumque indicium criminum commiſſorum, arg. deſumpto ex *c. 1. de off. Ordin. & c. 1. §. ſane de cenſib. in 6.* vbi præcipitur generatim Prælatis Eccleſiaſticis & Superioribus, vt ſuo tempore faciant viſitationes & inquiſitiones generales, nulla habita mentione infamiæ præcedentis. Incommodum enim eſſet & Reip. pernicioſum, ſi Prælatis hoc remedium indiſtincte non ſuppeteret ad purgandam Remp. moreſque ſubditorũ reformandos; cum prǽſertim per hoc genus inquiſitionis nemini iniuria fiat, vtpote per quod contra neminem in particulari inquiratur. Vtrum autem in eo caſu teneantur aut poſſint ſubditi manifeſtare occulta delicta Superiori generaliter inquirenti ad effectum illa puniendi, videri poteſt examinatum apud Authores, quos refert *Leſſ. lib. 2. de Iuſt. cap. 29. dub. 13. n. 109.*

6. Quod ſpectat ad inquiſitionem ſpecialem, indubitati iuris eſt, non poſſe illam vnquam incipere a ſolo Iudice, ſed opus eſſe vt aliquid præcedat, quod inquiſitioni viam aperiat, Iudicemque

cogat

cogat ad procedendum ex officio. Primo enim conſtare ipſi debet de crimine an ſit commiſſum: vnde ſi veſtigium aliquod eiuſdem criminis relictum ſit, quale relinquit homicidium, incendium, perfoſſio domus &c. debet prius Iudex illud inſpicere, aut curare vt inſpiciatur. Si autem nullum veſtigium relictum ſit, ſaltem opus eſt denunciatione vel querela eiuſdem criminis.

7. Secundò vbi iam conſtat de delicto, antequam inquiratur contra certam perſonam, opus ſaltem eſt vt aliquod indicium militet contra ipſam, vt docet *Clar. in loco ſupracitato quæſt. 5.* ex Innoc. & alijs. Sed neque vigore talis indicij poteſt Iudex immediate procedere ad inquirendum de veritate contra eandem perſonam, ad effectum illam puniendi, niſi contra ipſam fama publica loquatur originem habens a perſonis honeſtis fideque dignis, & non a maleuolis vel improbis hominibus, ex *c. Qualiter & quando 24 & c. Inquiſitionis 21. §. Tertio. de accuſat.* Quare habito indicio, capiendæ ſunt primum informationes an ſit fama de illa perſona, idque ea maiori qua fieri poteſt circumſpectione atque prudentia, ne per illam ipſam inquiſitionem de infamia, eiuſdem perſonæ famam cæteroquin integram lędi contingat, atque inde naſcantur iniuriæ vnde iura naſcuntur,

tur, vt dicitur in *c. Qualiter 17. eod.*

8. Quod ſi hoc iuris ordine non ſeruato procederet Iudex, legitime contra ipſum exciperet inquiſitus, & appellationem interponens ea quæ interim à Iudice fierent inualidaret: quamuis ſi pręſens ſit, & nihil excipiat cognoſcens contra ſe nullatenus infamatum inquiri de veritate, proceſſus validus ſit per textum expreſſum in *c. 1. & 2. eod. in 6.* quia ſcilicet in eo caſu cenſetur renunciaſſe iuri ſuo, quod eſt in eius fauorem introductum.

9. Hęc tamen doctrina de neceſſitate infamię præcedentis, intelligenda eſt regulariter & extra caſus exceptos, quales numerantur plures a Doctoribus, vt videre eſt apud *Leſſ. lib. 2. de Iuſt. cap. 29. dub. 15. n. 124. & ſeqq.* Inter reliquos eſt, ſi inquirendum ſit de criminibus, quæ ſint maxime noxia Reip. & ex quibus impendat alijs periculum euerſionis, vt puta de crimine hæreſis, & apoſtaſiæ, in quibus præcedente dumtaxat ſuſpicione aliqua orta ex indicijs non leuibus, inquiritur etiam ſine infamia, vt docet *Nauar. in rubr. de Iudicijs n. 93.* & colligitur ex *c. Excommunicamus 13. §. Adijcimus* in ijs verbis *vel aliquos occulta conuenticula celebrantes, de hæret. & l. Apoſtatarum 4. C. de Apoſtatis:* necnon de crimine læſę maieſtatis, per extrau. Hen-

Henrici VII. Imperatoris, quæ incipit *Ad reprimendum*, & habetur poſt librum Feudorum, iuncta ibid. *Gloſ. v. Inquiſitionem*: & ſic de ſimilibus enormibus delictis, quæ tendunt in graue damnum ſpirituale vel temporale Reip.

10. Item caſus exceptus eſt, vbi inquiſitio non fit ad effectum puniendi delictum, ſed ſolum ad impediendum malum, vt cum agitur de officiorum aut beneficiorum collàtione, de matrimonio contrahendo &c. tunc enim etiam de delictis occultis inquiri poteſt, licet de illis nullus ſit rumor; ita tamen vt eadẽ delicta permaneant quantum fieri poteſt occulta, & parcatur famæ inquiſiti. Vide Nauar. in loco cit. *n 92.*

11. Item alius caſus eſt vbi publica criminis ſuſpicio eſt contra aliquem, licet aliunde non infamatum: quia communis illa ſuſpicio ſupplet vicem infamiæ, vt ibid. docet *Nauar. n. 96.* vt puta ſi dominus inueniatur occiſus, & ignoretur author, inquiritur contra ſeruum ex *l.1. ff. ad S. C. Silanianum*: aut vbi Iudici vel per generalem inquiſitionem, vel per confeſſionem Rei factam in iudicio, vel per denunciationem publici Officialis patefactus eſt author criminis, etiamſi teſtis forte peccauerit aperiendo illud crimen: quia ex quo crimẽ deductum eſt in publicam Iudicis notitiam,

tiam, procedit contra illud Iudex particulariter inquirendo, ex eod. *Nauar. ibid. n.87.* In eiuſmodi enim caſibus interuenit notorium iuris, quod plus eſt quam infamia, cum infamia non probet, ſed tantum accuſet, at notorium ſiue iuris ſiue facti probet ſaltem ſemiplene. Vide *Leſſ. in cit. cap. 29. dubit. 15.*

12. Vbi igitur de alicuius infamia ſatis conſtet, vel vbi aliqua ex ijs circumſtantijs interueniat, pro qua non eſt opus publica infamia præcedente, Iudex illum interrogat de veritate criminis ſi eſt præſens, vt ſi fateatur, illum puniat; ſi neget, vt inquiſitionem contra eum formet: ſi eſt abſens, præcipit vt citetur ad perſonaliter comparendum, etiam (ſi opus ſit) per realem capturam: quia inquiſitio ſpecialis procedit dumtaxat contra præſentem, niſi ſe contumaciter abſentauerit, per textum in c. *Qualiter & quando 24. de accuſat.* vbi inſuper pro legitimo modo proſequendæ inquiſitionis præcipitur, vt inquiſito exponi debeant capitula de quibus erit inquirendum, vt facultatem habeat ſe ipſum defendendi, & non ſolum dicta ſed etiam nomina teſtium ſint ei publicanda, vt quid & a quo ſit dictum appareat, necnõ exceptiones & replicationes legitimæ admittendæ, ne per ſuppreſſionem nominum præbeatur audacia infamandi,

per

per exceptionum autem excluſionem aperiatur occaſio falſum deponendi.

13. Illud autem hac in re diligenter curandum eſt Iudici, vt ad ſententiam damnationis non perueniat, niſi contra inquiſitum de veritate criminis dentur probationes luce meridiana clariores, vt pluries in ſuperioribus indicatum eſt ex *l. Abſentem* 5. *ff. de pœnis* & *l. fin. C. de probationib.* Quare nec de ſuſpicionibus damnari debet inquiſitus, nec de indicijs, quamuis cæteroquin inducentibus violentam præſumptionem: quia quamdiu ſiſtitur intra terminos præſumptionis non habetur certitudo.

14. Hoc tamen intelligendum eſt de damnatione proprie dicta, per quam infligitur pœna crimini correſpondens. Cæterum facultatem Iudicis non excedit, etiam ante plenam probationem criminis, aliquo tormenti genere exercere Reum in ſubſidium probationis, vt videlicet eo tormento mediante ipſe Reus, confitendo veritatem, ſuppleat quod requiritur ad complementum probationis, quale genus tormenti ad illum finem adhibiti vocari ſolet Tortura: quamuis etiam pro ipſa certi ſint fines præſtituti, vt neque in omni circumſtantia, nec ex quolibet commiſſi criminis indicio adhiberi poſſit, vt conſtat ex toto tit. *ff. de quæſtionib.* Primo enim ex

l. Edi-

l. Edictum 8. *ff. eod.* non adhibetur niſi in criminibus grauioribus, quorum pœna ſit mors, vel mutilatio, vel triremes &c. ne alioquin pœna torturæ maior ſit, quam pœna, qua crimen ipſum (ſi probaretur) puniendum eſſet, vt accideret ſi adhiberetur in criminibus leuioribus.

15. Secundò non adhibetur, niſi Reus torqueri poſſit: quia de iure aliqui prohibentur torqueri, vt puta ob ętatem impuberes, hoc eſt qui 14. annos non impleuerunt, *l. de minore* 10. *& l. Ex libero* 15 *ff. eod.* ob debilitatem ſenes, ob periculum abortus mulieres prægnantes, ob priuilegium viri illuſtres aut in dignitate conſtituti, & ſic de reliquis, de quibus *Antonius Gomez. reſolut. to.* 3. *cap.* 13. *n* 3. *& Clar. qu.* 64.

16. Tertio non poteſt ſubijci Reus torturæ, niſi vel fuerit ſemiplene probatum eius crimen, vt puta per depoſitionem vnius teſtis omni exceptione maioris, qui deponat de proprio viſu &c. vel ſaltem niſi ſufficientia indicia militent contra ipſum: quia ex *c. cum in contemplatione* 6. *de reg. iur. in ipſo cauſæ initio non eſt a quæſtionibus* (hoc eſt a tormentis) *inchoandum*.

17. Dixi *ſufficientia indicia*. Iuriſtæ enim quinque gradus indiciorum diſtinguunt, quorum aliqui ſufficiunt, aliqui non ſufficiunt ad torturam, vt videre eſt

apud

apud *Leſſ. lib. 2. de Iuſt. cap. 29. dub. 17.* In primo gradu infimo ſunt leuia, probabilia tamen, quæ de authore criminis probabilem ingerunt ſuſpicionem. In ſecundo gradu ſunt probabiliora, quæ præſumptionem generant. In tertio ſunt indicia grauia, quæ vocantur etiam indicia iuris atque legitima. In quarto ſunt grauiora, quæ ſemiplene probant. In quinto ſunt indicia grauiſſima, quæ etiam appellantur indubitata.

18. Primi & ſecundi gradus indicia non ſufficiunt ad torturam, ſed ſolum ad informationes capiendas, & etiam ad realem capturam perſonæ; ſufficiunt autem indicia grauia & grauiora aliorum graduum: cuiuſmodi ſunt fama publica aliquibus alijs adminiculis iuncta, vt ſi accedat aliquis teſtis minus idoneus: cõfeſſio Rei extraiudicialis probata per duos teſtes omni exceptione maiores: aſſertio duorum vel trium ſociorum criminis, vbi ſuſpicio non eſt illam ex maleuolentia proficiſci; dictum enim vnius ſocij vtpote teſtis minus idonei non ſufficeret, niſi eſſet ſimul coniunctum cum infamia vel graui ſuſpicione; imo nec aſſertio vulnerati in ea vſque ad mortem perſiſtentis, ex *l. ſi quis 3 ff. ad S. C. Silanian.* tum quia non dixit iuratus vt ſolent dicere teſtes, tum etiam quia præſumitur ex offenſione aliqua vel errore dixiſſe.

19. Item

19. Item fuga ſtatim patrato ſcelere inita coniuncta cum fama, vel ſuſpicione communi, ex *l. Lege Cornelia* 25. *ff. eod.* Inimicitia grauis cum alijs indicijs ab ea pendentibus, vt ſi ante minatus eſt, arma parauit, eoque tempore circa illum locũ viſus eſt, quo homicidium eſt commiſſum &c. Inconſtantia & titubatio Rei dum examinatur, ſpectata qualitate perſonæ & cauſæ. Si quis viſus ſit exire cum enſe ſtricto ex aliquo loco, vbi reperiatur aliquis interfectus. Si res ſublata reperiatur apud Inquiſitum, nec docere poſſit vnde eam habeat, ſuppoſito quod ſit perſona vilis & malæ famæ. Demum ſi commiſſo aliquo graui furto, vilis perſona quæ ibi frequenter verſari ſolet, appareat repente diues &c. & ſic de reliquis ſimilibus, quæ ex *Gomez. to.* 3. *cap.* 13. & ex *Clar. qu.* 21. refert. *Leſſ. in cit. cap.* 29. *dub.* 17. & *Azor. p.* 3. *lib.* 13. *cap.* 26.

20. In eiuſmodi autem caſibus à Iure permiſſis ita quæſtio ſeu tortura adhibenda eſt, vt eidem neque ſemper neque numquam ſit fides habenda: nam vt dicitur in *l.* 1. §. *In cauſa tributorum ff. de quæſtion. res eſt fragilis & periculoſa, & quæ veritatem fallat: nam plerique patientia ſiue duritia tormentorum ita tormenta contemnunt, vt exprimi eis veritas nullo modo poſſit alij tanta ſunt impatientia, vt quouis mentiri, quam pati tormenta velint*

& ita fit, vt etiam vario modo fateantur vt non tantum ſe, verum etiam alios criminentur. Inde factum eſt, vt ad damnandum inquiſitum non ſatis ſit eundem in tormento fuiſſe confeſſum crimen, niſi etiã procul a tormento ſuam confeſſionem ratificet: quamuis ſi illam reuocet, poſſit iterum, & etiam tertio quæſtioni ſubijci, non autem vlterius; quia, ne in actu tam odioſo procedatur ſine termino, ſi tertiò tortus tertiò etiam confeſſionem in tormento factam reuocauit, damnari nõ poteſt, imo debet abſolui, vt docet *Gomez. in loco ſupra citato n.27. & Iul. Clar qu.21.n.36.* relatus ab *Azor. in cit.cap.26*

21. Hactenus dicta de non damnando ex indicijs Reo, procedunt potiſſimũ quoad damnationem, per quam imponatur pœna, quæ probato crimine imponeretur. Cæterum ſi indicium aliquod grauiſſimum contra Reum detur, vnde violentiſſima capiatur præſumptio; tunc Reum illum puniri poſſe pœna aliqua extraordinaria minori, prout Iudici videbitur & cauſa poſtulabit, receptum eſſe reſtatur *Clar. ibid. n.40.* vbi etiam addit poſitum eſſe in arbitrio Iudicis, Reum in eo caſu vel graui quæſtioni ſubijcere, vel punire pœna aliqua extraordinaria minori. Item quod dictum eſt, neminem ex indicijs puniri debere pœna criminis ordinaria, intelligendum eſt

extra

extra particulares aliquos caſus à legibus approbatos, quos enumerat *Leſſ. in cit. cap. 29. dub.* 17. in fine.

22. Adde ex æquitate canonica expreſſa in *c. Inquiſitionis* 21. §. 1. *de accuſationibus*, inquiſitum atque conuictum, non ſemper puniendum neceſſario eſſe illa pœna canonica, qua puniretur, ſi fuiſſet criminaliter accuſatus atque conuictus. Diſtinguitur enim ibi, vtrum crimen de quo aliquis inquiſitus, & conuictus eſt, ſit talis generis, vt impediat executionem ſuſcepti ordinis aut retentionē beneficij etiam poſt peractam pœnitentiam, quale eſt v. g. crimen homicidij vtpote irregularitatem inducens, aut ſimonia commiſſa in aſſecutione Ordinis ſeu beneficij; vel vtrum ſit talis generis vt poſt peractam pœnitentiam non impediat Ordinis executionem aut retentionem beneficij. In primò caſu inquiſitus & conuictus puniendus eſt eadem pœna canonica, qua puniretur, ſi contra ipſum proceſſum eſſet per criminalem accuſationem, videlicet depoſitione, cum ſit canonice inhabilis ad illud officium vel beneficium. At in ſecundo caſu poteſt iudicantis diſcretio moderari pœnam ſecundum perſonæ merita & qualitatem exceſſus. Rationem aſſignat Panor. ibid. quia in iudicio inquiſitionis proceditur ſine accuſatore: cum ergo

Reus-

Reus in vno grauetur, æquum eſt in alio releuari, & ſic mitiorem pœnam ei imponi.

23. Demum quod attinet ad inquiſitionem *mixtam*, quam diximus eſſe tertiam ſpeciem inquiſitionis, nihil fere difficultatis eſt, ſuppoſitis ijs quæ dicta ſunt tum circa inquiſitionem generalem, tum circa ſpecialem, ex quibus illa veluti componitur. Illud tamen in controuerſiam vertitur circa ipſam a Doctoribus vtrum de delicto particulari certo ac publico, cuius author ignoratur, licitum ſit Iudici generaliter inquirere contra perſonas, quis illud fecerit, quamuis cæteroquin de eiuſdem criminis authore nulla ſit infamia, nullum indicium?

24. In hac controuerſia quamuis aliqui Theologi (quos citat *Leſſ. in cit c.29. dub.14. n.113.*) ſenſerint id non eſſe licitum, eo argumento ducti, quod iuxta Sacros Canones per inquiſitionem non procedatur, niſi de authore ſit fama, vel ſaltem indicia, ex *c. qualiter & quando 24. c. Inquiſitionis 21. & c. Cum oporteat. 19. de accuſat.* attamen recepta praxis in foro Eccleſiaſtico & ſæculari contrarium ſuadere videtur, dummodo inquiratur in genere, quis delictum fecerit? non autem in particulari, an illud fecerit Petrus, niſi de eo ſit aliqua fama, vel indicia, de quo videtur ſermo eſſe

in citatis iuribus. Huc etiam facit ratio qua probauimus, pro inquiſitione omnino generali non eſſe opus infamia vel indicijs præcedentibus: quia videlicet niſi tales inquiſitiones fierent, grauiſſima ſequerentur in Remp. incommoda, & aliunde ex eiuſmodi inquiſitionibus nemini fit iniuria, cum contra neminem in particulari inquiratur, atque ita hanc ſententiam docet *Innoc. in c. bonæ 23. de elect. n. 5. Leſſ. cit. cap. 29. dub. 14. Farinac. in praxi crim. p. 1. lib. 1. de inquiſit. tit. 1. q. 9. n. 18.* aliique plures.

25. Per eiuſmodi autem inquiſitiones via Iudici aperitur ad inquiſitionem ſpecialem: nam primo interrogat eos, quos putat eſſe de criminis authore non ignaros, an ſciant quis illud commiſerit? Quod ſi omnes dicant ſe neſcire, tunc interrogat eos generaliter de fama: an ſit aliquis de eo infamatus? & ſi ex eiuſmodi informationibus reſultet ſuſpicio vel indicium probabile contra aliquem; tunc incipit ſpecialiter inquirere contra ipſum, ſumendo ſpeciales informationes &c. vt tradit *Clar. in praxi crim. §. fin. qu. 5. n. 5. & Azor. p. 3. lib. 13. cap. 26.* poſt principium.

TIT.

TIT. IV.

De exceptionibus criminum.

1. DVobus potiſſimum modis opponi crimen contra aliquē poteſt, & Iudici manifeſtari: primò, quaſi per modum actionis: ſecundo, per modum exceptionis, ſeu ad ſe defendendum repellendo Aduerſarij intentionē. Cum igitur in præcedentibus titulis dictum fuerit de primo modo opponendi qui per accuſationem ſeu denunciationem inſtituitur; ſequitur vt de altero breuiter diſſeramus.

2. Nomine exceptionis in genere quid intelligatur, patet ex dictis lib. præced. in ſpeciali rubr. *de except ionibus* vbi illam definiuimus *Actionis vel intentionis excluſionem*. Exceptio igitur criminis tunc fieri dicenda eſt, quando quis crimen contra aliquem obijcit ad repellendam eius actionem vel intentionem, vt puta ſi aliquis contra te Teſtis aut Accuſator accedat; tu autem illum repellas opponendo illi tale crimen, propter quod redditur inhabilis ad accuſandum vel teſtificandum.

3. Ex hac natura exceptionis efficitur, quemlibet ad excipiendum de crimine admitti poſſe, etiam criminoſum,

qui cæteroquin ſit inhabilis ad accuſandum vel teſtificandum, vt colligitur ex *c. Omnibus 2. 4. q. 6.* quia nemini ius ſuũ proſequenti obſtat criminis exceptio, niſi aliunde ex cauſa aliqua ſit ſuſpectus, & ea quæ neceſſariæ defenſionis ſunt, nemini denegantur, *c. ſignificauerunt 11. de exceptionib.*

4. Quod autem attinet ad particulares leges, quibus regulanda eſt exceptio de criminibus; illud prę reliquis attendi debet, vtrum crimen deducatur in iudicium per exceptionem criminaliter; vtrum ciuiliter, de qua diuiſione ſermo eſt apud *Abb. in c. ſuper his 16. de accuſat. n.4.* Primum contingeret, ſi de crimine exciperetur ad vindictam publicam, & vt crimen puniatur pœna debita & naturali: alterum, ſi exciperetur de crimine ad priuatum commodum ſeu intereſſe excipientis. In primo caſu exceptio illa vim quoque habet accuſationis, quæ de natura ſua tendit ad pœnam ſeu vindictam publicam: vnde fit, quod ſicut accuſatio, ita & eiuſmodi exceptio tractari non poſſit per procuratorem, vt deſumitur a contrario ſenſu ex eod. *c. ſuper his;* ac præterea cætera ſeruanda ſint, quæ in iudicio accuſationis ſeruari debẽt cui talis exceptio, quæ ad puniendum tendit, æquiparatur, vt docet *Clar. in praxi crimin. §. fin. qu. 19. n. 2. & 3. & qu. 32. n. 22.*

5 In

5. In ſecundo caſu ſiſtitur intra limites puræ exceptionis, pro qua diſtinguendum etiam eſt, quare opponatur, & quando? vt diſtinguitur in eod. *c. ſuper his*. Vel enim obijcitur præciſe, vt ab accuſatione vel teſtificatione aliquis repellatur: vel opponitur, vt quis excludatur a promotione officij vel beneficij. Si opponitur ſolum ad repellendum accuſatorem ab accuſatione, vel Teſtem a teſtificatione tamquam criminoſum inhabilem; tunc opus non eſt, vt ita excipiens ſe inſcribat ad pœnam pro caſu, in quo non probauerit crimen exceptum, ex eod. *c. ſuper his*; quinimo etiam poſtquam probatum fuerit idem crimen, non propterea ferri poteſt ſententia condēnatoria criminalis contra conuictum, quia de hoc non fuit actum: niſi per nobile Iudicis officium contra eundem conuictum alia inquiſitio, aliuſque proceſſus inſtituatur. Huc faciunt ea quæ diximus *lib. præced. tit. de ſententia & re iudicata*, vbi viſum eſt, ſententiam ferri debere conformiter ad petitionem libelli, & ad genus actionis in ipſo propoſitum, ex *l. vt fundus* 18 *ff. commun. diuidun.*

6. Si autem exceptio criminis opponitur vt quis excludatur a promotione officij vel beneficij (ad quod genus exceptionis admittūtur omnes illi, quorum intereſt ne ille ad officium vel be-

neficium promoueatur, vt puta omnes ſubditi ſeu Diœceſani admittuntur ad excipiendum contra Electum in Epiſcopum, omnes Parochiani contra promouendum ad Eccleſiam Curatam, &c. quia cuiuslibet intereſt habere Paſtorem legitimis qualitatibus exornatum, vt notat. *Abb. in cit. c. Super his n. 10. & Hoſt. ibid.*) ſi inquam ad excludendam eiuſmodi promotionem exceptio criminis fiat; tunc iterum *ex eod. c. Super his* diſtinguendum eſt, vtrum ea exceptio opponatur ante confirmationem, vel poſt confirmationem.

7. Si ante confirmationem, vt cum ille, contra quem excipitur, electus eſt, ſed nondum eius electio confirmata; tunc excipiens de crimine non ſe inſcribit: at excipiens poſt confirmationem, cum ſcilicet ordinandus fuerit aliquis, aut etiam conſecrandus; tunc ad extraordinariam pœnam ſecundùm arbitrium Iudicis diſcreti citra vinculum inſcriptionis eſt excipiens adſtringendus, ſi defecerit in probando. Ratio diſparitatis indicatur ibidem: quia maioris damni eſt exceptio contra confirmatum, quam contra præciſe Electum. Exceptio enim contra Confirmatum, cum probata fuerit, non ſolum impedit ipſum ab Ordinatione vel conſecratione, ſed etiam in conſequentiam priuat iure

Digitized by Google

iure antecedenter acquiſito per confirmationem, propter connexionem vtriuſque, vt docet *Abb. ibid. n.* 2. At exceptio contra præciſe Electum, ratione connexionis, priuat dumtaxat iure antecedenter acquiſito per Electionem: maioris autem damni eſt priuari iure per confirmationem, quam iure per Electionem acquiſito, cum primum ſit ius in re, alterum autem ius ad rem.

TIT. V.

De Simonia.

1. DIctum eſt in præcedentibus titulis de cauſis in genere, quæ ſuper criminibus in iudicio proponuntur: conſequens eſt vt de ipſis criminibus diſtinctius, ſed tamen breuiter videamus, initio facto a grauioribus, quæ ſolum Deum principaliter offendunt, qualia ſunt Simonia, hæreſis, Apoſtaſia &c. dicturi quoq. poſtea de ijs, quæ etiam hominibus læſionem inferūt, qualia ſunt homicidiū, furtum vſura &c.

2. Inter delicta primi generis deteſtandæ prauitatis eſt Simonia, quæ nonnnmquam in ſacris Canonibus appellatur hæreſis, vt in *c. fin.* 1. *q.* 7. & *c. Quotiens* 5. *de Simon.* quia Simoniacus vendendo rem ſpiritualem, & Sacram, vel ſpeculatiue putat ipſam eſſe vena-

lem, vel ſaltem ita operatur ac ſi putaret ipſam eſſe venalem, quod eſt vel eſſe hæreticum, vel ita operari vt operaretur hæreticus.

3. Eſt enim Simonia *ſtudioſa cupiditas ſeu voluntas emendi vel vendendi aliquid ſpiritua le vel ſpirituali annexum*, vt definitur communiter a Theologis, & Canoniſtis poſt *Gloſ. in* 1. *q.* 1. ad initium, eoque nomine appellatur a Simone Mago, qui primus in nouo Teſtamento legitur huius ſceleris reus extitiſſe, vt videre eſt in *cap.* 8. *Act. Apoſt.* Dicitur *ſtudioſa voluntas*, hoc eſt ex electione & deliberatione. Dicitur *emendi vel vendendi*, per quæ verba intelligitur omnis contractus non gratuitus, ideſt quo res aliqua pretio æſtimabilis detur tamquam compenſatio pro re ſpirituali, ſiue detur pecunia, ſiue aliquod pecunia æſtimabile, quod reduci ſolet vel ad munus a manu, vel ad munus ab obſequio, vel ad munus a lingua, ex *c. Sunt nonnulli* 114 1. *q.* 1.

4. Simoniæ ſpecies multiplex eſt. Alia enim eſt Simonia mentalis, alia conuentionalis, alia realis. Simonia mentalis de qua iura loquuntur & quæ Eccleſiaſticis etiam pœnis ſubijci poteſt non eſt ſola interna voluntas committendi ſimoniam, vt præciſa ab omni opere externo: actus enim pu-

re

re internus humanis legibus non punitur, ex *l. Cogitationis* 18. *ff. de pœnis*, quæ eſt translata in Decretum a Gratiano *cap. Cogitationis* 14. *de pœnit. diſt.* 1. ſed eſt voluntas prorumpens in aliquem actum externum, non tamen de ſe manifeſtatiuum prauæ voluntatis, vt ſi quis rem ſpiritualem velut ex iuſtitia debitam pro aliquo temporali det aut accipiat, non interueniente vlla conuentione vel pacto expreſſo, aut tacito: quæ intentio ſi exterius probari, aut legitime præſumi non poſſit, non habet Iudicem humanum punitorem, ſed ſolum Deum. Sumuntur hæc eſt *c. Tua nos*. 34. *& c. fin. de Sim.* Videri poteſt *S. Tho.* 2. 2. *qu.* 100.

5. Simonia conuentionalis dicitur quoties interuenit pactum tacitum vel expreſſum verbis, aut alijs ſignis exterius manifeſtatum, nondum tamen executioni mandatum. Hæc ſimoniæ ſpecies, quoad contractum, de ſe perfecta eſt, licet quoad effectum vel vſum nondum fuerit conſummata, eo ſimili modo quo *Inſtit. de empt. & vendit.* §. 1. dicitur contracta atque perfecta emptio & venditio, ſimul atque de pretio convenerit, quamuis nondum pretium numeratum ſit, ac neque arrha data fuerit.

6. Demum ſimonia realis vocatur, quando pactum ipſum eſt executioni

mandatum, per traditionem rei ſpiritualis, & per traditionem pretij temporalis pro ipſa; adeoque idem eſt ac Simonia conuentionalis conſummata. Quod ſi vnius tantum tantum rei ſit facta traditio, puta vel ſolius rei ſpiritualis, vel ſolius pretij, nondum autem vtriuſque; in tali caſu dicitur Simonia mixta, quia aliquid participat de Simonia conuentionali, quatenus vna traditio facta non eſt; & etiam aliquid participat de reali, quatenus alia traditio facta eſt.

7. Diuiditur etiam ſimonia in eam quæ eſt iuris Diuini & naturalis, & in eam quæ eſt iuris humani & Eccleſiaſtici. Simonia iuris Diuini, & naturalis dicitur quando aliqua res de ſe ſpiritualis venditur aut emitur, vt puta ſi quis Sacramenta venderet, aut Calicem conſecratum pluris ob benedictionem, & ſic de reliquis. Simonia iuris Eccleſiaſtici eſt, quæ malitiam ſimoniæ habet immediate ex vi prohitionis Eccleſiæ vetantis venditionem aut pactum oneroſum circa talem rem intuitu religionis ſeu reuerentiæ debitæ rebus ſacris; ita vt talis venditio talem malitiam non haberet, ſecluſa Eccleſiæ prohibitione, etiamſi res eſſet æque ſacra, ſicut nunc eſt. Huius generis eſſe cenſetur permutatio beneficiorum facta ſine authoritate Superioris, vtpote prohibita per

Sa-

Sacros Canones intuitu religionis in *c. Quæſitum. 5. de rerum permutat.* alijſque iuribus, qualis permutatio malitiam ſimoniæ non haberet ſecluſa Eccleſiæ prohibitione, quia non eſt permutatio temporalis cum ſpirituali, ſed vnius ſpiritualis cum alio ſpirituali. Idem dic de venditione quarundam rerum aliquid temporalitatis habentium, ratione cuius poſſent abſque ſimonia vendi, niſi hoc eſſet ab Eccleſia prohibitum, ex motiuo religionis quia annexam habent aliquam conſecrationem vel ſpiritualitatem, qualia ſunt Sacrum Oleum, vel Chriſma, quæ vendi prohibentur in *c. Non ſatis* 8. *de Simon.* & quædam officia temporalia ordinata ad temporalium rerum Eccleſiæ adminiſtrationem, quæ cum ſaltem remote ordinentur ad finem ſpiritualem, prohibētur pariter vendi in *c. Saluator.* 8. *&* *c. Si quis Epiſcopus* 3. 1 *q.* 3.

8. Ad idem genus ſimoniæ iuris Eccleſiaſtici, reducitur ſimonia illa quæ dicitur *confidentialis*, atque committitur, cum quis alicui reſignat, vel aliter procurat beneficium, eligendo illum, vel confirmando, vel inſtituendo, vel in commendam dando &c. cum certa confidentia, ſeu cum pacto expreſſo, vel tacito acquirendi, ſeu recuperandi ſibi, vel alteri idem beneficium pro aliquibus circumſtantijs, vt ſi quis beneficium

reſignaret retento ſibi vel alteri iure regreſſus, ingreſſus, vel acceſſus ad idem beneficium, aut reſeruata penſione annua, aliaue parte fructuum ſine legitima authoritate Superioris, de quibus ſupra diximus in *lib.* 1. *tit. de renunciat.* Hæc enim prohibita ſunt tùm a *Trid. ſeſs.* 25. *de refor.cap.* 7. tùm recentiùs à Pio IV. in Conſtit.85.quæ incipit *Romanum Pontificem*, & à B. Pio V. in Conſt. 85. quæ incipit *Intolerabilis*.

9. Vt igitur pro Inſtitutionum breuitate rem ſatis amplam paucis amplectamur, materia ſimoniæ eſt omnis res ſpiritualis, & ſacra, quæ ordinata ſit ad ſpiritualem ſalutem, vel ex natura ſua, vel ex inſtitutione Diuina, aut Eccleſiaſtica, vnde prohibita ſit vendi aut alio contractu oneroſo permutari, ex motiuo religionis. In tali genere rerum inuendibilium ſunt principaliter res ſupernaturales, ſiue tales ſint *eſſentialiter*, quales ſunt gratia, dona Spiritus Sancti, Sacramenta, vt eſt communis doctrina, quę ſumitur ex *c. eos qui* 21. 1. *q.* 1. *& c. ſicut pro certo* 29. *de ſimon.* ſiue ſupernaturales ſint *cauſaliter*, qualia ſunt Sacramentalia, ſeu ſacrę ceremoniæ pro adminiſtratione Sacramentorum, & Miſſæ ſacrificio ab Eccleſia inſtitutæ, ex *c. cum in Eccleſiæ* 9. *eod.* Siue tales ſint *conſequenter*, vt ſunt omnes actus poteſta-

ſtatis ſupernaturalis, ſiue Ordinis, ſiue iuriſdictionis, cum ſupernaturales ſint tam ex parte principij, quam ex parte finis, vt colligitur ex S. *Th.2.2. qu.* 100. *art.5.* & tradunt Canoniſtę in *c.conſulere 38.de ſimon.vbi Abb.n.* 3. atque etiam ſumitur ex *c.ad noſtram* 21. *eod.* vbi generatim prohibetur ne pro miniſterio Eccleſiaſtico exercendo pretium exigatur.

10. Secundo loco ſub materia ſimoniæ veniunt res ſpiritualibus annexæ. Et primò ſi ſint *concomitanter* annexæ, vt ſunt corporales illæ actiones, quæ per ſe, & neceſſariò exercentur in adminiſtratione Sacramentorum, in recitatione Officij &c. iuxta communem ſententiam ſunt materia ſimonię, & pro ijs non poteſt quidquam temporale dari tamquam pretium, & compenſatio, vt docet *S.Th.in 4 diſt.25.q.3.art.* 2. *qu.* 2. *Suar.lib.4 de ſim.cap.21.n.5 & ſeqq.Abb. in c.ſuam 29.de ſim.n.4.* alijque communiter. Dixi *tamquam pretium, & compenſatio*: nam poſſe aliquid dari titulo neceſſarię ſuſtentationis, & ſtipendij, docet S.Th. ab omnibus receptus 2. 2. *qu.* 100.*art.* 2. & oſtendit praxis Eccleſiæ, atque etiam colligi poteſt ex *c. Clerici* 10.*d.q.*2.

11. Item ſi res ſint *conſequenter* annexæ ſpiritualibus, cuiuſmodi ſunt Ec-

cleſiaſtica beneficia, videlicet iura perpetua percipiendi fructus ex bonis Eccleſiæ propter aliquod ſpirituale miniſterium, ſunt etiam materia ſimoniæ, idque non ſolum quoad ius ſpirituale ordinatum ad præſtanda ſpiritualia miniſteria, quod eſt de Iure Diuino inuendibile; ſed etiam quoad ius percipiendi redditus Eccleſiaſticos, quod quamuis ſecundum ſe ſpectatum ſit aliquid temporale, attamen quatenus titulo ſpirituali annexum eſt, quandam ſpiritualitatem participat, ideoque ſine labe ſimoniaca pro illo pecunia, vel aliud temporale dari aut accipi non poteſt, vt conſtat ex *c. Tua nos* 34. *de ſim. c. fin. de pactis*, alijſque iuribus, in quibus omnis pactio ſeu contractus onerofus circa beneficia prohibetur, atque præcipitur vt abſolute, & ſimpliciter conferantur. Deſumitur etiam ex *c. ſi quis obiecerit* 7. 1. *q.* 3. vbi etiam ea adijcitur generalis ratio, quod *quiſquis horum alterum vendit, ſine quo nec alterum prouenit: neutrum inuenditum derelinquit.* Quidquid demum ſit, vtrum ea beneficia ſint materia ſimoniæ Iuris Diuini, & naturalis, an dumtaxat ſimoniæ Iuris Eccleſiaſtici, quæ eſt quæſtio à Theologis, & Canoniſtis agitata, vt videre eſt apud *Suar. lib.* 4. *de ſimon. cap.* 24.

12. Item ſi res ſint *antecedenter* anne-

nexæ ſpiritualibus, ideſt quę ſecundum ſe antecedunt ſpiritualitatem, in quo genere ſunt vaſa ſacra, veſtes &c. ſine ſimonia amplius vendi non poſſunt habita ratione conſecrationis aut benedictionis, itaut eius intuitu maius pro ipſis pretiū exigatur. Vtrum autem vendi ſaltē poſſint ſolū ratione materiæ, & ita vt nulla pars pretij pro conſecratione aut benedictione ſoluatur, eſt cōtrouerſia inter Doctores, in qua plerique Canoniſtæ aſſerunt, res eiuſmodi, poſtquā ſemel cōſecratæ aut benedictę ſunt, etiam ratione ſolius materiæ, amplius vendi non poſſe, vt teſtatur *Suar. lib. 4. de ſim. cap. 14. n. 5.* Alij è contra, inter quos idem *Suar. in eod. cap. 14. Caſtrop. de ſim. diſp. 3. puncto 8. n. 2.* alijque ab ipſis relati, poſt *D. Th. 2. 2. qu.* 100. *art. 4. ad* 1 *2. & 3.* & clarius *in 4 diſt. 25. qu. 3 art. 2. qu. 3.* indicāt, eiuſmodi res ſpectato ſolo iure naturali, & ſecluſa Eccleſiæ prohibitione, poſſe vendi ſecundùm ſe ſpectatas ratione materiæ, modò carius non vendantur ratione conſecrationis aut benedictionis: vbi tamen addit D. Th. quod ſi aliquid eiuſmodi vendendum eſſet hominibus profanis, ſeu ad vſum profanum, deberet prius confringi. Dicunt *ſecluſa Eccleſiæ prohibitione*, quia dantur aliqua antecedenter annexa ſpiritualibus, quorum venditio eſt expreſſe prohibita ab Ec-

Eccleſia, vt ſupra indicauimus in hoc titulo *n. 9.*

13. Pœnæ de iure Canonico ſtatutę contra Simoniacos plurimæ ſunt, quę tamen nec ad quamlibet ſimoniæ ſpeciem extenduntur, nec ſemper incurruntur ipſo facto, cum nonnunquam ſint ferendæ per ſententiam Iudicis. Primo enim nulla pœna iuris incurritur propter ſimoniam pure mentalem, vt indicauimus ſupra, & docent communiter Doctores ex *c. fin. de ſimon.* Idque etiamſi voluntas ſimoniaca in aliquem actum externum proruperit, non tamen de ſe manifeſtatiuum ſimoniacæ prauitatis iuxta explicationem quam dedimus ſupra *n. 6* quamuis valde probabile ſit poſſe tale factum per Eccleſiam puniri, vt docet *Suar. lib 4. de ſim. cap.* 55 *n.* 10.

14. Secundò, nec per Simoniam pure conuentionalem incurritur ipſo facto vlla pœna iuris lata contra ſimoniacos, vt late probat idem *Suar. in eod. c.* 55 *a n.* 11. quia iura ipſo facto punientia Simoniam non vtuntur verbis ſignificantibus ſolas conuentiones ſimoniacas, ſed dationes, vel receptiones ex talibus conuentionibus procedentes, vt videre eſt tum apud Gratianum in pluribus textibus 1. q. 1. nec non 1. q. 3 tum in Decretalibus ſub titulo *de ſim.* tum præſertim in *extrau. 2, eod.* qui textus eſt

præ-

prçcipuus inter omnes, qui de pœnis ſimoniacorum loquuntur.

15. Tertiò, neque per ſimoniam mixtam, in qua ſoluta ſit pecunia, donec traditum quoque ſit ſpirituale, incurri ipſo facto pœnas à Iure latas contra ſimoniacos, docent paſſim Doctores, teſte *Suar. eod. c. 55. n. 16. & Guttier. Canon. quæſt. lib. 1. cap. 9. n. 8.* Vtrum autem idem iuris procedat quoque in ſimonia mixta, in qua ſpirituale collatum ſit, nondum tamen pecunia promiſſa perſoluta, controuertitur inter Doctores alijs aſſerentibus non incurri ipſo facto Eccleſiaſticas pœnas à iure latas, donec pretium quoque ſolutum ſit; alijs contra ſentientibus in eo caſu incurri ipſo facto eaſdem pœnas etiam ante pretij ſolutionem, vt videre eſt apud *Garz. de benef. p. 8. cap. 1. Suar. cap. 56. n. 25. Caſtrop de ſim. diſp. 3. puncto 22. n 5.* vbi pluribus iuribus hanc ſententiam probat. Illud tamen extra controuerſiam eſt, in ſimonia confidentiali ſatis eſſe ad incurrendas Eccleſiaſticas pœnas, quod beneficium ab vno ſit datum & ab alio receptum in confidentiam, licet accipiens viciſſim ſuam promiſſionem nondum impleuerit, puta penſionem nondum ſoluerit, vt patet ex ſupracitatis Bullis Pij IV. & B. Pij V. de quibus diximus *n. 8.*

16. Quod

16. Quod autem attinet in particulari ad ipſas Eccleſiaſticas pœnas à Iure canonico latas contra Simoniacos, notandum eſt triplicem potiſſimum Simoniȩ ſpeciem pœnis ipſo facto incurrendis puniri per Sacros Canones, quarum vna eſt quȩ committitur in collatione Ordinis, altera quȩ in collatione beneficij, tertia quæ in Religionis ingreſſu.

17. Primo itaque ſi ſimonia committatur in collatione Ordinis, incurritur ipſo facto excommunicatio Sedi Apoſtolicæ reſeruata tam ab Ordinante quam ab Ordinato, imo & ab ijs, qui quod illa fiat mediatores extiterint, ſeu procurauerint, ex *extrau. 2. de ſim. inter comm.* Sub hac lege comprehendi quoque primam Tonſuram docet *Suar. cit. cap. 56. n. 5.* & *Laim. lib. 4. Theol. mor. tract. 10. cap. vlt. §. 7. num. 71.* alijque cum ipſis Addit *Nauar. lib. 5. conſ. 59. de ſim. Auila par. 3. de cenſ. diſp. 5. dub. 9. & Laim. cit. loco*, etiam ſimoniam commiſſam in Reuerendis ſeu dimiſſorijs cenſeri commiſſam in Ordine, ad quem ordinantur tamquam media.

18. Præterea ſimoniace Ordinans, ſpectato iure communi Decretalium eſt ipſo facto ſuſpenſus a collatione omniũ Ordinum ſaltem per triennium: Ordinatus autem per talem ſimoniam ſuſpenſus

eſt

eſt ab ordine ſic ſuſcepto, donec diſpenſationem ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam obtinere meruerit, vt patet ex *c. penult. de ſim.* Dixi *ſpectato iure communi decretalium* Attentis enim recentioribus iuribus. amplius etiam extenditur pœna iſta ſuſpenſionis. Nam quod attinet ad ſimoniace ordinantem, generaliter decernitur in *Conſtit. 91. Sixti V.* quæ incipit *Sanctum & ſalutare*, vt ſit eo ipſo ſuſpenſus a quorumcumque ordinum, atque adeo ipſius Tonſuræ, & ab executione omnium munerum Pontificalium, & ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus exiſtat, alijſque grauioribus pœnis pro tempore exiſtentis Rom. Pontificis arbitrio puniatur. Quod autem attinet ad ſimoniace ordinatum, docent communiter Doctores ordinatum ſuſpendi non ſolum ab ordine ſic ſuſcepto, ſed etiam ab alijs omnibus ordinibus, quos habet, quia in *extrau. 2. de ſim. inter comm.* dicitur generaliter, quod omnes illi, qui ſimoniacè ordinati fuerint, *a ſuorum ſint Ordinum executione ſuſpenſi.* Ita *Suar. de cenſ. diſp. 31. ſect. 4. n. 33.* Adde & tempus ſuſpenſionis ita ordinati prorogatum fuiſſe vſque ad decennium ſine ſpe diſpenſationis a *B. Pio V conſt. 5.* quæ incipit *Cum primum*.

19. Alia etiam plura decreta ſunt contra ſimoniam quæ cõmittatur in colla-

latione vel ſuſceptione Ordinis, quæ videri poſſunt in cit. *Bulla 5. B. Pij V. Cum primum*, & in cit. *Bulla 91. Sixti V. Sanctum & ſalutare*, quam Bullam etſi Clemens VIII. in ſua Conſt. 40. *Romanum*, reduxerit ad terminos Sacrorum Canonum, & Conſtitutionis 7. Pij II. & Cōcilij Trid. attamen quoad pœnas ſimoniacorum illàm confirmauit.

20. Altera ſpecies ſimoniæ ſpecialiter punita pèr Sacros Canones pœnis ipſo facto incurrendis, eſt quæ committitur circa beneficia. Primò igitur ſi quis ſimoniace conferat vel procuret alteri beneficium ſeu officium Eccleſiaſticum, media electione, poſtulatione, confirmatione, prouiſione, ſeu quauis alia diſpoſitione, eſt ipſo facto excommunicatus excommunicatione reſeruata Summo Pontifici, quemadmodum excommunicatus etiam eſt, qui ita ſimoniace receperit beneficium aut officium Eccleſiaſticum, necnon qui mediatores extiterint ſeu procurauerint, quod ſimonia committatur, ex cit. *extrau. 2. de ſim.*

21. Præterea *ex cad. extrau.* ſi ſimoniace fiat prouiſio & collatio beneficij, eſt irrita & nulla, vnde per eiuſmodi prouiſionem ius nullatenus acquiritur, & ſic recipiens beneficium non facit fructus ſuos, ſed ad illorum omnium, quos percepit, reſtitutionem ſub animæ ſuæ pe-

periculo adſtrictus eſt. Idque procedit etiamſi ſimonia commiſſa fuerit ab aliquo tertio, & beneficium recipiens illam ſciuerit & non contradixerit, vt ſumitur ex *c ſicut tuis 33. de ſim.* Quod ſi contradixerit, & hoc non obſtante, ante collationem beneficij ſciat pecuniam datam eſſe, neque tunc poteſt acceptare beneficium, quia ad illud effectus eſt inhabilis vt colligitur ex *c. penult. de elect.* Si demum neque ſciuerit neque contradixerit eo quod nullam ſuſpicionem habuit de ſimonia a tertio commiſſa; tunc diſtinguendum eſt: vel enim ea ſimonia commiſſa fuit in odium beneficiati, puta ad effectum vt beneficio poſtea priuari debeat titulo ſimoniæ: vel ea ſimonia commiſſa fuit in fauorem beneficiati, ab amico vel conſanguineo. Si ſimonia commiſſa fuerit a tertio in odium beneficiati, qui illam penitus neſciens receperit beneficium, collatio beneficij valida eſt ex cit. *c. ſicut tuis*, quia dolus & fraus nemini patrocinari debet: ſi autem amicus ignorante beneficiato pecuniam dederit; tunc beneficiatus ſimulac id cognoſcat, tenetur dimittere beneficium eiuſque fructus, vt colligitur ex eod. *c. ſicut tuis* & ex cit *c. penult. de elect.* vbi etiam dicitur, non poſſe Epiſcopum diſpenſare ſuper prælatura, quæ per ſimoniam collata fuerit etiam ignorante beneficiato

quam-

quamuis circa eum qui ignoranter recipit ſimplex beneficium per ſimoniacam prauitatem, poſt liberam reſignationem, Epiſcopi diſpenſatio toleretur.

22. Quod attinet ſpeciales pœnas, quibus particulariter punitur ſimonia confidentialis, videri poteſt in Bullis Pij IV. & B. Pij V. quas citauimus *n.* 8.

23. Tertia ſpecies ſimoniæ, quæ per Sacros Canones Eccleſiaſticis pœnis ipſo facto punitur, eſt quę committitur in Religionis ingreſſu, de qua ſermo eſt in *extrau.* 1. *de ſim. inter comm.* Si enim pecunia aut aliud temporale detur, non pro ſuſtentatione ingredientis, pro qua eſt conſuetudo dandi dotem in pluribus Monaſterijs Monialium vbi præſertim Monaſterium ſit tenue, ſed pro ipſo Religionis ingreſſu, incurritur excommunicatio Sedi Apoſtolicæ reſeruata, tam a dantibus quam a recipientibus: niſi tamen aliquid ab ingredientibus detur pure & ſponte & plena liberalitate, omnique pactione ceſſante, in quo caſu poteſt illud recipi licite cum gratiarum actione iuxta textum in *ead. extrau.* Quod ſi prædicta ſimoniaca exactio pretij temporalis pro Religionis ingreſſu committatur a Capitulo vel Conuentu, incurritur ab eodem pœna ſuſpenſionis reſeruata Sedi Apoſtolicæ, ex *ead. extrau.*

24. Preterea ſi quis ita fuerit ſimoniace

niace in Religionem admiſſus, indiget diſpenſatione ad hoc vt poſſit in eodem Monaſterio remanere, vt colligitur ex *ead. extrau* quamuis cæteroquin eius profeſſio ſit valida iuxta omnes Doctores teſte *Suar. lib. 4. de ſim. cap* 57. *n* 7. Vnde non habita diſpenſatione deberet ex illo Monaſterio expelli quod ſimoniace eſt ingreſſus, & in loco arctioris regulæ ad agendum perpetuam pœnitétiam collocari, vt ſtatuitur in *c. Quoniam* 40. *de ſimon. & c. De regularibus* 25. *eod.* Vtrum autem hæc pœna quaſi relegationis a Monaſterio ſit pœna latæ ſententiæ vel ferendæ, videri poteſt examinatum ab eod. *Suar. in cit. cap.*57. *n.*8.

25. Pro alijs Simoniæ ſpeciebus, hoc eſt quæ neque committantur circa Ordines, neque circa beneficia, neque circa Religionis ingreſſum, docent plures Doctores apud eundem *Suar. cap.* 55. *n.*5. ex parte materiæ nullas eſſe pœnas ipſo iure latas ſeu quæ de facto incurrantur, ſed dumtaxat eſſe ferendas a Iudice pro criminis qualitate: quamuis non deſint qui oppoſitum ſentiant, prædictas ſcilicet pœnas excommunicationis &c. ipſo facto incurri a quolibet ſimoniaco, inter quos ita ſentientes citatur *Garz.* 8. *p. de beneficijs cap.* 1.

26. Circa pœnas a Iudice contra ſimoniacos ferendas vna certa regula præſ-

præſcribi non poteſt, cum ferendæ ſint pro criminis qualitate. Generaliter tamen ex ſtatuto Iuris aliquæ pœnæ veniunt imponendæ, inter quas recenſetur depoſitio ab officio, & beneficio ex *c. Cum ſuper* 2. *dè confeſſis c. ſicut* 6. *de ſim.* & *c. Erga ſimoniacos* 111. 1. *q.* 1. Item infamia, quæ pro quacumque graui ſimonia imponi debet ex *c. vlt.* 1. *q* 3. Videri poteſt *Hoſt. in Sum. tit. de ſimon.* §. *qua pœna feriatur.*

27. Iudex competens Simoniæ eſt ſolus Iudex Eccleſiaſticus, etiamſi laicus ſit ſimoniacus, vt docet *Gloſ* communiter recepta in *c. cum ſit* 8. *de foro compet. v. Malefactores*; & ad illam accuſandam quilibet Catholicus admittitur, etiam ſeruus contra dominum, & quilibet criminoſus, ex *c. ſi Dominus* 3. & *c. tanta eſt* 7. *de ſimon.* Quinimo in ſupracitata *extrau.* 2. *de ſim. inter comm.* omnibus generaliter diſtrictius præcipitur in virtute Sanctæ Obedientię, vt eos omnes, quos ſimoniam eiuſmodi commiſiſſe, vel procuraſſe, aut in ea mediatores eſſe ſciuerint, Summo Pontifici, vel cui idem Pontifex duxerit committendum, per ſe, vel alios reuelare quantocius non omittant.

28. Vt prædictus Iudex Eccleſiaſticus ſententiam ferat contra Simoniacum requiritur ſufficiens probatio criminis,

quæ

quæ habetur non ſolum ijs modis quibus alia crimina probari ſolent, puta per criminoſi confeſſionem, per teſtes, & per inſtrumenta authentica, ſed etiam per ſigna euidentia, & coniecturas, iuxta textum in *c.ſicut 6 de ſim.* quamuis cæteroquin in criminibus requirantur regulariter probationes luce meridiana clariores, vt alibi diximus ex *l.fin. C. de probat.* Hoc autem ſtatutum eſt tum ob atrocitatem huius criminis, in cuius odiũ admittuntur probationes per præſumptiones, ſicut, & in crimine hæreſis, vt notat *Alb. in eod. c. ſicut n. 3.* tum etiam quia crimen ſimoniæ ſolet occulte committi, vnde difficilis eſt probationis: in huiuſmodi autem criminibus, ne impunita maneant, admittuntur probationes per coniecturas, & indicia euidentia, vt tradit *Redoan. tract. de ſim. p. 4. cap. 6. n. 31. & ſeqq.*

29. Talibus coniecturis vtendum etiam eſt, ſi quando conſtet aliquid temporale datum eſſe, vt cognoſcatur an illud datum fuerit gratuito, & liberaliter, an potius per modum pretij pro re ſpirituali. In eo enim caſu tria potiſſimum attendenda ſunt, per textum in *c. & ſi quæſtiones 18 de ſim.* Primò qualitas perſonæ dantis, & accipientis, vt à quo & cui, videlicet an à paupere diuiti, vel è conuerſo, ſiue à diuite locu-

pleti datum fuerit: de nobili enim, & diuite faciliùs præſumitur gratuita donatio, ad quam præſumptionē etiam iuuat vitæ integritas, amicitia &c. Secundò attendenda eſt quantitas rei datæ, vtrum ſcilicet res ſit magni vel minoris pretij, ſeu vtrum ſit magnum aut paruum id, quod datum eſt, reſpectiue ad dantem, & accipientem; quia ſi ſit res modicę quantitatis, & valoris, quæ de ſe non ſit ſatis ad alliciendum, vel peruertendum animum accipientis, præſumitur potius gratuito donata. Tertiò denique conſideranda eſt circumſtantia temporis ſiue occaſio dationis: ſi enim v.g. vrgente neceſſitate aliquid temporale detur, præſumitur datum potius ad ſubueniendum neceſſitati, quàm ex voluntate ſimoniaca. Iſta tamen intelligenda ſunt, vbi cæteroquin in contrarium non detur fortius aliquod argumentum probans rem datam eſſe animo ſimoniaco.

TIT. VI.

De hæreticis, Schiſmaticis, & Apoſtatis.

1. INter delicta quæ ſpeciali modo Deum principaliter offendunt, numerantur quoque quæ præſenti hac rubrica concluduntur, de quibus ſingulis extant in 5. Decretalium diſtinctæ rubricæ.

2 Hæ-

2. Hæreſis eſt voluntarius error intellectus, quem quis pertinaciter habet contra aliquam veritatem fidei Catholicæ, quam ſuſcepit, ſeu profeſſus eſt. Qui enim eandem fidem numquam profeſſus eſt, non dicitur proprie hæreticus, ſed paganus, ſeu infidelis, aut Iudæus. Quod præſertim intellige ſi neque fidem humanam vnquam habuit in Chriſtum. Talem errorem proprium hæreſis contrahit non ſolum qui poſitiue diſſentit articulo, quem cognoſcit eſſe articulum fidei Catholicæ, ſed etiam qui poſitiue dubitat de aliquo articulo, quem ſcit eſſe ab Eccleſia definitum, ſeu propoſitum, iudicans non eſſe certam illius veritatem: certitudo enim omnium articulorum fidei eſt de fide; vnde qui talem certitudinem non admittit, poſitiue dubitando de veritate, hęreticus ſeu infidelis dicendus eſt, ex textu expreſſo in *c.dubius* 1 *de hæretic.*

3. Schiſma eſt diuiſio, per quam quis ab vnitate Eccleſiæ ſe diuidit, inquantum ea eſt Corpus myſticum conſtans ex vniuerſis fidelibus, & Romano Pontifice tamquam Capite, prout ex *S.Th.2.2 qu.39 art.* 1. communiter explicant Doctores. Differt ſchiſma ab hæreſi in hoc, quod hæreſis opponatur fidei directè, eius veritatem negando; ſchiſma autem directe repugnet charitati, ſcin-

dendo vnionem Eccleſiæ. quæ in charitate conſiſtit. Hinc omnis hæreticus eſt eo ipſo etiam ſchiſmaticus, vtpote per erronea dogmata ab Eccleſia ſeparatus; ſed non conuertitur, quia non omnis ſchiſmaticus eſt eo ipſo hæreticus, vt notat *Gloſ. in c. inter hæreſim* 26. 24. q. 3. *v. & ſchiſma*: quia non eo ipſo, quod quis ſeparat ſe ab vnione, ſeu obedientia Eccleſiæ, ſectatur errorem contra fidem, ſaltem initio ſeparationis ipſius, quamuis poſtea nullum ſchiſma non aliquam ſibi confingat hæreſim, vt recte ab Eccleſia receſſiſſe videatur, vt dicitur in textu citati *c. inter hæreſim*.

4. Apoſtaſia in genere eſt quidam temerarius receſſus à ſtatu, quem quis profeſſus fuerat, ac diuidi ſolet in tres ſpecies. Alia enim eſt apoſtaſia à ſtatu fidei, vt ſi quis in totum recedat à fide Chriſtiana, & fiat Iudæus ſiue gentilis, cuius generis apoſtaſia vocatur ab Hoſt. *apoſtaſia perfidiæ*. Alia eſt apoſtaſia à ſtatu obedientiæ, per quam quis temerarie ſe ſubtrahit ab obedientia ſui Superioris, & vocatur *apoſtaſia inobedientiæ*. Alia eſt apoſtaſia à ſtatu Religionis, quæ contingit quando Religioſus abſque licentia temere recedit ab Ordine Religioſo, & vocatur *apoſtaſia irregularitatis*. Ad idem genus reducitur apoſtaſia à Clericatu, quàm committeret ille, qui

in

in Sacris conſtitutus abijceret inſignia ſtatus Clericalis, animo viuendi laicaliter.

5. Singula hæc grauiſſima crimina pluribus grauibus pœnis per ſacros Canones puniuntur. Primò enim in hæreſim lapſi incidunt ipſo facto in excommunicationem maiorem latę ſententiæ, vt conſtat ex *c. excommunicamus 13. de hæret.* vbi eadem pœna extenditur etiam ad receptatores, defenſores, & fautores eorundem, *alijſque pluribus iuribus.*

6. Secundò puniuntur hæretici pœna irregularitatis, ſeu inhabilitatis ad beneficia Eccleſiaſtica, & Officia publica, vt ſumitur ex *c. 2. §. hæretici. eod. in 6.* Idque procedit etiamſi, poſtquam errorem deprehenderint, ad vnitatem fidei Catholicæ, abiurata hæreſi, reuertantur: nam etiam tunc adempta illis eſt omnis ſpes promotionis, & pro magno beneficio reputare debebunt, ſi mediante diſpenſatione permittantur in Ordine, quem prius fortaſſe ſuſceperant, ſtabilitate perpetua permanere, iuxta textum in *c. ſaluberrimum* 21. 1 *q.* 7 Hæc eadem pœna irregularitatis lata pro hæreticis, extenditur quoque ad credentes, receptatores, defenſores, & fautores eorum, ipſorumque filios vſque ad ſecundam generationem, vt in cit. *c. quicum-*

que 2. §. *hæretici de hæret. in* 6. Quæ extenſio ad filios, declarata poſtea fuit à Bonif. VIII. in *c. ſtatutum* 15. *eod. tit. & lib.* itaut complectatur dumtaxat primum & ſecundum gradum per paternam lineam; per maternam autem, ſolum primum comprehendat: idque intelligendum ſit de filijs, & nepotibus hæreticorum, credentium, & aliorum huiuſmodi, qui tales eſſe, vel tales etiam deceſſiſſe probantur: non autem illorum, quos emendatòs eſſe conſtiterit, & reincorporatos Eccleſiæ vnitati, & pro culpa huiuſmodi ad mandatum Eccleſiæ pœnitentiam recepiſſe: quam ipſi, vel iam perfecerunt, vel humiliter proſecutioni eius inſiſtunt, vel parati fuerint ad recipiendam eandem.

7. Tertio puniuntur hæretici, eorumque fautores ſi intra annum ſatisfacere contempſerint, infamia iuris ipſo facto, *c. Excommunicamus* 13. §. *Credentes. de hæret. c. Infames.* 16. 6. *q.* 1. *l. Manicheos* 4. *nouel. Credentes, & auth. Gazaroſ. C. de hæret.* Inde etiam fit, repelli ipſos quoque ipſo iure ab omnibus honoribus & dignitatibus, & excludi ab omni actu legitimo, vt particulariter declaratur in *cit. c. Excommunicamus* §. *credentes.*

8. Vt autem corporalis ſaltem pœna corripiat quem ſpiritualis non corrigit

git diſciplina, vt ſumitur ex *c. Vergentis* 10. *eod.* ideo per Sacros Canones ſtatutum eſt vt ſi in hæreſi manifeſte deprehéſi Clerici ſint vel Religioſi,totius Eccleſiaſtici Ordinis prærogatiua nudati,& ſic omni officio & beneficio ſpoliati Eccleſiaſtico,ſæcularis relinquãtur arbitrio poteſtatis, animaduerſione debita puniendi: niſi continuo poſt deprehenſionem erroris, ad fidei Catholicæ veritatem ſponte recurrere, & errorem ſuum publice conſenſerint abiurare, & ſatisfactionem congruam exhibere. Laici quoque, niſi (prout dictum eſt) abiurata hæreſi, & ſatisfactione exhibita, confeſtim ad fidem confugerint orthodoxam, ſæcularis Iudicis arbitrio relinquantur: debitam recepturi pro qualitate facinoris vltionem. Sumuntur hæc ex textu expreſſo in *c. Ad abolendam* 9. *eod.*

9. Sed & bona damnatorum ipſis eorumque filijs ipſo iure adempta eſſe intelliguntur, atque confiſcata; vel ſi Clerici fuerint applicanda Eccleſijs à quibus ſtipendia receperunt, *cit. c. Vergentis*, & *c. Cum ſecundum* 19. *eod. in* 6. iunctis ijs quæ traduntur ab *Abb. in cap. Excommunicamus* 13. *eod.* Nec huiuſmodi ſeueritatis cenſuram orthodoxorum exheredatio filiorum, quaſi cuiuſdam miſerationis prætextu debet vlla-

tenus impedire: tum quia ſecundum legitimas ſanctiones etiam Reis læſæ maieſtatis punitis capite, bona confiſcantur eorum, filijs ſuis vita ſolummodo ex miſericordia conſeruata; longe autem grauius eſt ita æternam, quam temporalem lædere Maieſtatem: tum præterea, quia in multis caſibus, etiam ſecundum Diuinum iudicium, filij pro patribus temporaliter puniuntur, & iuxta Canonicas ſanctiones quandoque fertur vltio non ſolum in authores ſcelerum, ſed etiam in progeniem damnatorum, vt dicitur in textu eiuſdem *cap. Vergentis.*

10. Hoc iuris adeo procedit, vt etiamſi hęretico ipſo viuente ſuper bonorum ipſius confiſcatione nihil fuerit (interueniente ipſius morte) per ſententiam declaratum ad eam nihilominus poſt mortem eiuſdem procedatur, ex *c. Accuſatus* 8. §. *pen. eod. in* 6.

11. In hac tamen rerum iactura, bonis dotalibus parcitur vxorum Catholicarum: quamuis enim per quandam iuris ſubtilitatem, durante matrimonio, viſa fuerint illa tranſiſſe in patrimonium mariti; attamen proprie & naturaliter ſub vxoris dominio permanſerunt, vt habetur in textu expreſſo *l. In rebus* 30. C. *de iure dotium*, *& l. Quamuis* 75. *ff. eod.* ideoque ſub generali

rali ſententia per quam publicantur bona mariti propter hęreſim damnati, bona dotalia vxoris cęteroquin innocentis atque Catholicę non intelliguntur comprehenſa, vt decreuit Innoc. IV. citatus a Bonif. VIII. in *c. Decreuit* 14, *de hæret. in* 6. vbi inſuper declaratur, hanc dotis indemnitatem procedere, niſi forte mulieres ipſę cum viris matrimonia contraxiſſent, quos hęreticos tunc ſciebant.

12. Tanta autem eſt ſceleris huius immanitas vt etiam hęreticorum cadauera pœna proſequatur: carere enim debent Eccleſiaſtica ſepultura, ita vt ſi quis ipſos, imo & credentes, receptatores, defenſores, vel fautores eorum ſcienter tradere prǫſumpſerit Eccleſiaſticę ſepulturę, vſque ad ſatisfactionem idoneam, excommunicationis ſententię ſubiaceat. Nec abſolutionis beneficium mereatur, niſi proprijs manibus publice extumulet, & proijciat huiuſmodi corpora damnatorum. Et locus ille perpetua careat ſepultura. Sumuntur hęc ex c. 2. §. 1. *de hær. t. in* 6.

13. Vna tamen via ſuppetit in hęreſim lapſis euadendi hanc iuſtam Sacrorum Canonum diſciplinam, ſi videlicet errore deprehenſo ſtatim reincorporari curent Eccleſię vnitati, quod tunc ab ipſis factum cenſebitur, quando

ad mandatum Eccleſiæ pœnitentiam acceptauerint, eamque vel iam perfecerint aut proſecutioni eius inſiſtant, vel ſaltem parati fuerint ad recipiendam eandem, iuxta textum in *in. c. Statutum* 15. *eod. in* 6.

14. Sed & hęc via ijs intercluditur, qui poſt abiurationem hęreſis, deprehendantur in abiuratam hęreſim recidiſſe, in quo caſu dicuntur relapſi, eorumque pœna eſt, vt ſęculari iudicio ſine vlla penitus audientia relinquantur, ex *c. Ad abolendam* 9. §. *Illos quoque. de hæret.* quamquam eiſdem, ſi poſtmodum pœniteant, & pœnitentię ſigna in eis apparuerint manifeſta, nequaquam ſint (humiliter petita) Sacramenta Pœnitentię, ac Euchariſtię deneganda, iuxta textum in *c. Super eo* 4. *eod. in* 6.

15. Hęc relapſorum pœna ijs principaliter competit, qui in hęreſim relabuntur poſtquam ſemel confeſſi, aut plene ac legitime de hęreſi conuicti in iudicio, eam abiurauerunt. Sed quid, ſi quis iterum in hęreſim incidat, de qua prius extitit tantummodò ſuſpectus, & propter eam ſuſpicionem coactus fuit eam abiurare: numquid in eo caſu puniendus erit pœna relapſorum? Diſtinguendum videtur: vel enim ea ſuſpicio, propter quam coactus olim fuit abiura-

re,

re, fuit grauis & vehemens; vel tantummodo leuis & modica. Si grauis aut vehemens; cenſebitur relapſus, ex *c. Accuſatus.* 8. §. 1. *de hæret. in 6* & relapſorum pœna punietur *cit. c. Ad abolendam.* §. *Qui vero inuenti.* At ſi tantum fuerit leuis & modica, quamuis ex hoc ſit grauius puniendus quod poſt abiurationem deprehendatur lapſus, quam ſi numquam abiuraſſet; attamen puniri non debet pœna relapſorum, ex *cit. c. Accuſatus.* §. *Si autem leuis.*

16. Plura quoque alia in odium hæreſis decreta ſunt, tum quoad aliquas particulares pœnas, de quibus inter reliqua videri poteſt *Clem.* 1. *de hæret.* tum quoad impediendum ne huius criminis contagio ſerpat, inter quæ eſt prohibitio facta laicis in *c.* 2. §. *Inhibemus. eod. in 6.*, imo & Clericis in *c. Cum quibus* 36. *in fine*, *& ibi Gloſ. v. certamen.* 24. *q.* 3. diſputandi cum hæretico de fide, ne fallacia eius argumenta incautos decipiant, quæ prohibitio vtrum & quam exceptionem habeat videri poteſt apud Theologos; tum demum quoad iudicium & proceſſum contra hæreticos inſtituendum, circa quæ ſtatuta ſunt aliqua ſpecialia præter ordinarias Iuris regulas. Inter ea illud eſt, vt contra ipſos admittantur etiam Teſtes aliàs iure inhabiles ad teſtimonium ferendum, vt

habetur in *c. In fidei* 5. *c. Accuſatus* . 8. §. *Licet vero. de hæret. in* 6. quinimo vt omnibus præcepta ſit illorum denunciatio, de qua videri poteſt *Suar. de fide diſp* 20. *ſect.* 4. Item vt in negocio Inquiſitionis hæreticæ prauitatis procedi poſſit ſimpliciter & de plano, & abſque aduocatorum ac iudiciorum ſtrepitu, & figura, *c. vlt. de hæret. in* 6. & vt non ſint publicanda nomina Teſtium & accuſatorum, ſi ex publicatione eorum timeatur graue periculum eorundem propter potentiam inquiſiti. Videri poteſt *Farinacc. in tract. de hæreſi*.

17. Quod attinet ad pœnas ſchiſmaticorum, ſimiles illę ſunt hæreticorum pœnis. Prima eſt excommunicatio latæ ſententiæ reſeruata Summo Pontifici, vt ſumitur *ex Bulla Cœnæ*, & *ex c. Quoniam* 14. *in fine de Off. Ordin.* Altera pœna eſt inhabilitas ad beneficia & dignitates Eccleſiaſticas, præſertim ad Epiſcopalem, etiam poſt ſchiſmatis abiurationem, ex *c. Quia diligentia*. 5. *de elect.* Quod ſi ſchiſmaticus aliquis per has pœnas non reſipuerit, ab omni miniſterio Eccleſiaſtico deponetur, adhibito, ſi neceſſe fuerit, brachio ſæculari ad eius inſolentiam repellendam vt ſumitur ex *cit. c. Quoniam* §. *fin. de off. Ord.* cum omnium etiam bonorum confiſcatione, ex *c. vn. de ſchiſmat. in* 6.

18. Alia

18. Alia demum pœna eſt vt Ordinationes a Schiſmaticis factę, & ab Ordinatis ab eis, ſint irritæ, ex *cap. 1. de ſchiſm.* quod intellige quoad executionem & vſum, quia cæteroquin Epiſcopus ſchiſmaticus vere & valide quamuis illicite perficit ea quæ de iure Diuino ſunt propria Ordinis: vnde Confirmatus aut Ordinatus ab ipſo charaćterem recipit ſuppoſito quod ſeruetur materia & forma Eccleſiæ, quamuis non executionem & vſum, vt ſumitur ex *S. Th. 2. 2. q. 39. art.* 3. Secus accidit circa poteſtatem Iuriſdićtionis, quam neque licite neque valide Schiſmaticus exercere poteſt: vnde in *eod. c. 1. de ſchiſm.* adijcitur vt qui dignitates Eccleſtaſticas ſeu beneficia per ſchiſmaticos acceperint, careant impetratis. Alienationes quoque, quæ per eoſdem ſchiſmaticos, ſeu per laicos factæ ſunt de rebus Eccleſiaſticis, omni careant firmitate, & ad Eccleſias ſine omni onere reuertantur. Si quis autem contraire præſumpſerit, excommunicationi ſe nouerit ſubiacere. Demum ibidem adijcitur vt illi qui ſponte iuramentum de tenendo ſchiſmate præſtiterunt, a Sacris Ordinibus & dignitatibus ſint ſuſpenſi.

19. Apoſtatæ demum etiam puniuntur tum pœna infamię, tum excommunicationis, tum alis pœnis iuxta diuer-

ſitatem Apoſtaſię, de quibus videri poteſt *Hoſt. in Summa tit. de Apoſtatis, §. Qualiter puniantur,* & *Panor. in c. 1. De apoſtatis.* Vide etiam Conſt. Vrb. VIII. *Sacra Congregatio*, editam die 21. Sept. 1624.

TIT. VII.

De Sortilegis, maledicis, & Sacrilegis.

1. CRimina quoque hoc titulo comprehenſa numerantur inter ea, quę ex genere ſuo principaliter Deum reſpiciunt, eiuſque honoris lęſionem, quare merito hęc rubrica ſubnectitur pręcedentibus.

2. Sortilegium in genere dicitur, quando aliquid eo fine fit, vt eius euentu conſiderato, aliquid occultum innoteſcat, vt ſumitur ex *S. Th. 2. 2. qu. 95. art. 8.* vbi etiam ab eodem diuiditur in tres ſpecies, vt aliud ſit diuinatorium, aliud conſultorium, aliud diuiſorium.

3. Diuinatorium eſt, dum per quaſdam ſortes exquiritur futurum occultum, quod naturaliter ſciri non poteſt: in quo genere ſunt artes illæ damnabiles Ariolorum, qui videlicet circa aras idolorum nefarias preces emittebant vt dæmonum reſponſa acciperant, Aruſpicum qui exta pecudum inſpiciebant vt ex eis futura prædicerent, & etiam dies horaſ-

quę

que obſeruabant vt quid per ſingula tempora fieri deberet enunciarent; Augurum qui volatus auium & voces aliaque eiuſmodi ſigna rerum pro actionibus gerendis perſcrutabantur; aliorumque ſimilium, de quibus particulariter loquitur Auguſt. relatus in *c.* 1. *26 q* 3.

4. Omnia hæc diuinatoria ſortilegia vel hæreſim aut idololatriam ſapiunt; vel mixtam habent aliquam peſtiferá ſocietatem cum dæmone; vel ſaltem ſuperſtitioſa ſunt: vnde & ipſa ſui natura mala ſuntq́, & ſub grauibus pœnis Iure Canonico prohibita, vt videre eſt 26. *q.* 5: *per totam & c.* 1. *De ſortilegijs*, inter quas numeratur vt & ipſi ſortilegi, & qui eos obſeruauerit, aut eorum philacterijs vſus fuerit, hoc eſt chartis in quibus continétur incantationes, ſit excommunicatus; & ſiquis eius criminis reus clericus deprehendatur, ſit degradandus ex *c. Admoneant* 15. *26 q.* 7. Præterquam quod quilibet ſortilegus reliquis etiam hęreticorum pœnis ſubiectus eſt, ſi eius ſortilegium hęreſim ſapiat, de qua re videri poteſt *Abb. in c.* 1. *de ſortileg. Hoſt. in ſum. eod. tit.* § *Quæ ſit pœna, & Farinacc. tract. de hæreſi q.* 181

5. Conſultorium eſt, quo exquiritur Diuina voluntas, quid in hac vel illa re ſit agendum, vel euitandum, per ſortes. Cum autem ſine neceſſitate, & præter-

miſ-

miſſis ordinarijs Diuinæ Prouidentiæ medijs, ad ſpecialem & extraordinariam Dei Prouidentiam recurrere, eumque per ſortes conſulere, ad tentationem Dei pertineat, vt docet *S. Th. in cit. qu. 95. art. 8.* ideo hę etiam ſortes ſunt illicitæ & ſub excommunicatione prohibitę in *c. Sortes 7. 26. q. 5.* niſi tamen aliqua exerceatur ſpeciali Dei iuſſu & inſtinctu & cum humili reuerentia.

6 Diuiſorium denique eſt, cum per ſortes quæritur quid cuique tribuendum ſit, ſiue in rebus communibus, ſiue in honoribus ac dignitatibus, ſiue in publicis officijs &c. Hoc genus ſortium in pluribus caſibus permittitur, niſi ex aliqua particulari circumſtantia vitietur, vt ex parte intentionis ſi quis expectet euentum non a Diuina Prouidentia, ſed ab aſtris, vel mere a fortuna &c. ex parte materiæ, ſi mittantur ſortes ſuper re aliena, aut ſi ſortibus exponatur officiorum collatio, vbi habenda eſſet ratio maioris aptitudinis Perſonarum, vnde in electionibus ad Prælaturas aliaque beneficia Eccleſiaſtica prohibitum generaliter eſt adhibere ſortes, vt conſtat ex *c. Eccleſia . de ſortileg.* ex parte modi, ſi quis fraudibus in ſortitione vtatur, aut aliquid illicitum & ſuperſtitioſum miſceat, aut re aliqua ſacra vtatur, quod eſſet irreuerentia contra Religionem.

Vi-

Videri poteſt *Suar. to. 1. de Relig. lib. 2. de ſuperſtitione cap.* 12.

7. Maledici dicuntur quaſi maledicentes, vt explicat *Hoſt. in Sum. tit. de maledicis* §. *Quot ſint genera*. Peſſima criminis huius ſpecies eſt blaſphemia in Deum aut Sanctos prolata, de qua eiuſque diuiſionibus late tractant Theologi morales: inferiorem gradum obtinet maledicentia quæ relate ad homines exercetur, ſiue enunciatiuè affirmando malum de altero, ſiue optatiuè imprecando malum alicui, ſiue imperatiuè iubendo vt alicui malum inferatur.

8. Blaſphemantes Deum, olim in Lege veteri afficiebantur pœna mortis & a toto populo lapidabantur, vt ſumitur ex *cap. 24. Leuitici verſ.* 16. Nunc de Iure Canonico expreſſo in *c. 2. de Maledicis* linguam in blaſphemiam publice relaxare præſumentibus contra Deum, vel aliquem Sanctorum ſuorum & maxime Beatam Virginem, decreta eſt publica pœnitentia prę foribus Eccleſiæ, prout deſcribitur in *eod. c. 2.* quam pœnitentiam ſi blaſphemus recipere ac peragere renuerit, Eccleſiæ ingreſſu interdicendus eſt, & Eccleſiaſtica priuandus ſepultura.

9. Infra blaſphemantes, proximum malitiæ gradum tenent illi maledici, qui ſupremo Principi Eccleſiaſtico aut ſæ-

cu-

culari, ſeu Superiori ſuo maledixerint. Huius criminis Rei ad eundem Principem aut Superiorem remittuntur arbitraria pœna, iuxta ſceleris modum, puniendi, ex *c.1. de Maled. & l. vn. C. ſi quis Imperat. maledixerit.*

10. Sacrilegium dicitur, quidquid in ſacratis Deo rebus & perſonis iniuſtè agitur, ex *c. Quæ multoties 7. de reg. iur.* vnde communiter duplex ſacrilegij genus numeratur, quorum vnum committitur circa res ſacras; aliud circa perſonas: vt puta ſacrilegium primi generis eſt cum furtum aliquod rerum Eccleſiæ fit, aut aliter Eccleſia violatur, ad quod facit in 5. Decretalium tit. *De raptoribus, incendiarijs, & violatoribus Eccleſiarum*, qui pluribus grauibus pœnis ibidem per Sacros Canones puniuntur. Sacrilegiũ autem alterius generis eſt cum quis in Clericum vel Religioſum violentas manus inijcit diabolo ſuadente, quod crimen punitur excommunicatione reſeruata ſummo Pontifici in *c. ſi quis ſuadente 27. 27. q. 4.* aut cum aliquod inhoneſtum committitur a perſona vel cum perſona Deo dicata, de quo ſunt plures Canones in *cau. 27. q. 1.* Aliæ particulares ſacrilegiorum ſpecies, earumque pœnæ videri poſſunt in *c. Quiſquis 21. 17. q. 4.* De tota autem materia ſacrilegij vide *S. Th. 2. 2. qu. 99. art. 3.*

TIT.

TIT. VIII.

De homicidio voluntario vel caſuali.

1. PRæcedentibus titulis actum eſt de ijs criminum generibus quæ principaliter Deum reſpiciunt eiuſque honoris læſionem: conſequens eſt vt de ijs breuiter agamus quæ principaliter etiam tendunt ad læſionem proximi, initio facto ab homicidio, per quod proximus maximè læditur in naturalibus, cum per illud priuetur vita corporali.

2. Nomine homicidij generaliter ſumpti intelligitur occiſio hominis, ab homine facta. Aliud autem eſt voluntarium, aliud caſuale. Homicidium voluntarium eſt, quod ex voluntate ſeu animo occidendi quoquomodo committitur, quod rurſus ſubdiuiditur in voluntarium directè, & in voluntarium indirectè. Voluntarium directè eſt, quod quis committit expreſſe intendens & volens occidere hominem: voluntarium indirectè eſt, quod quis committit non intendens expreſſe actum ipſum occiſionis, ſed alium actum intendens ex quo per ſe & non per accidens ſequitur mors, vt ſiquis præciſe intenderet verberationem, non autem mortem alterius, ex qua tamen verberatione ſequatur mors, de quo caſu agi-

agitur in *c. fin de homicid. in 6.*

3. Rurſus homicidium voluntarium aliud eſt iuſtum ſeu licitum, aliud iniuſtum ſeu illicitum. Homicidium licitum eſt quod quis committit vel ad neceſſariam ſuæ vitæ defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, ſeu non excedendo limites iuſtæ defenſionis, quando alia euadendi via non ſuppetit, vt ſumitur ex *c. ſignificaſti 18. de homicid. & l. 2. 3. & 4. C. ad leg. Cornel. de ſicariis*; vel quod committit authoritate legis aut iuſſu Superioris habentis ius gladij. Homicidium illicitum eſt, quod extra has circumſtantias cum aliqua voluntarietate committitur.

4. Demum homicidium caſuale dicitur, quod fit præter intentionem committentis. Quod ſi non ſit vllo modo voluntarium, eo quod nullatenus fuerit præuiſum periculum, & adhibita fuerit ſufficiens diligentia ad omne periculum auertendum, tunc dicitur homicidium mere caſuale, atque moraliter non imputatur ſi ſequatur ex actione quæ de ſe alias ſit licita, & honeſta, & quæ de ſe cum periculo homicidij non ſit coniuncta, vt eſt caſus in *c. Dilectus 13. c. ex litteris 14. & c. Ioannes 23. de homicid.* Si autem homicidium ſequatur ex actione aliàs illicita, aut ad periculum alienæ mortis auertendum non fuerit adhibita

ſuf-

ſufficiens diligentia; tunc homicidium imputatur, vt eſt caſus in *c. Tua noſ.* 19. *de homicid. c. Presbyterũ* 7. *eod & in c. Clerico* 38. *diſt.* 50. atque punitur etiam a Iure ciuili, ſed mitius vt conſtat ex *l.* 1 §. *Sed ſi claui ff. ad leg. Cornel. de ſicar. & l. ſi putator* 31. *ff. ad leg. Aquiliam.* Huc etiam facit *reg.* 19. *de reg. iur. in* 6. *non eſt ſine culpa qui rei, quæ ad eum non pertinet, ſe immiſcet.*

5. Pœna homicidij voluntarij iniuſti de iure ciuili fuit olim relegatio, & confiſcatio bonorum; ſed poſtea ſtatuta fuit pœna capitis, ex *l. Eiuſdem* 3. §. *Legis Corneliæ ff. ad leg. Cornel. de ſicar. &* ex §. *Item lex Cornelia, Inſtit. de publicis iudicijs.*

6. De iure autem Canonico, eiuſdē criminis pœna eſt, primo vt homicida ſit excommunicandus, ex *c. Itaque* 20. 24. *q.* 3. Quod ſi homicida ſit Clericus, deponendus eſt ab omni Ordine, ac præterea prohibetur ne in Eccleſijs vllo vnquam tempore lectiones legat, vel reſponſoria in Choro ſeparatim cantet: ſed in Pſalmis apud Deum de commiſſo ſatagat veniam impetrare. Inſuper in diſtricto Clauſtro Monachorum vel Canonicorum regularium (ſi fieri poteſt) eſt recludendus, itaut vſque ad ſeptennium vel quinquennium debeat ab Eccleſiarum introitu coerceri, iuxta textum in

c. ſi-

c. ſicut dignum 6. §. fin. de homicid. vbi *Panor. n.* 10. Quod ſi inſuper beneficiatus ſit, debet ſuis beneficijs ſpoliari, vt colligitur ex *c. Henricus 2 de Clericis pugnantib. in duello.*

7. Prædictæ homicidarum pœnę extenduntur etiam ad eũ, qui homicidium càſuale committit quoad perſonam occiſam, homicidium tamen intendit, vt ſi quis volens ex propoſito occidere Titiũ per ignorantiam vel errorem occidat Caium, vt docet *Bart. in l. Perſpiciendum* 11. §. *Delinquunt ff. de pœnis.* Item extenduntur quoque ad eum, qui ita grauiter aliquem vulnerauit, vt certum eſſet ipſum ex eo vulnere vita exceſſurum, quãuis poſtea alius acceſſerit, qui alio vulnere eundem vita priuauit: tunc enim vterque percutiens tenetur de occiſo, iuxta *l. Ita vulneratus* 51. *ff. ad leg. Aquil.*

8. Quia autem homicidium, tam facto quam præcepto, ſiue conſilio, aut defenſione, non eſt dubium perpetrari, vt dicitur in *c. 2. in fine de Cleric. pugnantib. in duello;* ideo non ſolum manu ſua exequens homicidium, ſed etiam mandans, conſulens, immediate adiuuans, prædictis homicidij pœnis ſubiectus eſt, vt ſumitur ex *cit. ſicut dignum 6. §, fin. de homicid.* iuncta ibid. *Gloſ. v. Conſilium*

9. Idem quoque iuris ſeruatur in eo, qui dat cauſam abortui, fœtu iam animato,

to, vt de iure ciuili conſtat ex *l. ſi quis 38. §. qui abortionis ff. de pœnis* & *l. penult. C. ad leg. Corn. de ſicar.* iuncta ibidem Gloſ. *v. ſi quis necandi infantis*; de iure autem Canonico ex *c. ſicut. 20. de homicid.* Alia ratio eſt eius qui fętus inanimati cauſat abortum: cum enim ille proprie hominem non occidat, quamuis cæteroquin grauiter delinquat, non punitur in ſæculari foro pœna mortis, ſed alia mitiori, vt tradit *Farinac. in praxi crimin. qu. 122. n. 137.* ſicut & in foro Eccleſiaſtico irregularitatem non contrahit, ex *cit. c ſicut. 20.*

10. Quod ſi contingat, aliquem cauſa odii vel explendæ libidinis, viro aut mulieri aliquid facere, vel potandum dare, vt non poſſit generare, aut concipere vel naſci ſoboles, quamuis verus homicida non ſit, per quandam tamen Iuris interpretationem, talis eſſe cenſetur, & vt homicida puniendus eſt, ex *c. ſi aliquis 5. de homicid.* quidquid ſit vtrum puniẽdus ſit pœna homicidii ordinaria, an alia mitiori, vt cenſet *Farinac. in cit. qu. n 98.* In eo tamen caſu, eumdẽ nõ fieri irregularẽ ac ſi hominem interfeciſſet, docet *Gloſ. in cit. c. ſi aliquis v. vt homicida.*

11. Dixi *non fieri irregularem ac ſi hominem interfeciſſet* Sciendum enim eſt, præter pœnas in homicidam ſtatutas de quibus hactenus dictum eſt, ex homicidio

dio oriri plerumque in occiſore impedimentum quoddam ſeu inhabilitatem de Iure Canonico ſtatutam, ratione cuius promoueri nec ad Ordines, nec ad beneficia poteſt, ac ſpeciali vocabulo dicitur irregularitas. Sed de hac re ſermo erit infra in tit. *de irregularitate*.

TIT. IX.

De furtis.

1. POſt explicationem criminis, per quod læditur proximus in vita corporali, agendum hic eſt de criminibus, per quæ læditur in rebus ſuis videlicet de furtis, de quibus etiam eſt expreſſa rubrica in 5. Decretal.

2. Furti nomine generaliter intelligitur omnis illicita vſurpatio rei alienæ, inuito domino, vt habetur in §. *furtum. Inſt. de obligat. quæ ex delicto naſcuntur.* Specialiter tamen, & ſtrictius ſumitur furtum pro vſurpatione illicita, & fraudulosa rei alienæ inuito domino, vt in *l. 1. ff. de furtis*, & ſic diſtinguitur à rapina, quo nomine venit illicita, & violenta vſurpatio rei alienæ, ſciente, & vim patiente domino, de qua ſermo eſt in toto tit *Inſt. & ff. vi bonorum raptorum*.

3. Furtum apud Iuriſtas aliud dicitur

tur manifeſtum, aliud nec manifeſtum ex *l. furtorum 2. ff. de furtis*. Manifeſtum eſt quando fur deprehenditur cum re furtiua, priuſquam eo loci eandem pertulerit, quo deſtinauerat illam perferre, ac cum illa manere eo die, ex *l. 3. & 4. ff. eod.* Furtum nec manifeſtum eſt, quando fur non ita deprehenditur cum re furtiua *l. nec manifeſtum 8. ff. eod.*

4. Crimen furti grauiter punitur ab vtroque Iure. Primo enim a Iure ciuili ſtatuta eſt contra illud pœna pecuniaria ſi ciuiliter agatur, vt ſi furtum manifeſtum fuerit, præter rem furto ablatam, ſoluatur quadruplum; ſi autem fuerit nec manifeſtum, duplum, ex §. *conceptū, in fine, iuncto* § *vlt. Inſtit. de obligat. quæ ex delicto naſc.* Item furti ſuo nomine damnatus eſt infamis, ex *l. athletas 4. §. fin. ff. de his qui notantur inf.* Demum quamuis ex *auth. ſed nouo iure C. de ſeruis fugitiuis* pro furto contra quod criminaliter agatur nec pœna mortis nec mutilationis infligenda ſit, ſed arbitraria pœna pro criminis qualitate, attamen vel ex peculiari ſtatuto, vel ex conſuetudine pluribus in locis pœna capitalis infligitur, ſi furtum ſit magnum, vel ſæpius iteratum, vt teſtatur *Menoch. de arbitr. caſu 295.*

5. De Iure autem Canonico fur non poteſt ad Sacros Ordines promoueri,

niſi tamen delictum ſponte confeſſus fuerit, & per reſtitutionem ſatisfecerit, nec ſuper furto manifeſta nota, vel infamia reſperſus fuerit, in quo caſu, ſi aliàs idoneus ſit, poſt peractam pœnitentiam, aut congruam partem pœnitentiæ, promoueri poteſt, iuxta textum in *c. fin. de furtis*

6. Quod ſi furtum commiſſum ſit a Clerico, qui in eo crimine captus, ſiue deprehenſus, & conuictus ſit, deponendus eſt, vt decernitur in *c. presbiter* 12. *diſt.* 81. *&* *c. cum non ab homine* 10. *de iudicijs*, vbi præterea ſtatuitur, vt ſi depoſitus incorrigibilis fuerit, excommunicari debeat: deinde contumacia creſcente, anathematis mucrone feriri, ideſt ſolemniter excommunicari, poſtmodum ſi in profundum malorum veniens contempſerit, per ſæcularem comprimendus ſit poteſtatem, itaut ei deputetur exilium, vel alia legitima pœna inferatur.

7. Hæc autem intelligenda ſunt de furtis extra grauem neceſſitatem commiſſis. Si quis enim ex tali neceſſitate furetur, mitius punitur, quam ſi nulla neceſſitate ductus furaretur, ex *c. ſi quis propter* 3. *de furtis*. Quod ſi neceſſitas ſit extrema, puta quia aliter quam furando non poterat vitam ſuſtentare; tunc nulli pœnæ ſubiectus eſt, vt colligitur ex *c.*

di-

diſcipulos 26. *de conſecr. diſt.* 5. Hinc etiam facit dictum illud Iuriſtarum, tempore extremæ neceſſitatis omnia ſunt communia, ideſt communicanda, vt explicat *Gloſ. in l.* 2. *v. conferret ff. ad leg. Rhodiam de iactu.*

TIT. X.

De Vſuris.

1. CVM vſura ſit quædam ſpecies furti, titulo de furtis congruenter ſubnectitur titulus de vſuris, quo nomine potiſſimum ſignificatur lucrum, ſeu acquiſitio rei pretio æſtimabilis, quæ tamquam debita proueniat ex titulo mutui, vt ſi quis mutuaret 100. cum obligatione vt reſtituantur 110. illa 10. acquiſita ex titulo mutuationis eſſent lucrum vſurarium, vt conſtat ex 14. q. 3. per totam, & ex pluribus iuribus in Decretalibus *de vſuris*. Nonnumquam etiam nomine vſuræ ſignificatur ipſa conuentio, ſeu contractus vſurarius, quo quis paciſcitur aut intendit aliquod lucrum tamquam debitum ſupra rem mutuatam ratione mutuationis.

2. Vſura in genere multipliciter diuiditur. Alia enim eſt vſura realis; alia vſura mentalis. Vſura realis eſt, quando expreſſe, vel tacite pactum in-

teruenit, vt ratione mutuationis ſoluatur aliquod lucrum vltra ſortem, hoc eſt vltra rem mutuatam. Vſura mentalis eſt, quando quis mutuat actu externo cum intentione acquirendi ex mutuo aliquod lucrum tamquam debitum, quamuis de tali lucro nullum pactum interueniat ſiue expreſſum, ſiue tacitum.

3. Secundò diuiditur vſura in apertam, & palliatam. Vſura aperta eſt, quando expreſſe, & proprie datur mutuum, vt ex eo lucrum iniuſtum acquiratur. Vſura palliata eſt, quando ſub prætextu alterius contractus à mutuatione diſtincti, ſed eidem ęquiualentis, intenditur aut acquiritur lucrum iniuſtum vltra ſortem, ſicut contingeret v. g. ſi quis vendendo mercem, exigeret pretium ſupra iuſtum ex titulo dilationis ſolutionis pretij, quę dilatio eſt quaſi quoddam virtuale mutuum, quia concedere ſpatium temporis ad ſoluendum pretium, perinde eſt ac pro eodem tempore idem pretium mutuare.

4. Vſuram eſſe grauiter prohibitam, patet ex toto tit. *de vſuris* in Decretal. & 14. *q*. 4. *per totam*. Quinimo ſi quis pertinaciter affirmare præſumeret, exercere vſuras non eſſe peccatum, ſubiectus eſſet pœnis hæreticorum, ex *Clem. vn. de vſur.* Damnatæ enim ſunt etiam à Iure

Di-

Diuino in Sacris litteris expreſſo, vt explicat *S.Th.*2.2.*qu.*78.*art.* 1. & teſtatur textus in *c.quia in omnibus* 3. *& c. ſeq.de vſur.* vbi dicitur crimen vſurarium vtriuſque Teſtamenti pagina condemnari. Inde fit, vt ex nulla diſpenſatione acquiri vnquam poſſint, licet in fauorem cauſæ piæ aut alterius boni operis, ex *cit. c.ſuper eo* 4.*de vſur.*

5. Hæc autem intelligenda ſunt non ſolum quoad lucrum pecuniarum, ſed etiam quoad aliud quodlibet pretio æſtimabile, & quoad quodlibet grauamen, & onus: nihil enim tale mutuatario imponi poteſt præter id quod ipſi mutuo intrinſecum & proprium eſt. Vnde non ſolum munus à manu, ſed etiam munus ab obſequio, & munus à lingua eſt materia vſuræ.

6. Ex his ſequitur quod ſi debitor mutuatarius aliquid oppigneret creditori, quod ſuapte natura fructiferum ſit, puta poſſeſſionem aliquam; non poteſt creditor fructus eiuſdem lucrari vltra ſortem, ſed ſi quos percepit vel percipere debuit, debet illos in partem ſortis debitæ computare, & ſi tot percepit quot ſufficiunt ad adæquandam æſtimationem ſortis; cenſendum erit extinctum debitum, adeoque res oppignerata abſolute reſtituenda erit debitori, vt conſtat ex *c.*1.*&* 2.*de vſur.& l.* 1. *&* 2.

C.de pignorat. act.

7. Tres tamen caſus in Iure Canonico inueniuntur ab hac regula excepti, in quibus fructus rei oppigneratæ percipi poſſunt à Creditore citra vſuram, non computando eos in ſortem. Primus eſt, ſi laicus aliquis iniuſte detineat poſſeſſionem aliquam ſpectantem ad Eccleſiam, eamque oppigneret illi eidem Clerico, cui illa ipſa poſſeſſio aſſignata fuerat in beneficium, de quo caſu ſermo eſt in *c.1. de vſur.* Secundus caſus eſt, ſi res oppignerata ſit feudum, atque tradatur in pignus domino directo eiuſdem feudi, de quo ſermo eſt in *c. conqueſtus* 8. *eod. & c.1. de feudis*, dummodo tamen interea idem dominus directus feudi non exigat à Vaſſallo debitum aliàs obſequium, ſeu ſeruitium, vel penſionem, vt cauetur in *eod. c.* 1. *de feudis*, de quo, alijſque pro iſto caſu ſeruandis videri poteſt *Molina tr.2.de iuſt. diſp.*323.

8. Tertius demum caſus eſt, ſi pro dote ſibi promiſſa accipiat maritus à Socero poſſeſſionem fructiferam in pignus: poteſt enim tunc eius fructus percipere donec dotem accipiat, nec cogitur eos in ſortem computare, vt habeat vnde poſſit ſuſtinere onera matrimonij, vt ſtatuitur in *c.ſalubriter* 16. *de vſur.* Vide eundem *Mol.in cit.tr.2.diſp.*321. *&* 322.

S. Vtrum

9. Vtrum autem & quando poſſit citra vſura aliquid exigi ſupra ſortem in mutuo, ratione lucri ceſſantis, vel ratione damni emergentis, aut propter periculum amittendæ ſortis, videri poteſt apud morales Theologos,

10. Obligationes & pœnę, quibus vel de iure naturali, vel de iure poſitiuo ſubiacent Vſurarij, plures ſunt. Primò enim cũ acceptio vſurarũ iniuſta ſit, & rapinæ ſimilis, ex *c. ſi quis vſuram* 10. 14. *q.* 4. & cũ non dimittatur peccatum, niſi reſtituatur ablatũ *c.* 4. *de reg. iur. in* 6. tenentur omnes vſurarij ad reſtitutionem vſurarũ ad quam compelluntur etiam Iudæi *c. Poſt miſerabilem* 12. & *c. penul. de vſur.* Quod ſi contingat, nulla facta reſtitutione vſurarium aliquem mori, obligatio reſtituendi tranſit ad eius hæredes pro parte hæreditaria, iuxta textum in *c. Tuæ nos* 9. *eod.* vbi Abb. *n* 6.

11. Hæc obligatio reſtituendi adeo ſtricti iuris eſt, vt etiamſi debitor iurauerit, ſe ſoluturum vſuras, aut ipſas non repetiturum; attamen compellere poſſit vſurarium ad relaxandum iuramentum officio Iudicis, per diſtrictionem Eccleſiaſticam, & poſtea ad reſtituendas vſuras, vt conſtat ex *c.* 1. *de iureiurando*, & *c. Tuas* 13. *de vſur.*

12. Secundò vſurarij pœna eſt, vt ſi Clericus fuerit, ab Officio & beneficio

Eccleſiaſtico ſuſpendatur poſtquam parere contempſit, ex *c. Præterea 7. eod.* vel etiam deponatur, vt colligitur ex *c. 1. eod.* & habetur expreſſe in *c. Si quis oblitus 4. & c. Quoniam 8. 14. q. 4.* Si autem Laicus ſit, vſque ad dignam ſatisfactionem, vinculo excommunicationis adſtringatur, ex *eod. c. Præterea.*

13. Tertiò vſurarij manifeſti patiuntur pœnam infamiæ, *c. Infames 2.* circa finem *3. q. 7.* & *l. Improbum 20. C. ex quibus caus. infamia irrogatur.* Præterea vſurarius manifeſtus non eſt admittendus ad Communionem Altaris, ſeu ad perceptionem S. Euchariſtiæ, nec Chriſtiana (ſi in hoc peccato deceſſerit) ſepultura tumulandus. Sed nec oblationes eius quiſquam accipere poteſt. Qui autem acceperit, vel eum Chriſtianæ tradiderit ſepulturæ, tenetur reddere quod accepit, & donec ad arbitrium Epiſcopi ſui ſatisfaciat, ab officij ſui manet executione ſuſpenſus, iuxta textum in *c. Quia in omnibus 3. de vſur. & Clem. 1. de ſepultur.* vbi inſuper decernitur vt qui ſcienter in Eccleſiaſtica ſepultura ſepelire præſumit prædictos vſurarios manifeſtos, ipſo facto excommunicationis ſententiæ ſubiaceat. Item non eſt admittendus ad confeſſionem ſiue abſolutionem ſuorum peccatorum, nec teſtamentum condere poteſt, niſi prius vſuris ſatisfecerit, vel

de

de ſatisfaciendo pro ſuarum viribus facultatum præſtet idoneam cautionem, iuxta modum expreſſe ſtatutum in *cap; Quamquam de vſur. in 6.*

14. Demum omiſſis reliquis, quæ videri poſſunt apud *Theſaur.* in libro *de pœnis Eccleſiaſticis p. 2. tit. de Vſurarijs cap.* 1. ſancitum eſt in *c.1. de vſur. in. 6.* vt nec Collegium, nec alia Vniuerſitas, vel ſingularis perſona cuiuſcumque ſit dignitatis, conditionis aut ſtatus, alienigenas & alios non oriundos de terris ipſorum publice fœnebré pecuniam exercentes, aut exercere volentes, ad hoc domos in terris ſuis conducere, vel conductas habere, aut alias habitare permittant: ſed huiuſmodi vſurarios manifeſtos omnes intra tres menſes, de terris ſuis expellant, numquam aliquos tales de cætero admiſſuri: nemo illis ad fœnus exercendum domos locet, vel ſub alio titulo quocumque concedat. Qui contra fecerint, ſi perſonæ fuerint Eccleſiaſticæ, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, ſuſpenſionis; minores perſonæ ſingulares, excommunicationis; ſi autẽ Collegium ſeu alia Vniuerſitas, interdicti ſententiam ipſo facto incurrant. Quã ſi per menſem animo ſuſtinuerint indurato, terræ ipſorum (quamdiu in eis vſurarij commorantur) ex tunc Eccleſiaſtico ſubiaceant interdicto. Cæterum ſi

laici fuerint, per ſuos Ordinarios ab huiuſmodi exceſſu (omni ceſſante priuilegio) per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcantur.

15. Vtrum crimen vſuræ ſit mixti fori, itaut cognoſci poſſit tum a Iudice ſæculari, tum ab Eccleſiaſtico, diſputatur inter Doctores. De hac quæſtione videri poteſt *Guttier. lib. 2. Canonicar. quæſt cap.* 18.

TIT. XI.

De adulteriis & ſtupro.

1. ADulterium ſtricte ſumptum eſt alieni thori violatio, atque committitur vel a coniugato cum coniugata, vel a coniugato cum ſoluta, vel a ſoluto cum coniugata, vt colligitur ex *c.* 2. 36. *q.* 1.

2. Pœnæ contra adulteros ſtatutę plures ſunt. Olim in Lege veteri pœna fuit lapidatio, vt ſignificatur in *c.* 8. *Ioan.* De iure Cæſareo decreta olim fuit adulteris, ſiue viro, ſiue mulieri, pœna gladij, *l. quamuis* 30. §. *fin. C. ad leg. Iul. de adulter.* & §. *Item lex, Iulia Inſt. de publ. Iudicÿs,* quamuis poſtea quoad fęminas correcta fuerit illa lex, vt verberatæ in Monaſterium mittantur: itaut intra biennium viro vxorem repetere lice-

ret

ret, ſecus autem poſtea, iuxta *auth. ſed hodie C. eod.* Hodie quid hac in re ſeruandum ſit, cognoſcendum eſt ex particularibus ſtatutis vel conſuetudinibus regionum. Videri poſſunt Iuriſtę in *tit. ff. ad leg. Iul. de adulter.*

3. De iure canonico, adulteri tam maſculi quam fęminę, ſi pręſertim in delicto perſeuerent, excommunicantur, vt ſumitur ex *c. Intelleximus 6. de adulter. & ſtupro.* Mulieres autem etiam in Monaſterium detruduntur, & ſi mariti nolint eas recipere, ibi perpetuam pœnitentiam agere debent, *c. Gaudemus 19. de conuerſ. coniug.* Quod ſi adulterium commiſſum ſit a Clerico, iſque tale crimen confeſſus, aut de eo conuictus fuerit a Iudice Eccleſiaſtico, deponendus eſt ob Officio & beneficio, & in Monaſterio ad agendam ibi pœnitentiam, toto vitæ ſuę tempore, collocandus *c. ſi quis Clericus 10. diſt. 81.*

4. Prętęrea coniux innocens propter alterius adulterium agere poteſt ad ſeparationem habitationis coram Iudice Eccleſiaſtico, ad quem ſpectat huius cauſę cognitio ad eum finem inſtituta, ex *c. Tuæ. 4 de procuratorib.* ſecus eſſet ſi vterque coniux adulterij reus eſſet, in quo caſu non debet matrimonialis habitatio ſeparari vt conſtat ex *c. penult. & vlt. de adulter.* quia tunc paria crimina compen-

ſatione mutua tolluntur. Quod ſi maritus ſit innocens, & ſciat vxorem ſuam deliquiſſe, & abſque pœnitentia permanere in fornicatione, non ſolum poteſt, ſed etiam tenetur ſe ab eius cohabitatione diuidere ad vitandum ſcandalum, ne videatur ipſe conniuere & patrocinari adulterio vxoris, quia patronus turpitudinis eſt, qui crimen celat vxoris *c. 1. 32 q. 1. & c. Si vir. 3. de adult. & ſtupro.*

5. Si igitur accidat ſententiam diuortij ferri a Judice, ſeparatur habitatio matrimonialis: ſed & inſuper vxor adultera poſt eandem ſententiam, amittit dotē, eamque vir innocens lucratur, *c. Plerumque 4. de donat. inter vir. & vxor.* quemadmodum & vxor innocens ob adulterium mariti lucratur donationem propter nuptias, teneturque maritus vxori dotem ſuam reſtituere, durante adhuc matrimonio, vt ex pluribus docet *Sanch. de Matrim. lib. 10. diſp. 8. n. 11.* ſumiturque etiam ex *c. 1. & 2. de donat. inter vir. & vxor.*

6. Quomodo autem de iure recentiori Tridentini Ordinarius procedere debeat in cauſa adulterij contra adulteros, videri poteſt in *ſeſſ. 24. de reform. matrim. cap. 8.*

7. Stuprum ſtricte acceptum ſignificat fornicationem commiſſam cum virgine, vt explicat Gratian. in *c. Lex. illa 2.*

36. q. 1. Quamuis nonnumquam latius ſumatur etiam pro peccato commiſſo cũ vidua integræ vitæ & honeſte viuente, vt videre eſt in *l. Inter liberas 6. ff. ad leg. Iul. de adult.*

8. De Iure Canonico, ſi quis Virginem ſeduxerit ac deflorauerit, dotare eam debet, & habere vxorem. Quod ſi pater virginis dare noluerit, tenetur ſaltem reddere pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere conſueuerunt, *c. 1. de adulter. & ſtupro.* Si auté ipſe ſtuprator nolit illam accipere, corporaliter caſtigatus, excommunicatuſque in Monaſterium, in quo agat pænitentiã, retrudetur, de quo nulla ſit egrediendi ſine Iudicis permiſſione licentia, *c. 2. eod* Demum hoc graue crimen in Clerico ſatis eſſe, vt idem Clericus deponatur, tradit *Panor. in eod c. 2. n 4.*

9. Alia ſpectantia ad hæc cæteraque delicta carnalia, videri poſſunt apud Theologos morales.

TIT. XII.

De quibuſdam peculiaribus Clericorum delictis.

1. PLures ſunt tituli in 5. Decretalium, in quibus agitur de quibuſdam delictis, quæ præſertim verſan-

ſantur circa ſuſceptionem aut admini-ſtrationem Ordinum Eccleſiaſticorum, & propterea dici poſſunt peculiaria Clericorum. Huius generis delicta ſunt, quæ præſenti hoc titulo comprehendimus

2. Primum eiuſdem generis delictũ eſt, ſi quis Clericus depoſitus, vel excommunicatus, vel interdictus, audeat in Ordine miniſtrare, & de eo agitur in *tit. de Clerico excomm. depoſ. vel inter. miniſtr.* ac multiplex contra illud pœna decernitur. Prima pœna eſt: vt ſi Clericus depoſitus propter crimen, actum Ordinis aut officij, a quo depoſitus eſt, exerceat, excommunicandus ſit, *c.* 1. *eod.* idéque iuris ſeruandum ſit, ſi Clericus degradatus, aut ab officio pro certis criminibus ſuſpenſus aliquid de miniſterio ſibi interdicto agere prǽſumpſerit, & poſtea ab Epiſcopo ſuo correptus, in incæpta prǽſumptione perdurauerit. Quod ſi aliquis iſta omnia contempſerit, & Epiſcopus minime emendare potuerit, Regis iudicio, ad requiſitionem Eccleſię, exilio damnetur, *c.* 2. *eod.*

3. Item in *c. Clerici* 3. *eod.* ſtatutum eſt vt ſi Clericus interdictus vel excommunicatus ante abſolutionem Diuina officia celebrauerit, niſi monitus ſine dilatione redierit, perpetuę depoſitionis ſẽtentiam pro auſu tantę temeritatis incurrat, & etiam beneficijs omnibus ſpolietur,

tur, vt habetur in *c. Fraternitati 6. eod.*

4. Eiuſdem demum criminis pœna eſt, vt ſi Clericus excommunicatus vel ſuſpenſus vel interdictus exerceat ſolẽniter ſibi prohibitum actum Ordinis, ſaltem maioris, irregularitatẽ incurrat prout ſumitur ex *c.* 1. §. *vlt. de ſent. excom. in 6. c.* 1. *de ſent. & re iudic. in 6.* §. *vlt.* alijſque iuribus. Niſi tamen Diuina celebrauerit cum ignorantia probabili ſuſpenſionis ſuæ, ratione cuius excuſaretur, non autem cum ignorantia craſſa & ſupina aut erronea, quia huius generis ignorantia non excuſat, *c. Apoſtolicæ 9. de Cler. excom. depoſito &c.*

5. Dixi *actum Ordinis ſaltem maioris,* quia quoad Clericos minorum Ordinum vtrum irregulares fiant ex eo quod cenſura ligati ſuorum Ordinum actus exerceant, quæſtio eſt inter Theologos & Canoniſtas, cuius probabiliſſima reſolutio ea eſſe videtur, quam tradit *Suar. de cenſ. diſp.* 12. *ſect.* 2. *n.* 10. videlicet irregulares fieri ſi actum exerceant ſolemniter, & ex proprio Officio tamquam Miniſtri ad id deputati, eo veſtium genere, eoque tempore, loco, cæteriſque circumſtantijs, in quibus idem actus nonniſi per Clericum ordinatum exerceatur: quia tunc appareret eundem Clericum operari vt Miniſtrum conſecratum; ſecus autem ſi actum exerceant, qualiter etiam a laico

fie-

teruenit, vt ratione mutuationis ſoluatur aliquod lucrum vltra ſortem, hoc eſt vltra rem mutuatam. Vſura mentalis eſt, quando quis mutuat actu externo cum intentione acquirendi ex mutuo aliquod lucrum tamquam debitum, quamuis de tali lucro nullum pactum interueniat ſiue expreſſum, ſiue tacitum.

3. Secundò diuiditur vſura in apertam, & palliatam. Vſura aperta eſt, quando expreſſe, & proprie datur mutuum, vt ex eo lucrum iniuſtum acquiratur. Vſura palliata eſt, quando ſub prætextu alterius contractus à mutuatione diſtincti, ſed eidem æquiualentis, intenditur aut acquiritur lucrum iniuſtum vltra ſortem, ſicut contingeret v.g. ſi quis vendendo mercem, exigeret pretium ſupra iuſtum ex titulo dilationis ſolutionis pretij, quæ dilatio eſt quaſi quoddam virtuale mutuum, quia concedere ſpatium temporis ad ſoluendum pretium, perinde eſt ac pro eodem tempore idem pretium mutuare.

4. Vſuram eſſe grauiter prohibitam, patet ex toto tit. *de vſuris* in Decretal. & 14. *q.* 4. *per totam*. Quinimo ſi quis pertinaciter affirmare præſumeret, exercere vſuras non eſſe peccatum, ſubiectus eſſet pœnis hæreticorum, ex *Clem. vn. de vſur.* Damnatæ enim ſunt etiam à Iure

Di-

Diuino in Sacris litteris expreſſo, vt explicat *S.Th.2.2.qu.78.art.1.* & teſtatur textus in *c.quia in omnibus 3. & c. ſeq.de vſur.* vbi dicitur crimen vſurarium vtriuſque Teſtamenti pagina condemnari. Inde fit, vt ex nulla diſpenſatione acquiri vnquam poſſint, licet in fauorem cauſæ piæ aut alterius boni operis, ex *cit. c.ſuper eo 4.de vſur.*

5. Hæc autem intelligenda ſunt non ſolum quoad lucrum pecuniarum, ſed etiam quoad aliud quodlibet pretio æſtimabile, & quoad quodlibet grauamen, & onus: nihil enim tale mutuatario imponi poteſt præter id quod ipſi mutuo intrinſecum & proprium eſt. Vnde non ſolum munus à manu, ſed etiam munus ab obſequio, & munus à lingua eſt materia vſuræ.

6. Ex his ſequitur quod ſi debitor mutuatarius aliquid oppigneret creditori, quod ſuapte natura fructiferum ſit, puta poſſeſſionem aliquam; non poteſt creditor fructus eiuſdem lucrari vltra ſortem, ſed ſi quos percepit vel percipere debuit, debet illos in partem ſortis debitæ computare, & ſi tot percepit quot ſufficiunt ad adæquandam æſtimationem ſortis; cenſendum erit extinctum debitum, adeoque res oppignerata abſolute reſtituenda erit debitori, vt conſtat ex *c.1.& 2.de vſur.& l.1. & 2.*

C.de pignorat. act.

7. Tres tamen caſus in Iure Canonico inueniuntur ab hac regula excepti, in quibus fructus rei oppigneratæ percipi poſſunt à Creditore citra vſuram, non computando eos in ſortem. Primus eſt, ſi laicus aliquis iniuſte detineat poſſeſſionem aliquam ſpectantem ad Eccleſiam, eamque oppigneret illi eidem Clerico, cui illa ipſa poſſeſſio aſſignata fuerat in beneficium, de quo caſu ſermo eſt in *c.1. de vſur.* Secundus caſus eſt, ſi res oppignerata ſit feudum, atque tradatur in pignus domino directo eiuſdem feudi, de quo ſermo eſt in *c. conqueſtus* 8.*eod.& c.1.de feudis*, dummodo tamen interea idem dominus directus feudi non exigat à Vaſſallo debitum aliàs obſequium, ſeu ſeruitium, vel penſionem, vt cauetur in *eod. c.* 1.*de feudis*, de quo, alijſque pro iſto caſu ſeruandis videri poteſt *Molina tr.2.de iuſt. diſp.*323.

8. Tertius demum caſus eſt, ſi pro dote ſibi promiſſa accipiat maritus à Socero poſſeſſionem fructiferam in pignus: poteſt enim tunc eius fructus percipere donec dotem accipiat, nec cogitur eos in ſortem computare, vt habeat vnde poſſit ſuſtinere onera matrimonij, vt ſtatuitur in *c.ſalubriter* 16.*de vſur.* Vide eundem *Mol.in cit.tr.2.diſp.*321.*&* 322.

8.Vtrum

9. Vtrum autem & quando poſſit citra vſura aliquid exigi ſupra ſortem in mutuo, ratione lucri ceſſantis, vel ratione damni emergentis, aut propter periculum amittendæ ſortis, videri poteſt apud morales Theologos,

10. Obligationes & pœnę, quibus vel de iure naturali, vel de iure poſitiuo ſubiacent Vſurarij, plures ſunt. Primò enim cũ acceptio vſurarũ iniuſta ſit, & rapinæ ſimilis, ex *c. ſi quis vſuram* 10. 14. *q.* 4. & cũ non dimittatur peccatum, niſi reſtituatur ablatũ *c.* 4. *de reg. iur. in* 6. tenentur omnes vſurarij ad reſtitutionem vſurarũ ad quam compelluntur etiam Iudæi *c. Poſt miſerabilem* 12. & *c. penul. de vſur.* Quod ſi contingat, nulla facta reſtitutione vſurarium aliquem mori, obligatio reſtituendi tranſit ad eius hæredes pro parte hæreditaria, iuxta textum in *c. Tuanos* 9. *eod.* vbi Abb. *n* 6.

11. Hæc obligatio reſtituendi adeo ſtricti iuris eſt, vt etiamſi debitor iurauerit, ſe ſoluturum vſuras, aut ipſas non repetiturum; attamen compellere poſſit vſurarium ad relaxandum iuramentum officio Iudicis, per diſtrictionem Eccleſiaſticam, & poſtea ad reſtituendas vſuras, vt conſtat ex *c.* 1. *de iureiurando,* & *c. Tuas* 13. *de vſur.*

12. Secundò vſurarij pœna eſt, vt ſi Clericus fuerit, ab Officio & beneficio

Eccleſiaſtico ſuſpendatur poſtquam parere contempſit, ex *c. Præterea 7. eod.* vel etiam deponatur, vt colligitur ex *c. 1. eod.* & habetur expreſſe in *c. Si quis oblitus* 4. *& c. Quoniam* 8. 14. *q.* 4. Si autem Laicus ſit, vſque ad dignam ſatisfactionem, vinculo excommunicationis adſtringatur, ex *eod. c. Præterea*.

13. Tertiò vſurarij manifeſti patiuntur pœnam infamiæ, *c. Infames* 2. circa finem 3. *q.* 7. & *l. Improbum* 20. C. *ex quibus cauſ. infamia irrogatur.* Præterea vſurarius manifeſtus non eſt admittendus ad Communionem Altaris, ſeu ad perceptionem S. Euchariſtiæ, nec Chriſtiana (ſi in hoc peccato deceſſerit) ſepultura tumulandus. Sed nec oblationes eius quiſquam accipere poteſt. Qui autem acceperit, vel eum Chriſtianæ tradiderit ſepulturæ, tenetur reddere quod accepit, & donec ad arbitrium Epiſcopi ſui ſatisfaciat, ab officij ſui manet executione ſuſpenſus, iuxta textum in *c. Quia in omnibus* 3. *de vſur. & Clem.* 1. *de ſepultur.* vbi inſuper decernitur vt qui ſcienter in Eccleſiaſtica ſepultura ſepelire præſumit prædictos vſurarios manifeſtos, ipſo facto excommunicationis ſententiæ ſubiaceat. Item non eſt admittendus ad confeſſionem ſiue abſolutionem ſuorum peccatorum, nec teſtamentum condere poteſt, niſi prius vſuris ſatisfecerit, vel

de

de ſatisfaciendo pro ſuarum viribus facultatum præſtet idoneam cautionem, iuxta modum expreſſe ſtatutum in *cap. Quamquam de vſur in 6.*

14. Demum omiſſis reliquis, quæ videri poſſunt apud *Theſaur.* in libro *de pœnis Eccleſiaſticis p.2. tit. de Vſurarijs cap.1.* ſancitum eſt in *c.1. de vſur in.6.* vt nec Collegium, nec alia Vniuerſitas, vel ſingularis perſona cuiuſcumque ſit dignitatis, conditionis aut ſtatus, alienigenas & alios non oriundos de terris ipſorum publice fœnebré pecuniam exercentes, aut exercere volentes, ad hoc domos in terris ſuis conducere, vel conductas habere, aut alias habitare permittant: ſed huiuſmodi vſurarios manifeſtos omnes intra tres menſes, de terris ſuis expellant, numquam aliquos tales de cætero admiſſuri: nemo illis ad fœnus exercendum domos locet, vel ſub alio titulo quocumque concedat. Qui contra fecerint, ſi perſonæ fuerint Eccleſiaſticæ, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, ſuſpenſionis; minores perſonæ ſingulares, excommunicationis; ſi autẽ Collegium ſeu alia Vniuerſitas, interdicti ſententiam ipſo facto incurrant. Quã ſi per menſem animo ſuſtinuerint indurato, terræ ipſorum (quamdiu in eis vſurarij commorantur) ex tunc Eccleſiaſtico ſubiaceant interdicto. Çæterum ſi

laici fuerint, per ſuos Ordinarios ab huiuſmodi exceſſu (omni ceſſante priuilegio) per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcantur.

15. Vtrum crimen vſuræ ſit mixti fori, itaut cognoſci poſſit tum a Iudice ſæculari, tum ab Eccleſiaſtico, diſputatur inter Doctores. De hac quæſtione videri poteſt *Guttier. lib. 2. Canonicar. quæſt cap.* 18.

TIT. XI.

De adulteriis & ſtupro.

1. ADulterium ſtricte ſumptum, eſt alieni thori violatio, atque committitur vel a coniugato cum coniugata, vel a coniugato cum ſoluta, vel a ſoluto cum coniugata, vt colligitur ex *c. 2. 36. q. 1.*

2. Pœnæ contra adulteros ſtatutę plures ſunt. Olim in Lege veteri pœna fuit lapidatio, vt ſignificatur in *c. 8. Ioan.* De iure Cæſareo decreta olim fuit adulteris, ſiue viro, ſiue mulieri, pœna gladij, *l. quamuis* 30. *§. fin. C. ad leg. Iul. de adulter.* & *§. Item lex, Iulia Inſt. de publ. Iudicijs*, quamuis poſtea quoad fęminas correcta fuerit illa lex, vt verberatæ in Monaſterium mittantur: itaut intra biennium viro vxorem repetere lice-

ret

ret, ſecus autem ſpoſtea, iuxta *auth. ſed hodie C. eod.* Hodie quid hac in re ſeruandum ſit, cognoſcendum eſt ex particularibus ſtatutis vel conſuetudinibus regionùm. Videri poſſunt Iuriſtę in tit. *ff. ad leg. Iul. de adulter.*

3. De iure cànonico, adulteri tam maſculi quam fęminę, ſi pręſertim in delicto perſeuerent, excommunicantur, vt ſumitur ex *c. Intelleximus 6. de adulter. & ſtupro.* Mulieres autem etiam in Monaſterium detruduntur, & ſi mariti nolint eas recipere, ibi perpetuam pœnitentiam agere debent, *c. Gaudemus 19. de conuerſ. coniug.* Quod ſi adulterium commiſſum ſit a Clerico, iſque tale crimen confeſſus, aut de eo conuictus fuerit a Iudice Eccleſiaſtico, deponendus eſt ob Officio & beneficio, & in Monaſterio ad agendam ibi pœnitentiam, toto vitæ ſuę tempore, collocandus *c. ſi quis Clericus 10. diſt. 81.*

4. Pręterea coniux innocens propter alterius adulterium agere poteſt ad ſeparationem habitationis coram Iudice Eccleſiaſtico, ad quem ſpectat huius cauſę cognitio ad eum finem inſtituta, ex *c. Tuæ. 4. de procuratorib.* ſecus eſſet ſi vterque coniux adulterij reus eſſet, in quo caſu non debet matrimonialis habitatio ſeparari vt conſtat ex *c. penult. & vlt. de adulter.* quia tunc paria crimina compen-

ſatione mutua tolluntur. Quod ſi maritus ſit innocens, & ſciat vxorem ſuam deliquiſſe, & abſque pœnitentia permanere in fornicatione, non ſolum poteſt, ſed etiam tenetur ſe ab eius cohabitatione diuidere ad vitandum ſcandalum, ne videatur ipſe conniuere & patrocinari adulterio vxoris, quia patronus turpitudinis eſt, qui crimen celat vxoris *c. 1. 32 q. 1. & c. Si vir. 3. de adult. & ſtupro.*

5. Si igitur accidat ſententiam diuortij ferri a Judice, ſeparatur habitatio matrimonialis: ſed & inſuper vxor adultera poſt eandem ſententiam, amittit dotē, eamque vir innocens lucratur, *c. Plerumque 4. de donat. inter vir. & vxor.* quemadmodum & vxor innocens ob adulterium mariti lucratur donationem propter nuptias, teneturque maritus vxori dotem ſuam reſtituere, durante adhuc matrimonio, vt ex pluribus docet *Sanch. de Matrim. lib. 10. diſp. 8. n. 11.* ſumiturque etiam ex *c. 1. & 2. de donat. inter vir. & vxor.*

6. Quomodo autem de iure recentiori Tridentini Ordinarius procedere debeat in cauſa adulterij contra adulteros, videri poteſt in *ſeſſ. 24. de reform. matrim. cap. 8.*

7. Stuprum ſtricte acceptum ſignificat fornicationem commiſſam cum virgine, vt explicat Gratian. in *c. Lex. illa 2.*

36. q. 1. Quamuis nonnumquam latius ſumatur etiam pro peccato commiſſo cũ vidua integræ vitæ & honeſte viuente, vt videre eſt in *l. Inter liberas* 6. *ff. ad leg. Iul. de adult.*

8. De Iure Canonico, ſi quis Virginem ſeduxerit ac deflorauerit, dotare eam debet, & habere vxorem. Quod ſi pater virginis dare noluerit, tenetur ſaltem reddere pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere conſueuerunt, *c.* 1. *de adulter.* & *ſtupro*. Si autẽ ipſe ſtuprator nolit illam accipere, corporaliter caſtigatus, excommunicatuſque in Monaſterium, in quo agat pænitentiã, retrudetur, de quo nulla ſit egrediendi ſine Iudicis permiſſione licentia, *c.* 2. *eod* Demum hoc graue crimen in Clerico ſatis eſſe, vt idem Clericus deponatur, tradit *Panor. in eod c.* 2. *n* 4.

9. Alia ſpectantia ad hæc cæteraque delicta carnalia, videri poſſunt apud Theologos morales.

TIT. XII.

De quibuſdam peculiaribus Clericorum delictis.

1. Plures ſunt tituli in 5. Decretalium, in quibus agitur de quibuſdam delictis, quæ præſertim verſan-

ſantur circa ſuſceptionem aut admini-ſtrationem Ordinum Eccleſiaſticorum, & propterea dici poſſunt peculiaria Clericorum. Huius generis delicta ſunt, quæ præſenti hoc titulo comprehendimus.

2. Primum eiuſdem generis delictū eſt, ſi quis Clericus depoſitus, vel excommunicatus, vel interdictus, audeat in Ordine miniſtrare, & de eo agitur in *tit. de Clerico excomm. depoſ. vel inter. miniſtr.* ac multiplex contra illud pœna decernitur. Prima pœna eſt: vt ſi Clericus depoſitus propter crimen, actum Ordinis aut officij, a quo depoſitus eſt, exerceat, excommunicandus ſit, *c. 1. eod.* idémque iuris ſeruandum ſit, ſi Clericus degradatus, aut ab officio pro certis criminibus ſuſpenſus aliquid de miniſterio ſibi interdicto agere pręſumpſerit, & poſtea ab Epiſcopo ſuo correptus, in incœpta pręſumptione perdurauerit. Quod ſi aliquis iſta omnia contempſerit, & Epiſcopus minime emendare potuerit, Regis iudicio, ad requiſitionem Eccleſię, exilio damnetur, *c. 2. eod.*

3. Item in *c. Clerici 3. eod.* ſtatutum eſt vt ſi Clericus interdictus vel excommunicatus ante abſolutionem Diuina officia celebrauerit, niſi monitus ſine dilatione redierit, perpetuę depoſitionis ſẽtentiam pro auſu tantę temeritatis incurrat, & etiam beneficijs omnibus ſpolietur,

tur, vt habetur in *c. Fraternitati 6. eod.*

4. Eiuſdem demum criminis pœna eſt, vt ſi Clericus excommunicatus vel ſuſpenſus vel interdictus exerceat ſolēniter ſibi prohibitum actum Ordinis, ſaltem maioris, irregularitatē incurrat prout ſumitur ex *c.* 1. §. *vlt. de ſent. excom. in 6. c.* 1. *de ſent. & re iudic. in 6.* §. *vlt.* alijſque iuribus. Niſi tamen Diuina celebrauerit cum ignorantia probabili ſuſpenſionis ſuæ, ratione cuius excuſaretur, non autem cum ignorantia craſſa & ſupina aut erronea, quia huius generis ignorantia non excuſat, *c. Apoſtolicæ 9. de Cler. excom. depoſito &c.*

5. Dixi *actum Ordinis ſaltem maioris*, quia quoad Clericos minorum Ordinum vtrum irregulares fiant ex eo quod cenſura ligati ſuorum Ordinum actus exerceant, quæſtio eſt inter Theologos & Canoniſtas, cuius probabiliſſima reſolutio ea eſſe videtur, quam tradit *Suar. de cenſ. diſp.* 12. *ſect.* 2. *n.* 10. videlicet irregulares fieri ſi actum exerceant ſolemniter, & ex proprio Officio tamquam Miniſtri ad id deputati, eo veſtium genere, eoque tempore, loco, cæteriſque circumſtantijs, in quibus idem actus nonniſi per Clericum ordinatum exerceatur: quia tunc app ret eundem Clericum operari vt Miniſtrum conſecratum; ſecus autem ſi actum exerceant, qualiter etiam a laico

fie-

teruenit, vt ratione mutuationis ſoluatur aliquod lucrum vltra ſortem, hoc eſt vltra rem mutuatam. Vſura mentalis eſt, quando quis mutuat actu externo cum intentione acquirendi ex mutuo aliquod lucrum tamquam debitum, quamuis de tali lucro nullum pactum interueniat ſiue expreſſum, ſiue tacitum.

3. Secundò diuiditur vſura in apertam, & palliatam. Vſura aperta eſt, quando expreſſe, & proprie datur mutuum, vt ex eo lucrum iniuſtum acquiratur. Vſura palliata eſt, quando ſub prætextu alterius contractus à mutuatione diſtincti, ſed eidem ęquiualentis, intenditur aut acquiritur lucrum iniuſtum vltra ſortem, ſicut contingeret v. g. ſi quis vendendo mercem, exigeret pretium ſupra iuſtum ex titulo dilationis ſolutionis pretij, quę dilatio eſt quaſi quoddam virtuale mutuum, quia concedere ſpatium temporis ad ſoluendum pretium, perinde eſt ac pro eodem tempore idem pretium mutuare.

4. Vſuram eſſe grauiter prohibitam, patet ex toto tit. *de vſuris* in Decretal. & 14. *q.* 4. *per totam.* Quinimo ſi quis pertinaciter affirmare præſumeret, exercere vſuras non eſſe peccatum, ſubiectus eſſet pœnis hæreticorum, ex *Clem. vn. de vſur.* Damnatæ enim ſunt etiam à Iure

Di-

Diuino in Sacris litteris expreſſo, vt explicat *S.Th.*2.2.*qu.*78.*art.* 1. & teſtatur textus in *c.quia in omnibus* 3. *& c. ſeq.de vſur.* vbi dicitur crimen vſurarium vtriuſque Teſtamenti pagina condemnari. Inde fit, vt ex nulla diſpenſatione acquiri vnquam poſſint, licet in fauorem cauſæ piæ aut alterius boni operis, ex *cit. c.ſuper eo* 4.*de vſur.*

5. Hæc autem intelligenda ſunt non ſolum quoad lucrum pecuniarum, ſed etiam quoad aliud quodlibet pretio æſtimabile, & quoad quodlibet grauamen, & onus: nihil enim tale mutuatario imponi poteſt præter id quod ipſi mutuo intrinſecum & proprium eſt. Vnde non ſolum munus à manu, ſed etiam munus ab obſequio, & munus à lingua eſt materia vſuræ.

6. Ex his ſequitur quod ſi debitor mutuatarius aliquid oppigneret creditori, quod ſuapte natura fructiferum ſit, puta poſſeſſionem aliquam; non poteſt creditor fructus eiuſdem lucrari vltra ſortem, ſed ſi quos percepit vel percipere debuit, debet illos in partem ſortis debitæ computare, & ſi tot percepit quot ſufficiunt ad adæquandam æſtimationem ſortis; cenſendum erit extinctum debitum, adeoque res oppignerata abſolute reſtituenda erit debitori, vt conſtat ex *c.*1.*&* 2.*de vſur.& l.* 1. *&* 2.

C.de pignorat. act.

7. Tres tamen caſus in Iure Canonico inueniuntur ab hac regula excepti, in quibus fructus rei oppigneratæ percipi poſſunt à Creditore citra vſuram, non computando eos in ſortem. Primus eſt, ſi laicus aliquis iniuſte detineat poſſeſſionem aliquam ſpectantem ad Eccleſiam, eamque oppigneret illi eidem Clerico, cui illa ipſa poſſeſſio aſſignata fuerat in beneficium, de quo caſu ſermo eſt in *c.1. de vſur.* Secundus caſus eſt, ſi res oppignerata ſit feudum, atque tradatur in pignus domino directo eiuſdem feudi, de quo ſermo eſt in *c. conqueſtus* 8*.eod.& c.1.de feudis,* dummodo tamen interea idem dominus directus feudi non exigat à Vaſſallo debitum aliàs obſequium, ſeu ſeruitium, vel penſionem, vt cauetur in *eod. c.* 1*.de feudis,* de quo, alijſque pro iſto caſu ſeruandis videri poteſt *Molina tr.2.de iuſt. diſp.*323.

8. Tertius demum caſus eſt, ſi pro dote ſibi promiſſa accipiat maritus à Socero poſſeſſionem fructiferam in pignus: poteſt enim tunc eius fructus percipere donec dotem accipiat, nec cogitur eos in ſortem computare, vt habeat vnde poſſit ſuſtinere onera matrimonij, vt ſtatuitur in *c.ſalubriter*16*.de vſur.* Vide eundem *Mol.in cit.tr.2.diſp.*321*.&* 322.

8. Vtrum

9. Vtrum autem & quando poſſit citra vſura aliquid exigi ſupra ſortem in mutuo, ratione lucri ceſſantis, vel ratione damni emergentis, aut propter periculum amittendæ ſortis, videri poteſt apud morales Theologos,

10. Obligationes & pœnę, quibus vel de iure naturali, vel de iure poſitiuo ſubiacent Vſurarij, plures ſunt. Primò enim cũ acceptio vſurarũ iniuſta ſit, & rapinæ ſimilis, ex *c. ſi quis vſuram* 10. 14. *q.* 4. & cũ non dimittatur peccatum, niſi reſtituatur ablatũ *c.* 4. *de reg. iur. in* 6. tenentur omnes vſurarij ad reſtitutionem vſurarũ ad quam compelluntur etiam Iudæi *c. Poſt miſerabilem* 12. & *c. penul. de vſur.* Quod ſi contingat, nulla facta reſtitutione vſurarium aliquem mori, obligatio reſtituendi tranſit ad eius hæredes pro parte hæreditaria, iuxta textum in *c. Tuæ nos* 9. *eod.* vbi Abb. *n* 6.

11. Hæc obligatio reſtituendi adeo ſtricti iuris eſt, vt etiamſi debitor iurauerit, ſe ſoluturum vſuras, aut ipſas non repetiturum; attamen compellere poſſit vſurarium ad relaxandum iuramentum officio Iudicis, per diſtrictionem Eccleſiaſticam, & poſtea ad reſtituendas vſuras, vt conſtat ex *c.* 1. *de iureiurando*, & *c. Tuas* 13. *de vſur.*

12. Secundò vſurarij pœna eſt, vt ſi Clericus fuerit, ab Officio & beneficio

Eccleſiaſtico ſuſpendatur poſtquam parere contempſit, ex *c. Præterea 7. eod.* vel etiam deponatur, vt colligitur ex *c. 1. eod.* & habetur expreſſe in *c. Si quis oblitus 4. & c. Quoniam 8. 14. q. 4.* Si autem Laicus ſit, vſque ad dignam ſatisfactionem, vinculo excommunicationis adſtringatur, ex *eod. c. Præterea.*

13. Tertiò vſurarij manifeſti patiuntur pœnam infamiæ, *c. Infames 2.* circa finem *3. q. 7.* & *l. Improbum 20. C. ex quibus cauſ. infamia irrogatur.* Præterea vſurarius manifeſtus non eſt admittendus ad Communionem Altaris, ſeu ad perceptionem S. Euchariſtiæ, nec Chriſtiana (ſi in hoc peccato deceſſerit) ſepultura tumulandus. Sed nec oblationes eius quiſquam accipere poteſt. Qui autem acceperit, vel eum Chriſtianæ tradiderit ſepulturæ, tenetur reddere quod accepit, & donec ad arbitrium Epiſcopi ſui ſatisfaciat, ab officij ſui manet executione ſuſpenſus, iuxta textum in *c. Quia in omnibus 3. de vſur. & Clem. 1. de ſepultur.* vbi inſuper decernitur vt qui ſcienter in Eccleſiaſtica ſepultura ſepelire præſumit prædictos vſurarios manifeſtos, ipſo facto excommunicationis ſententiæ ſubiaceat. Item non eſt admittendus ad confeſſionem ſiue abſolutionem ſuorum peccatorum, nec teſtamentum condere poteſt, niſi prius vſuris ſatisfecerit, vel

de

de ſatisfaciendo pro ſuarum viribus facultatum præſtet idoneam cautionem, iuxta modum expreſſe ſtatutum in *cap, Quamquam de vſur in 6.*

14. Demum omiſſis reliquis, quæ videri poſſunt apud *Theſaur.* in libro *de pœnis Eccleſiaſticis p. 2. tit. de Vſurarijs cap. 1.* ſancitum eſt in *c. 1. de vſur in. 6.* vt nec Collegium, nec alia Vniuerſitas, vel ſingularis perſona cuiuſcumque ſit dignitatis, conditionis aut ſtatus, alienigenas & alios non oriundos de terris ipſorum publice fœnebré pecuniam exercentes, aut exercere volentes, ad hoc domos in terris ſuis conducere, vel conductas habere, aut alias habitare permittant: ſed huiuſmodi vſurarios manifeſtos omnes intra tres menſes, de terris ſuis expellant, numquam aliquos tales de cætero admiſſuri: nemo illis ad fœnus exercendum domos locet, vel ſub alio titulo quocumque concedat. Qui contra fecerint, ſi perſonæ fuerint Eccleſiaſticæ, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, ſuſpenſionis; minores perſonæ ſingulares, excommunicationis; ſi autẽ Collegium ſeu alia Vniuerſitas, interdicti ſententiam ipſo facto incurrant. Quã ſi per menſem animo ſuſtinuerint indurato, terræ ipſorum (quamdiu in eis vſurarij commorantur) ex tunc Eccleſiaſtico ſubiaceant interdicto. Cæterum ſi

laici fuerint, per ſuos Ordinarios ab huiuſmodi exceſſu (omni ceſſante priuilegio) per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcantur.

15. Vtrum crimen vſuræ ſit mixti fori, itaut cognoſci poſſit tum a Iudice ſæculari, tum ab Eccleſiaſtico, diſputatur inter Doctores. De hac quæſtione videri poteſt *Guttier. lib. 2. Canonicar. quæſt cap.* 18.

TIT. XI.

De adulteriis & ſtupro.

1. ADulterium ſtricte ſumptum eſt alieni thori violatio, atque committitur vel a coniugato cum coniugata, vel a coniugato cum ſoluta, vel a ſoluto cum coniugata, vt colligitur ex *c. 2. 36. q. 1.*

2. Pœnæ contra adulteros ſtatutę plures ſunt. Olim in Lege veteri pœna fuit lapidatio, vt ſignificatur in *c. 8. Ioan.* De iure Cæſareo decreta olim fuit adulteris, ſiue viro, ſiue mulieri, pœna gladij, *l. quamuis 30. §. fin. C. ad leg. Iul. de adulter.* & *§. Item lex, Iulia Inſt. de publ. Iudicijs*, quamuis poſtea quoad fęminas correcta fuerit illa lex, vt verberatæ in Monaſterium mittantur: itaut intra biennium viro vxorem repetere liceret

ret, ſecus autem poſtea, iuxta *auth. ſed hodie C. eod.* Hodie quid hac in re ſeruandum ſit, cognoſcendum eſt ex particularibus ſtatutis vel conſuetudinibus regionùm. Videri poſſunt Iuriſtę in tit. *ff. ad leg. Iul. de adulter.*

3. De iure canonico, adulteri tam maſculi quam fęminę, ſi preſertim in delicto perſeuerent, excommunicantur, vt ſumitur ex *c. Intelleximus 6. de adulter. & ſtupro.* Mulieres autem etiam in Monaſterium detruduntur, & ſi mariti nolint eas recipere, ibi perpetuam pœnitentiam agere debent, *c. Gaudemus 19. de conuerſ. coniug.* Quod ſi adulterium commiſſum ſit a Clerico, iſque tale crimen confeſſus, aut de eo conuictus fuerit a Iudice Eccleſiaſtico, deponendus eſt ob Officio & beneficio, & in Monaſterio ad agendam ibi pœnitentiam, toto vitæ ſuę tempore, collocandus *c. ſi quis Clericus 10. diſt. 81.*

4. Pręterea coniux innocens propter alterius adulterium agere poteſt ad ſeparationem habitationis coram Iudice Eccleſiaſtico, ad quem ſpectat huius cauſę cognitio ad eum finem inſtituta, ex *c. Tuæ. 4. de procuratorib.* ſecus eſſet ſi vterque coniux adulterij reus eſſet, in quo caſu non debet matrimonialis habitatio ſeparari vt conſtat ex *c. penult. & vlt. de adulter.* quia tunc paria crimina compen-

ſatione mutua tolluntur. Quod ſi maritus ſit innocens, & ſciat vxorem ſuam deliquiſſe, & abſque pœnitentia permanere in fornicatione, non ſolum poteſt, ſed etiam tenetur ſe ab eius cohabitatione diuidere ad vitandum ſcandalum, ne videatur ipſe conniuere & patrocinari adulterio vxoris, quia patronus turpitudinis eſt, qui crimen celat vxoris *c. 1. 32 q. 1. & c. Si vir. 3. de adult. & ſtupro.*

5. Si igitur accidat ſententiam diuortij ferri a Iudice, ſeparatur habitatio matrimonialis: ſed & inſuper vxor adultera poſt eandem ſententiam, amittit dotẽ, eamque vir innocens lucratur, *c. Plerumque 4. de donat. inter vir. & vxor.* quemadmodum & vxor innocens ob adulterium mariti lucratur donationem propter nuptias, teneturque maritus vxori dotem ſuam reſtituere, durante adhuc matrimonio, vt ex pluribus docet *Sanch. de Matrim. lib. 10. diſp. 8. n. 11.* ſumiturque etiam ex *c. 1. & 2. de donat. inter vir. & vxor.*

6. Quomodo autem de iure recentiori Tridentini Ordinarius procedere debeat in cauſa adulterij contra adulteros, videri poteſt in *ſeſſ. 24. de reform. matrim. cap. 8.*

7. Stuprum ſtricte acceptum ſignificat fornicationem commiſſam cum virgine, vt explicat Gratian. in *c. Lex. illa 2.*

36. q. 1. Quamuis nonnumquam latius ſumatur etiam pro peccato commiſſo cũ vidua integræ vitæ & honeſte viuente, vt videre eſt in *l. Inter liberas 6. ff. ad leg. Iul. de adult.*

8. De Iure Canonico, ſi quis Virginem ſeduxerit ac deflorauerit, dotare eam debet, & habere vxorem. Quod ſi pater virginis dare noluerit, tenetur ſaltem reddere pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere conſueuerunt, *c. 1. de adulter. & ſtupro.* Si autẽ ipſe ſtuprator nolit illam accipere, corporaliter caſtigatus, excommunicatuſque in Monaſterium, in quo agat pænitentiã, retrudetur, de quo nulla ſit egrediendi ſine Iudicis permiſſione licentia, *c. 2. eod* Demum hoc graue crimen in Clerico ſatis eſſe, vt idem Clericus deponatur, tradit *Panor. in eod c. 2. n 4.*

9. Alia ſpectantia ad hæc cæteraque delicta carnalia, videri poſſunt apud Theologos morales.

TIT. XII.

De quibuſdam peculiaribus Clericorum delictis.

1. PLures ſunt tituli in 5. Decretalium, in quibus agitur de quibuſdam delictis, quæ præſertim verſan-

tur, vt habetur in *c. Fraternitati 6. eod.*

4. Eiuſdem demum criminis pœna eſt, vt ſi Clericus excommunicatus vel ſuſpenſus vel interdictus exerceat ſolẽniter ſibi prohibitum actum Ordinis, ſaltem maioris, irregularitatẽ incurrat prout ſumitur ex *c. 1. §. vlt. de ſent. excom. in 6. c. 1. de ſent. & re iudic. in 6. §. vlt.* alijſque iuribus. Niſi tamen Diuina celebrauerit cum ignorantia probabili ſuſpenſionis ſuæ, ratione cuius excuſaretur, non autem cum ignorantia craſſa & ſupina aut erronea, quia huius generis ignorantia non excuſat, *c. Apoſtolicæ 9. de Cler. excom. depoſito & c.*

5. Dixi *actum Ordinis ſaltem maioris*, quia quoad Clericos minorum Ordinum vtrum irregulares fiant ex eo quod cenſura ligati ſuorum Ordinum actus exerceant, quæſtio eſt inter Theologos & Canoniſtas, cuius probabiliſſima reſolutio ea eſſe videtur, quam tradit *Suar. de cenſ. diſp. 12. ſect. 2. n. 10.* videlicet irregulares fieri ſi actum exerceant ſolemniter, & ex proprio Officio tamquam Miniſtri ad id deputati, eo veſtium genere, eoque tempore, loco, cæteriſque circumſtantijs, in quibus idem actus nonniſi per Clericum ordinatum exerceatur: quia tunc app ret eundem Clericum operari vt Miniſtrum conſecratum; ſecus autem ſi actum exerceant, qualiter etiam a laico

fie-

fieri poſſit & ſoleat. Vnde concludit ibidem idem Doctor, raro vel numquam hanc irregularitatẽ incurri, quia vix aliquid, aut aliquo modo faciunt Clerici in ſolis minoribus Ordinibus conſtituti, quod laici facere non conſueuerint.

6. Supradicta procedunt de Clerico excommunicato excommunicatione maiori: ſi enim aliquis ſolum ligatus excommunicatione minori, celebrat, quamuis grauiter peccet, nullius tamen notam irregularitatis incurrit: & licet eligi prohibeatur, non prohibetur eligere, vel ea quę ratione iuriſdictionis ſibi competunt, exercere, dummodo non in contemptum Eccleſiaſticæ diſciplinę, videlicet contra prohibitionem Superioris, communioni excommunicatorum pertinaciter ſe ingeſſerit: in quo caſu eſt anathemate feriendus, *c. vlt. de Cler. excom. depoſ. &c.*

7. Aliud Clericorum delictum eſſet, ſi in aliquo Ordine, quem nondum ſuſceperunt, miniſtrarent, ſeu aliquod eius miniſterium exercerent qualiter nonniſi per conſtitutum in eodem Ordine exerceri poteſt, de quo crimine ſermo eſt in toto tit. *de Clerico non ordin. miniſtr.* Decernitur ibi per Sacros Canones, vt ſi Clericus non ordinatus (quod idem communis Doctorum ſententia extendit etiam ad laicos) aliquod

Diui-

Diuinum Officium ita exercuerit, abijciatur de Eccleſia, ſeu priuetur communione fidelium, & ad altiores Ordines non aſcendat, imo & ab Ordine iam ſuſcepto ſuſpendatur pro arbitrio Epiſcopi per biennium aut triennium, vt habetur in *c.* 1. *&* 2. *de Cler. non ordin. miniſtr.* ſiue ea ſuſpenſio extendatur, quoad omnes Ordines iam ſuſceptos, vt videtur ſenſiſſe Hoſtienſis, ſiue ſolum procedat quoad Ordinem proxime & poſtremo ſuſceptum, vt videtur ſentire *Suar. de cenſ. diſp.* 42. *ſect.* 4. *n.* 4. Huc etiam facit Bulla 81. Clementis VIII. *Et ſi aliàs*, vbi de eo qui cum non ſit Sacerdos, Miſſam celebrat, aut Confeſſiones audit, ſtatuitur vt Sacris Inquiſitoribus aut locorum Ordinarijs tradatur degradandus, ac deinde Curiæ ſæculari puniendus.

8. Aliud quoque Clericorum crimen eſſet, ſi vel per ſaltum promouerentur, hoc eſt ſuperiorem Ordinem acciperent nondum accepto Ordine inferiori; vel ſi Ordinem furtiue ſuſciperent, hoc eſt ſine conſenſu proprij Epiſcopi, aut abſque præuio examine cum reliquis ordinandis ſe doloſe coniungerent, vnde poſt titulos explicatos ſequitur in 5. Decretal. tit. *de Cleric. per ſaltum promoto*, & tit. *de eo qui furtiue Ordinem ſuſcepit*.

9. Si quis igitur per ſaltum promoueatur, puta prætermiſſo Subdiaconatu Diaconus ordinetur, eius Ordinatio valida eſt, vt docet Gloſ. communiter recepta in *c. vn. diſt. 52. v. Subdiaconatus* & ſupponitur in *c. vn. de Cler. per ſaltum promoto*; Sed eſt illicita, & in eius pœnam ſuſpenditur a ſuſcepti Ordinis executione, donec Ordo prætermiſſus ſuppleatur, poſt quem poterit Epiſcopus cum legitima cauſa ex miſericordia diſpenſare, vt ita Ordinatus poſſit miniſtrare etiam in Ordine per ſaltum ſuſcepto, dummodo tamen in eodem non miniſtrauerit tempore ſuſpenſionis, vt conſtat ex *eod. cap. vn. de Cler. per ſalt. prom.* & ex *Trid. ſeſſ. 23. de refor. c. 14.*

10. Quod attinet ad pœnam eorum qui furtiue ſint Ordinati, diſtinguendum eſt vt diſtinguitur in *c. 1. de eo qui Ord. furt. ſuſcep.* vel enim prohibitum illis erat ita furtiue ordinari ſub pœna excommunicationis; vel nulla interminatio excommunicationis ſuper hoc facta erat. Si primum, ſuſpenduntur ab Ordine ſuſcepto, & ad Superiorem Ordinem prohibentur aſcendere ſine diſpenſatione Summi Pontificis: niſi tamen in aliquo Monaſterio habitum Regularem ſuſceperint, & in eo fuerint aliquanto tempore laudabiliter cõuerſati; in quo caſu poterit Epiſcopus miſe-

miſericorditer diſpenſare, ex *cit.c.* 1. & 3. *eod.* Si autem ſententia excommunicationis lata non fuerat, tunc furtiue ordinatus ſuſpenſus etiam erit a ſuſcepti Ordinis executione, ſed poſt peractam pœnitentiam diſpenſari poterit a proprio Epiſcopo, niſi alia impediant, ex *eod. c.* 1. Conſonat etiam *Trid. ſeſſ.* 23. *de ref. cap.*8. vbi decernitur vt ſi quis ab alieno Epiſcopo ordinetur abſque teſtimonio Ordinarij circa eius probitatem & mores, Ordinans a collatione Ordinum per annum, & Ordinatus a ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus.

TIT. XIII.

De priuilegijs & exceſſibus priuilegiatorum.

1. ALia criminum ſpecies breuiter hic cognoſcenda, eſt quæ committitur a priuilegiatis quà talibus, atque conſiſtit in abuſu priuilegiorum. Ad huius intelligentiam, prælibandum aliquid eſt circa naturam & proprietates priuilegiorum.

2. Priuilegium generice ſumptum eſt quaſi quædam priuata lex, ex *c. Priuilegia* 4. *diſt.* 3. quia ſcilicet alicui pri-

uatæ

uatæ perſonæ ſeu communitati vel loco concedit aliquid ſpeciale contra, vel præter ius commune. Differt a diſpenſatione, quia nomine diſpenſationis ſolet intelligi conceſſio alicui facta contra ius commune in ordine ad vnum aliquem actum exercendum, puta ad matrimonium contrahendum, quo actu poſito, ceſſat diſpenſatio: de ratione autem priuilegij proprie accepti eſt vt cōcedatur ad aliquid operandum vel non operandum ordinarie & ſtabiliter prȩter vel contra ius commune, vt ſatis indicat ipſum nomen legis, quæ per ſe ſignificat quandam ſtabilitatem & permanentiam.

3. Priuilegium ita explicatum ſolet multipliciter diuidi. Primo enim aliud eſt priuilegium reale, aliud perſonale, vt ſumitur ex *l. Priuilegia. 156. ff. de diuer. reg. iur.* Priuilegium reale dicitur quod immediate & directe conceditur rei vel officio, vnde durat quamdiu durat ipſa res aut officium, & conſequenter tranſit ad ſucceſſorem in eadem re vel officio. Priuilegium perſonale eſt quod immediate & directe conceditur perſonæ, vnde illam non egreditur & cum ea expirat, vt conſtat ex *cit. l. Priuilegia, & l. Sordidorum 13. C. de excuſationib. munerum. lib.* 10. Aliqui etiam aſſignant tertiam ſpeciem priuilegij, quam

quam vocant priuilegium mixtum, quo nomine ſignificatur ab ipſis ea ſpecies priuilegiorum, quæ conceduntur alicui certo generi perſonarum, puta Clericis, Religioſis, filijsſamilias &c. itaut tranſeant etiam ad eos omnes, qui ſucceſſiue idem genus perſonarum conſtituunt.

4. Alia priuilegiorum diuiſio eſt in perpetua & temporalia. Perpetua dicuntur quæ conceduntur abſolute & ſine temporis limitatione, vnde de ſe durant quamdiu non fuerint reuocata. Ad hoc genus reducuntur quæ ſine temporis limitatione conceduntur perſonæ fictæ, nempe corpori myſtico ſeu politico, puta alicui ciuitati, vniuerſitati, Collegio, Religioni, &c. & quæ conceduntur perſonis certi generis, quæ communitatem conſtituunt; qualia priuilegia diximus ab aliquibus vocari priuilegia mixta: cum enim tales communitates & myſtica corpora non deficiãt, neque deficit priuilegium illis conceſſum. Temporalia autem priuilegia ſunt, quæ reſtricte conceduntur ad certum tempus, qualia nonnumquam eſſe ſolent, quæ conceduntur ſingularibus perſonis in indiuiduo.

5. Concedere priuilegia ille omnis & ſolus poteſt qui poteſt legem ferre, & in materia ſuæ diſpoſitioni ſubiecta, quam-

quamuis cæteroquin conceſſio priuilegiorum non ſit proprie actus iuriſdictionis,ſed meræ gratioſæ liberalitatis.Hinc priuilegium concedi poteſt etiam non ſubdito, dummodo hic ſit aliqua ratione inferior concedente: quamuis enim priuilegium ſit quædam priuata lex, attamen quatenus priuilegium eſt non obligat priuilegiatum, & ideo relate ad eundem non eſt neceſſaria in concedente iuriſdictio,

6. Rurſus ſicut habens poteſtatem legiſlatiuá poteſt concedere priuilegia, ita etiam poteſt priuilegia reuocare. Qua tamen in re diſtinguunt Doctores cum *Panor.in c. Nouit* 13. *de Iudic. n.*23. *& ſeqq.* inter priuilegium conceſſum ſubdito, & inter priuilegium conceſſum non ſubdito, quod priuilegium conceſſum non ſubdito, & ab eo acceptatum, non poteſt a concedente reuocari pro libito, quia ſe habet tamquam gratuita donatio legitime acquiſita; Princeps autem priuare non poteſt non ſubditum rebus legitime acquiſitis. E conuerſo priuilegium conceſſum ſubdito poteſt ab ipſo concedente reuocari ſi ſit priuilegium gratuitum ſiſtens in pura ratione priuilegij, ideſt facultatis & licentiæ contra vel præter ius commune, quia quod Princeps per priuilegium liberauerit ſubditum a præce-

pto

pto legis, non facit quod non poſſit iterum illud idem præceptum eidem imponere, in quo æquiualéter conſiſtit reuocatio priuilegij. Dixi *ſi ſit priuilegium gratuitum &c.* ſecus enim accidit ſi priuilegium conceſſum ſit per contractum oneroſum aut lucratiuum, in quo caſu pro libito reuocari non poteſt, quia etiam Princeps tenetur ſeruare pacta facta cum ſubditis. Videri poteſt *Suar. de leg. lib.* 8. *c.* 37.

7. Reuocatio priuilegij fieri poteſt, tacite vel expreſſe. Tacite fit, quando aliquid agitur vel ſtatuitur a Principe, quod ſit contrarium priuilegio & ſine priuilegij derogatione vel abrogatione ſubſiſtere non poſſit: in quo caſu ſi Princeps habeat notitiam priuilegij, & hoc non obſtante actum illum faciat incompatibilem cum priuilegio, cenſétur virtualiter velle reuocare priuilegium, vel totaliter & in perpetuum ſi actus ille contrarius ſit abſolute incompatibilis cum toto priuilegio eiuſque permanentia; vel particulariter & ad aliquod tempus, ſi prædictus actus contrarius habeat dumtaxat partialiter & ad tempus limitatam contrarietatem. Dixi *Si Princeps habeat notitiā priuilegij.* Si enim ignorantia priuilegij interueniat, aut ea præſumi poſſit in Principe, tunc per actum priuilegio contrarium non reuoca-

ca-

càtur priuilegium, vt clare ſumitur ex c. 1. *de conſt. in 6.* vbi Bonif. VIII. declarat Rom. Pontificem non reuocare tacite per ſuam legem ea quæ poteſt probabiliter ignorare, niſi expreſſe caueatur in ipſa lege: quia videlicet cum tali ignorantia non coniungitur virtualis voluntas, quæ in incognitum ferri non poteſt.

8. Expreſſa reuocatio priuilegij eſt quando fit verbis expreſſis ſiue in ſpecie & in particulari, ſiue ſaltem per clauſulas generales, vt cum dicitur v.g. *non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs &c.* quales clauſulæ generales regulariter ſufficiunt ad tollendum quodlibet particulare priuilegium, quia *in toto partem non eſt dubium contineri*, c. 80. *de reg. iur. in 6.* Dixi *regulariter*: quia ſunt aliquæ limitationes in ordine ad aliquas ſpecies priuilegiorum, quæ non tolluntur per eiuſmodi clauſulas generales, ſed debet illorũ ſpecialior mentio fieri. Talia eſſe cenſentur priuilegia quæ continentur in corpore Iuris, adeoque non ſunt tantum priuilegia, ſed etiam leges publicæ, & Canones, vnde pro illorum derogatione opus eſſet clauſula ſaltem in genere derogatoria legum aut Canonum, vt colligitur ex Gloſ. communiter recepta *in auth. Qua in prouincia C. vbi de criminib. v. illic omni priuilegio*

legio. Item eius generis ſunt priuilegia, quæ in ſui tenore continent vt reuocari non poſſint, niſi fiat expreſſa eorum mentio de verbo ad verbum, aut aliquid ſimile. Ad idem demum genus reducuntur priuilegia conceſſa per modum contractus, quæ nonniſi ex grauiſſima cauſa reuocantur, vbi eorum reuocatio eſt in præiudicium tertij in iure acquiſito & iuſtitiæ, quod præiudicium non præſumitur niſi exprimatur, vt docet *Panor. in c. Veniens 19. de praeſcrip. n. 12.*

9. Præter reuocationem quæ ſe tenet ex parte Principis, ammitti quoque poteſt priuilegium per renunciationem, quæ ab habente priuilegium fiat vel expreſſe vel tacite, exceptis tamen ijs priuilegijs quæ conceſſa ſunt in fauorem totius Ordinis aut Communitatis, quibus renunciari non poteſt a perſona priuata, vt conſtat ex *c. Si diligenti 12. de foro compet.* Item exceptis ijs priuilegijs, quæ continent etiam ius tertij, cui per talem renunciationem præiudicaretur, vt eſt exemplum in *c. Cum tempore 5. de arbitris.*

10. Loquendo igitur de priuilegijs renunciabilibus, illorum renunciatio fieri poteſt vel expreſſe vel tacite. Expreſſe fit quando quis habet formalem voluntatem ſatis expreſſe exterius declaratam abdicandi a ſe totum ius & fa-

cultatem priuilegij: tacite autem cum quis aliquid facit aut omittit, cui actioni aut omiſſioni connexa ſit vel ex natura rei, vel ex diſpoſitione iuris amiſſio priuilegij.

11. Sub hoc genere tacitæ renunciationis includitur amiſſio illa priuilegij, quæ habetur per non vſum einſdem priuilegij: eſt enim ſententia ſatis recepta, priuilegium aliquod amitti per eius non vſum longo tempore, puta decennio, continuatum liberè etiam quando ſe obtulit occaſio illo vtendi, vt videre eſt apud *Innoc. Panor. ſelin. & alios in c. Cum acceſſiſſent* 8. *de conſtit* & apud Iuriſtas cum *Bart. in l. falſo C. de diuer. reſcr. & l. 1. ff. de nundin.* Quam tamen doctrinam non eſſe vniuerſaliter intelligendam de quolibet priuilegio, ſed ſolum de aliquibus, docet *Gloſ. penult. in c. Vt priuilegia* 24. *de priuileg. Suar. de leg. lib.* 8. *c.* 34. *n.* 15. *& ſeqq. Laym. lib.* 1. *Theol. Mor. tract* 4. *c.* 23. *n.* 21. *&* 22. Duplex enim datur priuilegiorum ſpecies: aliqua ſunt quæ præcisè dant facultatem ad aliquid, & non tendunt in vllius alterius grauamen, qualia ſunt v.g. priuilegia celebrandi ante auroram, abſoluēdi a caſibus reſeruatis, comedendi carnes in diebus prohibitis &c. alia ſunt quæ redundant in grauamen & onus aliorum, vt puta priuile-

vile-

uilegium imponendi tributum, exigendi decimas, viſitādi Monaſteria exēpta &c. Priuilegia primi generis cenſent non amitti per præciſū nō vſum, quibus etiam fauet regula illa tradita a *Lanor. in cap. Ioannes 7. de Cler. coniug. n. 9.* quod quando lex non neceſſitat ad agendum, ſed ſolum dat facultatem ad agendum, non tollitur per non vſum, & quod in his quæ ſunt meræ facultatis, non inducitur conſuetudo, quam regulam probauit etiam *Sacra Rota dec. 536. n. 4. p. 2. recent.* At alterius generis priuilegia, quæ tendunt in aliorum grauamen, docent amitti ſi quis illis longo tempore non vtatur, etiam quando eſt occaſio & facultas vtendi, ad quod facit *l. 1. ff. de nundin.* iuncta ibid. *Gloſ. v. tempore.*

12. Ratio diſparitatis eſt: quia circa priuilegium alijs oneroſum locum habet præcriptio: ij enim, in quorum grauamen aut ſeruitutem priuilegium cederet, quamdiu priuilegium non exercetur, ſunt in quaſi poſſeſſione ſuæ libertatis; vnde ſi talis poſſeſſio continuetur vſque ad ſpatium temporis, quod ad legitimam præſcriptionem requiritur, robur acquirit ex titulo eiuſdem præſcriptionis. At circa priuilegium pure facultatiuum, & nulli oneroſum nullus eſt qui contra illud præſcribat,

quia ſicut per tale priuilegium nemo grauatur, ita per eius non vſum nemo dicitur reponi in quaſi poſſeſſione ſuæ libertatis; vbi autem nulla poſſeſſio eſt, ibi locum non habet vlla præſcriptio, vt conſtat ex *c. Sine poſſeſſione 3. de reg. Iur. in 6. & l. Sine 25. ff. de vſurpat. & vſucap.*

13. Quod dictũ eſt de non vſu priuilegij, debet cum proportione etiã intelligi de cõtrario vſu: quia etiã in hoc videtur habere locum illa diſtinctio inter priuilegia alijs oneroſa & inter priuilegia nemini oneroſa; quod priuilegia alijs oneroſa amittantur per cõtrarium vſum tanto tempore cõtinuatum, quantum requiritur ad præſcriptionem, puta ſi quis habens priuilegiũ non ſoluendi tributa, ſoluerit tamen longo tempore, puta decennio aut etiam longiori, quantum ſatis eſt ad præſcriptionem; in eo caſu amittat totaliter priuilegium, quamuis quamdiu præſcriptio impleta non fuerit amittat ſolum fructus priuilegij quoad actus particulares titulo cuiuſdam tacitæ renunciationis, quam cenſetur facere priuilegiarius pro eiſdem actibus, ſuppoſito quod priuilegio renunciare poſſit: priuilegia autem, quæ nemini ſint oneroſa, numquam totaliter amittantur per ſolum contrarium vſum etiam longo tempore continuatum, quia circa eius generis priuilegia non habet locum

præ-

præſcriptio, Videri poteſt *Suar. lib.* 8. *de legib. cap.* 35.

14. Alius modus amittendi priuilegia eſt per eorundem abuſum, nam vt dicitur in *c. Vbi iſta* 7. *diſt.* 74. *priuilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate* Nomine autem abuſus proprie intelligitur defectus cõmiſſus in ipſomet vſu priuilegij, vel in his quę illud còncernunt. vt v. g. Si quis prætextu priuilegij àliquid plus faciat, aut omittat, quam a priuilegio concedatur, quod eſt abuti priuilegio per exceſſum; aut ſi quis ex priuilegio ſumat occaſionem peccandi; aut demum ſi quis prauis ſuis moribus directe auferat finem & fundamentum priuilegij, vt eſt exemplum in Clerico beneficiato, cui conceſſum fuerit priuilegium morandi alibi propter ſtudium, & ille neglecto ſtudio, alijs actionibus inutilibus occupetur.

15. In omnibus his alijſque ſimilibus abuſibus priuilegium amittitur, quamuis non ſemper eodem modo. Aliquando enim amittitur ex natura rei; quomodo docet *Suar. in cit. lib.* 8. *cap.* 36. *n.* 7. beneficiatum miſſum ad ſtudia amittere priuilegium percipiendi fructus in abſentia, ſi nihil ſtudeat. Aliquando autem propter abuſum amittitur priuilegium ex diſpoſitione Iuris poſitiui, vel per ſententiam Iudicis, vel

etiam ipſo facto, quemadmodum qui ſub ſpe immunitatis homicidium, aut mutilationes mẽbrorum in Eccleſia cõmittere non veretur, ipſo facto priuatur priuilegio Eccleſiaſticæ immunitatis, ex *c.fin. de immun. Eccleſ.* Vtrum autem hic & nunc in particularibus caſibus amiſſio priuilegij veniat ipſo facto, an expectari debeat ſententia Iudicis, pendet ex verbis legis, quæ ſi dicat *priuilegium meretur amitere*, aut *priuetur priuilegio &c.* aliaue ſimilia, ſignum eſt non amitti ipſo facto: ſecus eſt ſi dicatur *nouerit ſe priuatum priuilegio*, aut *amiſſio priuilegij ipſo facto incurratur &c.*

16. Ne abuſus per exceſſum committatur in priuilegijs, illud eſt diligenter ſeruandum, ne priuilegium extendatur vltra id quod in eo permittitur ac ſignificatur iuxta proprietatem verborum. Quia autem nonnumquam contingit, verba priuilegiorum capacia eſſe ſtrictioris aut amplioris ſignificationis, ideoque nonnumquam dubitari poſſe quomodo hic & nunc fieri debeat talium verborum interpretatio; propterea ſtatuuntur a Doctoribus aliquæ regulę tum circa priuilegia nullatenus derogantia iuri communi aut alicuius tertij, quæ dicuntur pure fauorabilia; tum circa priuilegia magis rigoroſa, quæ vel derogent iuri communi, vel iuri ali-

alicuius tertij, quæ vocantur priuilegia odioſa.

17. Priuilegia primi generis, quæ videlicet ſint pure fauorabilia, docent eſſe ample interpretanda intra verborum proprietatem, quantum recta ratio atque prudentia dictauerit. Ita deſumitur ex *c. Olim.* 16. *de verbor. ſignif. c. Odia* 15. *de reg. iur. in* 6. *& l. Beneficium* 3. *ff. de conſt. Princip.* Priuilegia autem ſecundi generis, quæ ſcilicet ſint derogatoria iuris communis, aut præiudicium inferant tertiæ perſonæ contra ius quod ipſa iam habet acquiſitū, vtpote odioſa, docent eſſe potius reſtringenda, vt ſumitur ex *cit. c. Odia* 15. *de reg. iur. in* 6. Videri poteſt *Suar in cit. lib.* 8. *de leg. cap.* 27. *&* 28.

18. Particulares abuſus priuilegiorum, ſeu particulares exceſſus priuilegiatorum a Sacris Canonibus damnati, videri poſsunt in *c. Ad hæc* 5. *c. Patentibus* 10. *c. Tuarum* 11. *c. Ex parte* 27. *alijſque iuribus de priuileg.* necnon *eod. tit. in* 6. *& Clem. & Extrau.*

TIT. XIV.

De pœnis.

5. POſt titulos de criminibus congruenter ſequitur rubri-

ea de pœnis: decet enim pœnam eſſe comitem culpæ, vt quos Dei timor à peccato non retrahit, ſaltem pœna corripiat.

2. Nomen pœnæ dupliciter ſumi poteſt. Aliquando enim ſumitur in ampliori ſignificatione pro quolibet dãno, ſeu incommodo, quod alicui infligatur, etiamſi nulla eius culpa præceſſerit, vt colligitur ex *c. ſine culpa* 23. *de reg. iur. in* 6. Aliquando autem ſumitur in ſtrictiori ſignificatione, & extenditur tantum ad ea coercitionum genera, quæ alicui infliguntur propter culpam ab eo commiſſam, ſub qua acceptione definitur in *l. aliud.* 131. *ff. de verb ſignif.* noxæ vindicta, & delictorum coercitio, in *cap.* autem *Pœnitentia.* 4. *de pœnit. diſt.* 3. læſio quæ punit, & vindicat quod quiſque commiſit.

3. Sicut autem varia ſunt criminum genera variaque tribunalia, in quibus crimina puniuntur; ita & variæ ſunt pœnarum claſſes, vt de iure ciuili videri poteſt in toto tit. *ff. & C. de pœnis*, & de Iure Canonico *eod. toto tit. de pœnis* qui eſt in 5. Decretal. in 6. in Clem. & in Extrauag.

4. Pœna Eccleſiaſtica, de qua nobis eſt ſpecialiter agendum, intelligitur illa, quæ per poteſtatem Eccleſiaſticam infligitur, atque diuiditur in pœnam

me-

mere ſpiritualem, & in pœnam temporalem. Pœna primi generis eſt, quæ principaliter animam punit, priuans illam ſpiritualibus bonis, quamuis interdum in conſequentiam priuet etiam aliquibus corporalibus. Ad hoc genus reducuntur cenſuræ, priuatio beneficiorum, aut vocis actiuæ aut paſſiuę, item inhabilitates &c. Pœna Eccleſiaſtica, temporalis eſt quæ principaliter priuat temporalibus bonis, eaque ſubdiuiditur in pecuniariam, & corporalem qualis eſt pœna carceris, verberatio, exilium &c. adde, & pœnam mortis, quæ non excedit Eccleſiaſticam poteſtatem, vt colligitur ex *extrau. vnam ſanctam 1. de maior. & obed. inter comm.* quamuis Eccleſia non ſoleat hanc poteſtatem exequi per Iudices, & Miniſtros Eccleſiaſticos, ſed per laicos, & mediante illorum poteſtate: quinimo, vt piam Matrem decet, quando Eccleſia aliquem Clericum degradatum, vel etiam laicum tradit poteſtati ſæculari, efficaciter pro eo intercedit, vt citra mortis periculum ſententiam moderetur, vt dicitur in *c. nouimus 27. de verb. ſignif. & c. Reos 7. 23. q. 5.*

5. Rurſus pœna Eccleſiaſtica alia eſt ferendæ ſententiæ, alia latæ ſententiæ. Pœna ferendæ ſententiæ intelligitur illa, quæ non incurritur niſi mediante ſententia Iudicis condemnato-

ria aut executoria. Pœna latæ ſententiæ eſt quæ incurritur ex ipſo Iure, ſeu canone diſponente, independenter à miniſterio Iudicis, ſeu abſque alia ſententia condemnatoria, vel executoria, quia ipſum Ius trahit ſecum executionem. Vtrum autem in particularibus caſibus pœna aliqua per legem ſtatuta, dicenda ſit ferendæ aut latæ ſententiæ, pendet ex verbis ipſius legis, quæ ſi aliquando ambigua ſint, & omnibus expenſis probabiliter dubitetur vtrum contineant pœnam latæ, vel ferendę ſententiæ, in tali caſu ex pluribus, quos refert, ſupponit *Suar. lib. 5. de leg. cap. 6. n.* 3. intelligenda eſſe ferendę, quia in pœnali materia interpretatio fit in partem benigniorem, vt conſtat ex *c. in pœnis. 49. de reg. iur. in 6. & l. interpretatione 42. ff. de pœnis.* Videri poteſt idem *Suar. in cit. cap. 6.*

6. Quamuis tamen circa pœnam latę ſententiæ, vt incurratur, non requiratur ſententia Iudicis ipſam imponentis, cum imponatur per ipſam legem; quæri nihilominus poteſt vtrum ſaltem requiratur ſententia declaratoria criminis?

7. Reſpondent communiter Authores, quod ſi ſermo ſit de cenſuris impoſitis per Canonem latæ ſententiæ, illę incurruntur ipſo facto abſq. vlla ſenten-

tia declaratoria criminis, idem dic de irregularitatibus, & ita communiter ſeruatur in praxi. Si autem ſermo ſit de pœnis à cenſura diſtinctis; vel illę ſunt pœnæ pure priuatiuæ, & quę nullum requirunt actum phyſicum hominis ad ſui conſummationem, ſeu executionem, quales ſunt inhabilitates, priuationes tituli, ſeu ſolius dominij ciuilis, priuationes vocis actiuę aut paſſiuę &c. vel ſunt pœnæ quę ad ſui executionem indigent aliqua hominis actione, qualis eſt priuatio bonorum ciuiliter, & naturaliter poſſeſſorum, pœna exilij &c.

8. Primi generis leges pœnales, quę videlicet ad ſui executionem nullum requirunt actum phyſicum hominis, ſi contineant pœnam latę ſententię, habent abſolute ſuum effectum, etiam in delictis occultis ante omnem ſententiam declaratoriam criminis, vt docent Doctores citati à *Suar. in cit. lib. 5. cap. 9. n.* 2. Vnde ſi contingat v.g. ab aliqua perſona committi delictum, quod per Sacros Canones inducat inhabilitatem, ſeu impedimentum dirimens ad matrimonium cum certa perſona contrahendum, ante quamcumque ſententiam declaratoriam criminis cenſetur abſolute inducta eadem inhabilitas, & matrimonium iudicatur irritum, ſi ab eadem perſona cum illa alia fuerit attentatum.

9. Quod attinet ad leges pœnales alterius generis, quę ad ſui executionem aliquem requirunt actum phyſicum hominis, res eſt controuerſa inter Doctores, alijs aſſerentibus ipſas incurri, & effectum habere ante ſententiam declaratoriam criminis, adeoque ante ipſam teneri delinquentem relinquere rem, qua per legem priuatur, quam ſententiam tenet *Abb. in c. 1. de conſtit. n.* 11. *Pelin.* alijque plures citati à *Suar. cap. 8. n.* 4. Alijs contra aſſerentibus, eiuſmodi leges pœnales quamuis non requirant ſententiam condemnatoriam, regulariter tamen requirere declaratoriam criminis, niſi tamen in ipſa lege pœnali aliqua verba addantur, quę ſatis explicent intentionem Legislatoris eſſe, vt inducatur abſolute pœna ante declaratoriam, aut niſi cęteroquin lex ipſa pœnalis eſſet inutilis, & inefficax. Huic ſententiæ videtur fauere *Innoc. in c. cum noſtris 6. de conceſs. præb. n.* 1. alijque plures relati ab eod. Suar. *ibid n.* 5. vbi concludit eandem eſſe probabiliorem: tum quia communis vſus (vt ipſe teſtatur) ita videtur tales leges interpretari; tum etiam quia non videtur deeſſe fundamentum in Iure: nam in *c. cum ſecundum.* 19. *de hæret. in 6.* decernitur vt bona hæreticorum ſint ipſo Iure confiſcata, & tamen eorundem bonorum occupatio-

nem

fieri non poſſit, niſi promulgata fuerit ſententia criminis declaratoria.

TIT. XV.

De ſententia excommunicationis.

1. INter reliquas pœnas, quę per poteſtatem Eccleſiaſticam infliguntur, potiſſimum locum habent cenſuræ, per quas priuatur homo, quando per illas punitur, ſpiritualibus bonis. Eſt autem cenſura triplex, videlicet excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictũ, vt ſumitur ex *c. querenti* 20 *de verbor ſignif.* de quibus ſingulis agendum eſt, inito facto ab excommunicatione, quę eſt pręcipua cenſuræ ſpecies, *c. corripiantur* 17. 24. q. 3.

2. Excommunicatio eſt cenſura Eccleſiaſtica ſeparans Chriſtianum, cui infligitur, à communione fidelium, vt colligitur ex *c. omnis Chriſtianus* 2. 11. *q* 3. Ad huius intelligentiam, ſciendum eſt, communionem quam inter ſe fideles habent, triplicem eſſe, nempe pure internam, pure externam, & mixtam. Communicatio pure interna conſiſtit in fide, charitate, gratia, alijſque ſupernaturalibus donis, quibus fideles Chriſto Domino tamquam Capiti vniuntur. Cõmunicatio pure externa conſiſtit in con-

uictu pure externo, videlicet in colloquijs, contractibus, commercijs &c. Communicatio mixta conſiſtit in vſu, & adminiſtratione Sacramentorum tam actiua quam paſſiua, in communibus ſuffragijs Eccleſiæ, in Diuinis Officijs, & Eccleſiaſtica ſepultura.

3. Communicatio itaque, cuius priuatio per excommunicationem inducitur, proprie loquendo non eſt pure interna, quia huius priuatio vel nullatenus inducitur, vel ſupponitur antecedenter inducta per culpam lethalem, in cuius pœnam excommunicatio feratur; ſed eſt alia duplex ſpecies communicationis, purè externæ ſcilicet & mixtę, vnde eſt antiquus ille verſiculus *Os, orare, vale, communio, menſa negatur*, diuerſo tamen modo ac rigore pro maiori vel minori grauitate cenſurę, vt ex dicendis patebit.

4. Duplex enim eſt excommunicationis ſpecies, quarum vna dicitur excommunicatio maior, alia excommunicatio minor, vt ſumitur ex *c. penul. de ſent. excom.* Excommunicatio maior vocari etiam ſolet anathema, quæ vox eſt Hebrçorum propria, vt obſeruat *Hieron. ad Galat.* 1. quamuis nonnumquam in Sacris Canonibus per anathema ſpecialiter ſignificetur excommunicatio maior ſolemniter promulgata candelis accen-

ſis,

ſis, & poſtea extinctis, alijſque cæremonijs ab Eccleſia inſtitutis, de quibus ſermo eſt in *c. debent.* 106. 11. *q.* 3. quæ eſt pœna omnium, quę ab Eccleſia infligantur, grauiſſima, vt ſumitur ex *c. cum non ab homine* 10. *de iudicijs.*

5. Inter vtramque hanc excommunicationis ſpeciem plures differentiæ interueniunt. Primò enim differunt quoad effectus: nam excommunicationis minoris duo effectus recenſentur, primò quod taliter excommunicatus priuetur vſu paſſiuo, ſeu ſuſceptione Sacramentorum, *c. penul. de ſent. excom.* & inſuper illicitę conferat, quamuis valide, Eccleſiaſtica Sacramenta, *c. ſi celebrat. vlt. de Cler. excom.* ſecundò quod ſit inhabilis ad obtinenda beneficia, itaut ſi eligatur, eius electio ſit irritanda, ex *eod. c. ſi celebrat.*

6. Effectus autem excommunicationis maioris plures ſunt. Primò enim ita excommunicatus priuatur vſu actiuo, & paſſiuo Sacramentorum, nempe vt neque poſſit adminiſtrare neque recipere Sacramenta, *c latores.* 4. *de Cler. ex.com.* & *c. cum illorum* 2. *de ſent. excom.* Secundò eſt priuatus communibus Eccleſiæ ſuffragijs, ſeu ſubſidijs ſpiritualibus nomine Eccleſiæ factis, *c. à nobis.* 28 & *c. ſacris.* 38 *eod.* Tertiò prohibetur intereſſe Diuinis officijs quę fiunt a Miniſtris Eccleſiæ ad ea deputatis, *c. reſponſo.* 43. *eod.*

eod & c. alma mater. 24. eod. in 6. Quartò eſt inhabilis ad obtinenda beneficia, *c. poſtulaſtis. 7. de Cler. excom.* Quintò eſt priuatus omni vſu ſeu executione iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, *c. Audiuimus. 4. 24. q. 1. & c. ad probandum. 24. de ſent. & re iudic.*

7. Sexto eſt exclnſus ab omni communione forenſi, itaut exercere non poſſit officium publicum fori externi, & per exceptionem excommunicationis repelli poſſit in vtroque foro, *c. Decernimus 8. de ſent. excom. in 6. c. exceptionem 12. de exceptionib. & c. 1. eod. in 6.* Septimò eſt priuatus omni communicatione ciuili & politica cum alijs fidelibus, itaut excommunicato vitando non liceat taliter communicare *c. Nuper 29 & c. penult. de ſent. excomm.* alijſque iuribus. Octauò admitti non poteſt ad Eccleſiaſticam ſepulturam, ſaltem ſi ſit excommunicatus vitandus, vt cui non communicauimus viuo, neque communicemus defuncto, *c. Sacris 12. de ſepulturis.* Quod ſi contingat ipſum de facto in Eccleſiaſtico cæmeterio tumulari, ſi ab aliorum corporibus diſcerni poterit, exhumari debet, & procul ab Eccleſiaſtica ſepultura iactari. Plura alia ſpectantia ad hos alioſque ſimiles excommunicationis maioris effectus, videri poſſunt apud Theologos.

8. Al-

8. Altera differentia inter maiorem & minorem excommunicationem, eſt quod excommunicatio maior, vt communiter fertur, numquam infligitur niſi pro peccato mortali, *c. Nullus* 42. 11 *q.* 3. *c. Ecce* 18. 24. *q.* 3. *&* *Trid. ſeſſ.* 25. *de refor. cap.* 3. At excommunicatio minor ferri etiam poteſt ob culpam venialem, vt docet *Suar. de cenſ. diſp.* 4. *ſect.* 4. *n.* 6. Imo quamuis de iure ferri poſſet, & olim fortaſſe ferri ſoleret pro varijs culpæ ſpeciebus, tunc namen vſus eſt vt numquam incurratur niſi a communicantibus cum excommunicato vitando; niſi tamen communicent in Diuinis, aut in crimine criminoſo, videlicet in eo crimine propter quod alius excommunicatus eſt, quia in iſtis caſibus incurritur excommunicatio maior, *c. Significauit* 18. *c. ſi concubinæ* 55. *de ſent excomm.* *&* *c. Statuimus* 3. *eod. in* 6.

9. Excipiuntur tamen caſus aliqui, in quibus aliquo modo communicantes extra Diuina & extra crimen criminoſum cum excommunicatis, excuſantur, qui caſus veteri illo verſiculo continentur: *Vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe*. Per *vtile* permittitur communicatio illa, quæ ad ſpiritualem ſalutem excommunicati conducat, vt puta ſi eidem ſalutaria conſilia præbeantur, *c. Cum voluntate* 54. *de ſent. excomm.* Per particulam

lex

lex intelligitur hic lex matrimonialis, ex qua lege permittitur vxori cõmũnicare cum marito excommunicato, ex *c. Quoniam multos* 103. 11. *q.* 3. Per particulam *humile* permittitur ſubiectis communicare cum ijs quibus ſubiecti ſunt in ijs rebus, in quibus ſunt ſubiecti, ſuppoſito quod illorum ſubiectio ſit ex natura rei coniuncta cum conuictu & cohabitatione, ex *eod. c. Quoniam multos*, & *c. Si vere* 34. *de ſent. excomm.* Per particulam *res ignorata* excuſantur qui cum excommunicatis ignoranter communicant, ex *eod. c. Quoniam multos.* Per particulam *neceſſe* permittitur communicatio cum excommunicato ob neceſſitatem grauem tum ipſius excommunicati tum aliorum, ſuppõſito quod eidem neceſſitati prouideri non poſſit per non excommunicatum, *cit. c. Quoniã multos, c. Inter alia* 31. & *cit. c. Si vere* 34. *de ſent. excomm.*

10. Hactenus dicta de incurſu excommunicationis minoris propter communicationem cum excommunicatis, intelligenda ſunt relate ad excommunicatos vitandos. Quinam autem ſint excõmunicati vitandi controuertitur inter Doctores. Olim omnis excommunicatus erat vitandus, vt colligitur ex *c. Cum non ab homine* 14. *eod.* Poſtea in Conc. Conſtantienſi edita fuit conſtitutio *Ad euitanda ſcandala*, quæ refertur a *S. An-*

tonino 3.p.tit.25.cap.3. in qua ſtatutum fuit vt nemo teneatur abſtinere a communicatione cum excommunicato, niſi ſit publice denunciatus, aut niſi notorie ſacrilegas manus in Clericum iniecerit. Huic conſtitutioni aliquam moderationem appoſuit Concilium Baſileenſe *ſeſſ.20.* in fine ſub tit. *de excommunicatis non vitandis*, vt ſcilicet non ſolum publice denunciatus, & non ſolum notorius Clerici percuſſor, ſed etiam quicumque notorius excommunicatus, quamuis non denunciatus, vitandus ſit.

11. Hinc orta eſt controuerſià inter Doctores vtrum ſeruanda ſit conſtitutio Concilij Conſtantienſis, an conſtitutio Baſileenſis? ſunt qui ſentiant pro Baſileenſi, quos refert *Suar. de cenſ. diſp. 9. ſect.2. n 4.* eamque *Fagnan. in c. Quod a Prædeceſſore 1. de ſchiſmat. n.53. & ſeqq.* cenſet fuiſſe confirmatam pro tota Eccleſia a Conc. Later. ſub Leone X. Oppoſitum docent plures graues Doctores quos citat & ſequitur idem *Suar. ibid.n.5. Caſtrop.de cenſ.diſp.2.puncto 4.n.5.* & *Guttier. Canon.quæſt. lib. 1. cap. 1.* qui teſtantur conſtitutionem Conſtantienſem eſſe vſu receptam, & Eccleſiæ conſuetudine, quę eſt optima legum interpres. Ad id autē quod opponitur ex Concil. Later. ſub Leone X. reſpondet Suar. in loco citato quod ibi non agebatur de lege ferenda

aut

aut obſeruanda circa hoc pro vniuerſa Eccleſia, ſed ſolum de Concordatis inter Pontificem & Gallos. Videri poſſiint Authores citati.

12. Illud tamen hac in re extra controuerſiam eſt, quod omnes excommunicati, quamuis ſint tolerati, teneantur abſtinere a communicatione cum alijs fidelibus. Ratio eſt ex ipſa Conſtitut. Conſtantienſi: quia ſcilicet permiſſio communicationis cum excommunicatis toleratis, vbi illa locum habet, non eſt inducta in fauorem ipſorum excommunicatorum, ſed ſolum in fauorem aliorum fidelium: quare pro ipſis excommunicatis perſeuerat ius antiquum, quo generaliter prohibetur communicatio cum excommunicatis.

13. Tertia demũ differentia inter maiorẽ, & minorẽ excommunicationem, eſt quod excõmunicatio minor numquã ferri ſolet ab homine, hoc eſt per ſententiam iudicis, ſed ſolum fertur a iure, ſeu a lege illam imponente, idque nonniſi pro caſu communicationis cum excommunicato vt explicatum eſt: at excommunicatio maior ferri ſolet tum ab homine, tum à Iure.

14. Inter ſententiam excommunicationis maioris latam ab homine, & inter latam a Iure, plures differentiæ ſunt. Inter reliquas ea eſt, quod ſententia excõmu-

municationis lata à Iure eſt, perpetua ex natura ſua, & tandiu durat, quamdiu lege aut conſuetudine contraria non abrogatur; at ſententia excommunicationis lata ab homine non incurritur, niſi quã-diu durat eius, qui illam tulit, iuriſdictio: quamuis ſi quis illam contraxerit antequam ceſſaret ea iuriſdictio, permaneret illa ligatus etiam extincta eadem iuriſdictione quamdiu non abſolueretur.

15. Præterea ſententia excommunicationis à Iure fertur pro delictis futuris, quamuis executionem non habeat niſi quando delicta patrata ſunt, nullamque monitionem neceſſario prærequirit, quia ipſa lex gerit vices monitionis; at ſentẽtia excommunicationis ab homine fertur etiam pro delictis preteritis, ac nonniſi præmiſſa trina monitione, aut ſaltem vnica tribus æquiualente, poſito ſcilicet triplici temporis interſtitio, quorum primũ pro prima monitione ſit, ſecundum pro ſecunda, tertium pro tertia, *c. Sacro* 48. *de ſent. excomm.* & *c. Conſtitutionem* 9. *eod. in* 6. Alioquin Iudex, monitione non præmiſſa preſentibus perſonis idoneis, per quas (ſi neceſſe fuerit) poſſit probari, excommunicationis ſententiam ferens interdicitur ab ingreſſu Eccleſiæ per menſem vnum, alia etiam pœna mulctandus, ſi viſum fuerit expedire, ex *eod. c. Sacro.* Item in *c.* 1. *eod. in* 6. preci-

pi-

pitur, vt quiſquis excommunicat, excómunicationem in ſcriptis proferat, & cauſam excommunicationis expreſſe conſcribat, propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum autem huiuſmodi ſcripturæ teneatur excommunicato tradere intra menſem ſi fuerit requiſitus, ſuper qua requiſitionę faciendum eſt publicum inſtrumentum, vel litteræ teſtimoniales conficiēdæ ſigillo authentico conſignatæ. Quod ſi quis iudicum huiuſmodi conſtitutionis temerarius extiterit violator, ab ingreſſu Eccleſiæ & Diuinis officijs per menſem vnum ſuſpenditur. Quæ eadem ſeruari quoque debent in ferendis ſententijs ſuſpenſionis & interdicti.

16. Sententia excommunicationis ab homine ferri non poteſt niſi ab habente poteſtatem vel Ordinariam vel delegatam excommunicandi. Poteſtatem ordinariam habent qui ſunt in officio ſeu Dignitate Eccleſiaſtica conſtituti, cui in perpetuum annexa eſt iuriſdictio Eccleſiaſtica in foro externo. Poteſtatem delegatam habent, quibus illa competit ex ſpeciali commiſſionè, quæ de Iure ordinario fieri non poteſt laico, aut Clerico coniugato, aut mulieri, ſed ſolum Clerico gaudenti Clericalibus priuilegijs.

17. Quemadmodum autem excommunicationem ferre non poteſt niſi Su-

pe-

perior & habens in foro externo iuriſdictionem Eccleſiaſticam; ita nec excommunicatione ligari, niſi ſubditus eiuſdem iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, qui ſit capax præcepti: Hinc excommunicari non poſſunt qui baptizati non ſint, aut ex baptizatis qui nondum ſint rationis compotes, aut qui deliquerint extra territorium Epiſcopi excommunicantis, ex *c.* 2 *de conſt it. in 6.* Superiores tamen Religioſorum vbilibet poſſunt ſuos ſubditos excommunicare, quia eorum iuriſdictio non deriuatur ex territorio in perſonas, ſed ſpectat immediate ipſas perſonas, vt notat *Caſtrop. de cenſ. diſp.* 2. *puncto* 3. *num.* 3. Item Communitas ſeu Vniuerſitas qua talis excommunicari non poteſt, ne ſcilicet contingat aliquem innocentem in eadem communitate excommunicatione ligari, vt expreſſe decernitur in *c. Romana* 5. *de ſent. excomm. in 6.* quamuis cæteroquin aliud obtineat in ſuſpenſione & interdicto, de quibus infra.

18. Excommunicatio ſemel incurſa non aliter tollitur quam per abſolutionem, pro qua non eſt in iure vlla forma præſcripta, niſi tamen danda ſit abſolutio iudicialis, pro qua ſeruandus eſt ritus ſtatutus in *c. A nobis* 28. *de ſent. excomm.* Vt autem abſolutio valide præſtetur, requiritur in abſoluente poteſtas,

quæ

quę relate àd cenſuras ab homine ſpecialiter latas reperitur in eo ipſo qui tulit, niſi ei fuerit prohibitum, item in eius ſucceſſore, ſuperiore pleno iure, eiuſue delegatò, vt colligitur ex *c. Paſtoralis* 11. §: *Præterea de off. Iud. Ordin.*: fauetque *c.* 1. *de reg. iur.* & *l. Nihil tam naturale* 35 *ff. eod* Dixi *niſi ei fuerit prohibitum*: quia in Iure Canonico plures ſunt caſus, in quibus Authori cenſuræ non permittitur abſolutio, vt videre eſt in *c. Graue* 29. *de præb. c. Tua nos* 19. *de ſent excomm.* alijſque iuribus relatis a *Caſtrop. diſp.* 1. *de cenſ. puncto* 11. §.4. *n.* 4.

19. Quod autem attinet ad cenſuras a Iure latas, diſtinguendum eſt: vel enim ſunt cenſuræ reſeruatæ ipſi Authori, vel non ſunt reſeruatæ Primi generis cenſuræ abſolui non poſſunt niſi ab eo cui reſeruatæ ſunt, vel ab eius ſucceſſore, aut ſuperiore pleno iure, eiuſue delegato: alterius generis cenſuras relaxare poteſt relate ad ſuos ſubditos qui iuriſdictionem Eccleſiaſticam habet in foro externo, vt colligitur ex *c. Nuper* 29. *de ſent. excomm.* vbi dicitur quod cū cōditor Canōis abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem alijs relaxandi.

20. In mortis tamen articulo omnes Sacerdotes, (ne aliquis pereat), quoslibet pœnitentes à quibuſuis peccatis & cen-

cenſuris abſoluere poſſunt, vt expreſſe conceditur a *Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 7 ſumiturque etiam ex *c. Eos qui* 22. *de ſent. excomm. in* 6. vbi etiam decernitur vt ſi poſtea periculum ceſſauerit, teneatur abſolutus ſe præſentare ei a quo de iure fuerat abſoluendus, recepturus humiliter mandatum ipſius ſuper illis, pro quibus excommunicatus fuerat, & ſatisfacturus prout iuſtitia ſuadebit: alioquin in eandem ſententiam ipſo iure recideret.

21. Abſolutio ab excommunicatione dari poteſt non ſolum viuentibus, ſed etiam mortuis, ex *c. A nobis* 28. *de ſent. excomm.* Excommunicatus enim quamuis ſigna pœnitentiæ ante mortem dederit, & ab omnibus peccatis a Deo abſolutus deceſſerit, ſi tamen abſolutionem ab excommunicatione ante mortem non receperit; adhuc cenſetur cenſura ligatus in ordine ad priuationem ſuffragiorum Eccleſiæ, & Eccleſiaſticæ ſepulturę: poteſt tamen in eo caſu & debet ab Eccleſia abſolui iuxta modum & ritum in *eod. c. A nobis* præſcriptum.

22. Demum pro recta intelligentia Sacrorum Canonum, notandum eſt ex *c. ſenul. de ſent. excomm.* nomen excommunicationis abſolute & ſine addito prolatum, ſemper intelligi debere de excommunicatione maiori, quod eſt ius

Cc ſpe-

ſpeciale in re præſenti, quia cæteroquin in alijs materijs pœnalibus verba dubia ſolent plerumque intelligi de pœna minori, iuxta *c. In pœnis 49. de reg. iur. in 6. & l. Interpretatione 42. ff. de pœnis.*

TIT. XVI.

De ſuſpenſione.

1. Alia cenſuræ Eccleſiaſticæ ſpecies eſt ſuſpenſio, cenſura videlicet qua Miniſter Eccleſię ob culpam exercere prohibetur functiones Eccleſiaſticas, aut aliqua Eccleſiaſtica poteſtate vti. Inde fit laicum non eſſe capacem ſuſpenſionis Eccleſiaſticę ſed ſolum Clericum, quacumque dignitate pręfulgeat, etiam Epiſcopali, quamuis cæteroquin iure cautum ſit in *c. Quia periculoſum 4. de ſent. excom. in 6.* vt ſub generali ſententia ſuſpenſionis, ſicut & interdicti, latę a Iure, non intelligantur compręhenſi Epiſcopi & eorum Superiores, niſi ſpecialiter exprimantur, quod ipſorum priuilegium non extendi ad excommunicationem, docet ibid *Gloſ. v. ſuſpenſionis.* Inde etiam fit ſuſpenſionem ferri poſſe non tantum in particulares perſonas, ſed etiam in Communitatem, puta in totum Capitulum, interdicen-

dicendo illi vſum alicuius Eccleſiaſticę poteſtatis, cuius cæteroquin munere fungi poſſet, vt conſtat ex *c. vn. Ne ſede vacante in 6. & ex Trid. ſeſſ. 24. de refor. cap. 16.*

2. Triplex eſt ſuſpenſionis ſpecies; alia a beneficio; alia ab officio, quæ rurſus ſubdiuiditur in ſuſpenſionem ab officio Ordinis, quę impedit Ordinis exercitium, & in ſuſpenſionem ab officio iuriſdictionis, quæ prohibet iuriſdictionis adminiſtrationem: alia ab officio ſimul & beneficio. Omnes iſtæ ſuſpenſionum ſpecies poſſunt eſſe vel totales vel partiales, prout priuant vel in totum vel ſolum partialiter adminiſtratione officij aut beneficij, aut vtriuſque. Notant tamen Authores quod ſi ſuſpenſio abſolute feratur, intelligi debeat de ſuſpenſione ab officio & beneficio ſimul, quia in tali caſu non eſt vnde generale nomen ſuſpenſionis limitari potius debeat ad vnā ſuſpenſionis ſpeciem, quam ad aliam.

3. Suſpenſio ferri poteſt vel perpetua hoc eſt abſque tēporis determinatione, vel temporalis hoc eſt pro certa dūtaxat temporis duratione, in quo tamen caſu ſuſpenſio potius habet rationem cuiuſdam pœnæ, quam cenſuræ medicinalis. Item ferri poteſt vel ab homine ſeu per ſententiam hominis, vel a Iure ſeu per ipſum ſtatutum legis.

 4. Suſ-

4. Suſpenſionem a Iure ferre poteſt ſolus ille, qui poteſt legem ferre: ſuſpenſioné autem ab homine regulariter ferre non poteſt, niſi qui poteſt exõmunicare, vnde ſicut ad ferendam excommunicationem, ita & ad ferendam ſuſpenſionem requiritur Eccleſiaſtica iuriſdictio expedita in foro externo in eos qui ſuſpendendi ſunt.

5. Forma ferendæ ſuſpenſionis non eſt in iure præſcripta, ſed ſufficit vt verbis exprimatur ad eam declarandam accõmodatis. Debet tamen in ſcriptis ferri, expreſſa cauſa ſeu peccato propter quod fertur, & pręcedente monitione, reliquiſque ſeruatis, quæ notauimus in *tit. præced. n.* 15.

6. Effectus ſuſpenſionis, præter ſupradicta impedimenta ab adminiſtratione Ordinis aut beneficij, eſt etiam irregularitas, quæ incurritur a ſuſpenſo, ſi ſolemniter exerceat actum aliquem propriũ Ordinis a quo ſuſpenſus eſt, de quo tamen vide quæ diximus in *tit.* 12. *a n.* 4.

7. Suſpenſio ſemel incurſa, ſi lata fuit ſolum ad certum tempus, elapſo eo tempore ceſſat abſque alia abſolutione, vt poſt *Gloſ in Clem.* 1. *de decimis v. donec & in c. Sacro de ſent. excomm. v. per menſem*, alioſque Doctores, tradit *Suar de cenſ diſp.* 25. *ſect* 1. *num.* 3. At ſi lata fuit indeterminate quoad tempus & per modum

modum pœnæ medicinalis, nonniſi per abſolutionem tollitur, vt ſignificat prior Gloſ. citata, quæ abſolutio, relate ad ſuſpenſionem ab homine ſpecialiter latam, dari poteſt regulariter ab eo qui ſuſpenſionem tulit, aut eius ſucceſſore in dignitate, niſi eis fuerit prohibitum; relate autem ad ſuſpenſiones per modũ pœnæ medicinalis a Iure generaliter latas, abſolutio dari poteſt ab Epiſcopo, dummodo ſuſpenſus a contumacia receſſerit, & Summus Pontifex abſolutionem ſibi non reſeruauerit, vt deſumitur ex *c. Nuper 29. de ſent. excomm.* vbi dicitur quod cum conditor Canonis abſolutionem ſibi non reſeruat, concedere videtur facultatem alijs relaxandi.

8. Quod ſi ſuſpenſio lata ſit a Iure per modum puræ pœnæ abſque vlla temporis determinatione, vtrum in eo caſu poſſit Epiſcopus illam abſoluere, eſt queſtio a Canoniſtis agitata, & varie a varijs reſoluta, vt videri poteſt apud *Caſtrop. de Cenſ. diſp. 4. puncto 9. n. 5. & 6.* alioſque ab ipſo relatos.

9. Quod autem attinet ad ſuſpenſionem latam expreſſe in perpetuum & abſque ſpe reſtitutionis, quæ proprio nomine dicitur depoſitio, dicetur infra in ſpeciali tit. *de depoſitione & degradatione.*

TIT. XVII.

De Eccleſiaſtico interdicto.

1\. Tertia Eccleſiaſticæ cenſuræ ſpecies eſt Interdictum, quo nomine venit Eccleſiaſtica illa cenſura, per quam prohibetur participatio certorum Sacramentorum, necnon officiorum Diuinorum & Eccleſiaſticæ ſepulturæ, quatenus ea ſunt bona quædam ſpiritualia a fidelibus participanda, quæ interdicti explicatio deſumitur ex *c. Quod in te 11. de pœnitentijs & remiſſionib. & ex c. Non eſt vobis 11 de ſponſalib.* Vbi notandum quod ſub diuerſo reſpectu poteſt quis per diuerſas cenſuras eodem bonorum genere priuari: interdictum enim priuat prędictis rebus Sacris, quatenus Sacræ ſunt & a fidelibus participabiles: excommunicatio iiſdem priuat, quatenus includunt aliquam communicationem cum alijs fidelibus: ſuſpenſio demum, quatenus ſunt actus poteſtatis aut miniſterij Eccleſiaſtici. Vnde vlterius infertur, quod quamuis ſuſpenſio ferri poſſit ſolum in Clericos; at interdictum eſſe poteſt commune Clericis & laicis, ſicut & excommunicatio.

2\. Interdictum aliud eſt locale, aliud perſonale, aliud mixtum. Interdi-

ctum

ctum locale eſt, quo interdicitur locus, ſeu quod immediate terminatur ad locũ. Perſonale eſt quo interdicitur aliqua perſona vel communitas perſonarum, ſeu quod immediate terminatur ad perſonam aliquam vel communitatem perſonarum. Mixtũ denique eſt quo immediate interdicuntur locus & perſonæ.

3. Inter interdictum pure locale & inter interdictum perſonale, illud inter reliqua diſcrimen eſt, quod interdictum perſonale, vtpote immediate afficiens perſonas, ſequitur perſonas ipſas, quę propterea quocumque ſe conferant, ſunt vbilibet interdictæ. At interdictum pure locale, cum immediate ſolum locum afficiat, & nonniſi ex loco redundet in perſonas, non afficit perſonas niſi prout exiſtentes in loco interdicto, vnde extra locum interdictum non prohibentur intereſſe Diuinis: exceptis tamen ijs perſonis, quæ cauſam dederunt illi interdicto locali, quia eiuſmodi perſonæ ſpecialiter puniuntur etiam interdicto perſonali, vnde nec in loco interdicto nec alibi poſſunt intereſſe Diuinis, vt deciditur in c. *Si ſententia* 16. *de ſent. excomm. in 6.*

4. Rurſus interdictum aliud eſt generale, aliud ſpeciale, quæ diuiſio locum habet tum in interdicto locali, tum in interdicto perſonali, ſumiturque ex c.

Cum in partibus 17. *de verbor. ſignificat.* Interdictum generale eſt, quod fertur in regnum, Ciuitatem, populum, ſeu communitaté: ſpeciale ſeu particulare eſt, quo ſpecialis locus, puta hęc vel illa Eccleſia, aut aliquą determinata perſona interdicitur. Demum omiſſis alijs diuiſionibus facilioribus, diuiditur interdictum, ſicut etiã ſuſpenſio & excommunicatio, in id quod eſt à Iure, & in id quod eſt ab homine, quę diuiſio ſatis patet ex ſupradict.

5. Interdictum ferri poteſt ab eo, à quo ferri poteſt excommunicatio atque ſuſpenſio, regulariter loquendo. Requiritur autem pro eo ferendo grauis cauſa ſeu graue delictum, & ſi ferri debeat ob contumaciam & per modum pœnæ medicinalis requiritur vt ſcripto feratur, & cum ijs conditionibus quas indicauimus in *tit.* 15. *huius libri n.*15. *ex c.* 1. *de ſent. excom. in 6.*

6. Pro interdicto locali, regula eſt, illud eſſe amplæ interpretationis, tum quoad extenſionem locorum, tum etiam quoad extenſionem perſonarum in loco interdicto commorantium. Sub interdicto igitur generali locali cui v. g. ciuitas ſupponatur, non tantum comprehenditur locus intra muros ciuitatis concluſus ſed etiam eius ſuburbia & ædificia continentia, quemadmodum & interdicta Eccleſia, cenſentur etiam interdictæ eius

Cap-

Cappellę & Cœmeterium contiguum, vt expreſſe ſtatuitur in *c. ſi ciuitas 17. de ſent. excomm. in 6.* quia videlicet alioquin interdictum redderetur fruſtraneú. Item prædictum interdictum vim quoque habet in locis, quæ ceteroquin exempta ſint a iuriſdictione interdicentis, puta ſi intra ciuitatem interdictam aut in eius ſuburbijs ſit aliqua Eccleſia Regularium aut aliorum, ſupra quos Epiſcopus iuriſdictionem non habeat, adhuc tamen interdictum ad eandem Eccleſiam extenditur vt definitum etiam eſt a *Trid. ſeſſ. 25. de Regularib. & Monialib. cap. 12.*

7. Fit etiam ampla interpretatio quoad extenſionem perſonarum, vnde interdictum locale ſeruare tenentur omnes tam ſæculares, quam Regulares, etiã exẽpti, tã exteri, quã incolæ: quia eiuſmodi interdictum non tã eſt prohibitio perſonis facta, quam quædam inhabilitas atque priuatio Diuinorum cui locus ſubiectus eſt. Idque adeo procedit, vt plures apud *Caſtrop. de Cenſ. diſp. 5. puncto 2. n. 7.* tradiderint, etiam illum, qui interdictum tulit, teneri ad illud ſeruandum.

8. Idem fere procedit in interdicto perſonali, quod ſi generale ferri contingat, ample eſt interpretandum, & extendendum ad omnes perſonas, quæ ſint pars illius communitatis ſeu vniuerſitatis, quæ interdicto Eccleſiaſtico ſuppo-

ſita eſt, etiamſi ſint perſonę innocentes, & etiamſi incorporentur eidem communitati poſt latam ſententiam interdicti: a qua tamen generali regula eximendi ſunt Epiſcopi, qui ſub generali ſententia interdicti perſonalis non includuntur, niſi de ipſis fiat expreſſa mentio; vt ſupradiximus in *tit. 16. de ſuſpenſione n. 1. ex c. Quia periculoſum 4. de ſent. excomm. in 6.*

9. Eiuſmodi perſonarum extenſio locum habet, quando cæteroquin propria verborum ſignificatio illam admittit: ſecus eſt ſi perſona aliqua proprie non cōprehendatur ſub ea expreſſione nominis quo communitas interdicitur. Hinc ſi interdicatur Clerus, non intelligitur (niſi aliud ſit expreſſum) interdictus populus: nec etiam e conuerſo, iuxta textum in *c. Si ſententia 16. eod. in 6.* quia nomine populi intelliguntur tantū ſæculares, ſeu laici.

10. Effectus interdicti plures a Doctoribus numerantur. Primus eſt priuatio actiua & paſſiua Sacramentorum, exceptis tantum ijs quæ expreſſe per Sacros Canones excipiuntur. Sub hoc excepto genere recenſeri poteſt Sacramētum Baptiſmi & Sacramentum confirmationis: vtrumque enim conferri licite poſſe tempore interdicti tam adultis quā paruulis deciditur in *c. Quoniam 19. de*

ſent.

ſent. excomm. in 6. dummodo tamen, extra caſum neceſſitatis, non conferatur a perſona ſpecialiter interdicta ſiue per proprium particulare interdictum ſiue per generale, cui dedit cauſam.

11. Sacramentum etiam Pœnitentiæ quod tempore interdicti localis olim poterat tantum miniſtrari morientibus & peregrinis, *c. Quod in te 11. de pœnit. & remiſſ.* de iure recentiori ſtatuto in *c. Alma mater vlt. de ſent. excomm. in 6.* poteſt omnibus tam ſanis quam infirmis miniſtrari, dummodo excommunicati non ſint, aut culpabilem cauſam interdicto non dederint; in quo caſu antequam ad Pœnitentiam admittantur, debent prius (ſi id facere valent) ſatisfacere, vel de ſatisfaciendo idoneam dare cautionem &c. iuxta modum ſtatutum in *ead. c. Alma mater.*

12. Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum tẽpore generalis interdicti miniſtrari poteſt tantum ijs qui ſunt in graui mortis periculo, ex *c. Permittimus 57. de ſent. excomm.* qui tamen, ſi ſint ſpecialiter interdicti, debent prius condignam ſatisfactionem exhibere, aut de ſatisfaciendo cautionem præſtare, vel ſi neutrum poſſint, debent iurare ſe cum primum poſſint ſatisfacturos: & ad ſatisfactionem huiuſmodi per ipſos, vel per eos, qui facere ipſam debent & poſſunt

præſtandam, daturos conſilium & auxilium, ac iuxta poſſe ſuum fideliter laboraturos, vt colligitur ex *cit. c. Alma.*

13. Quod attinet ad celebrationem Miſſarum, olim in interdicto locali concedebatur celebratio Miſſæ ſemel tantú in hebdomada ad conficiendam Sacrã Euchariſtiam pro infirmis, Campanis tamen non pulſatis, voce ſubmiſſa, ianuis clauſis, excommunicatis & interdictis excluſis, *cit. c. Permittimus:* poſtea extenſa fuit illa conceſſio in *cit. c. Alma mater*, vbi conceditur facultas ſingulis diebus Miſſas celebrandi in Eccleſijs & Monaſterijs, ſeruando tamen eaſdem conditiones, nempe Campanis non pulſatis &c. Hæc tamen extenſio conceſſionis intelligenda eſt pro interdicto locali generali, non autem de interdicto locali ſpeciali: vt docet *Gloſ. in eod. c. Alma v. Eccleſijs*: quare in interdicto locali ſpeciali ſeruandum eſt ius antiquùm.

14. Prædictæ conditiones, cum quibus celebrari poteſt Miſſa tempore interdicti, ſuſpenduntur in quatuor ſolemnitatibus, nempe Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis B. V. in quibus diebus conceditur vt pulſentur campanæ, & ianuis apertis alta voce Diuina Officia ſolemniter celebrentur, excommunicatis excluſis, ſed interdictis admiſſis: ſic tamen quod il-

li,

li, propter quorum exceſſum interdictum huiuſmodi eſt prolatum, Altari nullatenus appropinquent, ex *eod. cap. Alma Mater*. Quibus diebus additum poſtea fuit etiam feſtum Sanctiſſimi Corporis Domini cum ſua octaua a Martino V. in Conſtit. 12. quæ incipit *Ineffabile Sacramentum*.

15. Sacramentum extremæ Vnctionis conferri non poteſt tempore interdicti ex textu *c. Quod in te* 11. *de pœnit. & remiſſionib.* Item neque Sacramentum Ordinis, propter generalem regulam ſupra indicatam, quod omnium Sacramentorum collatio & perceptio tempore interdicti ſit prohibita, exceptis tantum ijs quæ expreſſe per Sacros Canones excipiuntur: nullibi autem in Iure Canonico inuenitur Sacramentum Ordinis exceptum.

16. De Sacramento Matrimonij vtrum in loco interdicto, vel a perſonis generaliter interdictis adminiſtrari aut recepi poſſit, controuertitur inter Doctores. Negat. *Suar. de Cenſ. diſp.* 32. *ſect.* 1. *n.* 50. *& ſeqq* Affirmat *Panor. in c. Non eſt* 11. *de Sponſal. n.* 8. *Sanch. lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 8. *n.* 2 alijque ab ipſo citati, qui videri poſſunt. Specialiter tamen interdicti remouentur ſpeciali titulo a matrimonio contrahendo ſi contumaces exiſtant, quia tunc ponunt obi-

obicem gratiæ per Sacramentum recipiendæ.

17. Alter effectus interdicti eſt priuatio Diuinorum Officiorum, quorum nomine comprehenditur tum Miſſæ celebratio, de qua paulo ante dictum eſt; tum etiam publicæ Orationes ab Eccleſia factæ, exercitium & actus pendentes ab Ordine Sacro, aliaque ſimilia. Eiuſmodi Diuina Officia quatenus liceant tempore interdicti localis generalis, ianuis clauſis &c. videri poteſt in *cit. c. Alma Mater*.

18. Tertius effectus interdicti eſt priuatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ quamdiu durat tempus interdicti, *cit. c. Quod in te. 11. de pœnit. & remiſſionib.* exceptis tamen ijs Clericis qui ſpecialiter interdicti non ſint, & generale interdictum locale ſeruauerint: ijs enim conceditur vt cum ſilentio ſepeliri poſſint in Cœmeterio Eccleſiæ ſine campanarum pulſatione & ceſſantibus omnibus ſolemnitatibus cum ſilentio.

19. Circa pœnas violantium interdictum, ſtatutum eſt, vt ſi Clerici actus proprios ſui Ordinis, a cuius exercitio interdicti ſunt, exerceant, irregularitatem ipſo facto incurrant, de quo vide quæ diximus in *tit. 12. huius libri n. 4.* Præterea violantes interdictum locale redduntur inhabiles ad electionem tam

acti-

actiuam, quam paſſiuam, *c. Is qui* 18. §. *Is vero de ſent. excomm. in 6. & c. 1. de poſtul. Prælat.* Rurſus Regulares etiam exempti non ſeruantes interdictum, quod ab Eccleſia Cathedrali ſeu Parochiali loci in quo ſunt, ſeruari vident, aut ſciunt, ipſo facto in ſententiàm excommunicationis incurrunt, ex *Clem.* 1. *de ſent. excomm.* Demum *ex Clem.* 1. *de Sepultur.* etiam excommunicationem incurrunt violantes interdictũ, (quamuis cæteroquin exempti ſint), quoad Eccleſiaſticam Sepulturam, ſepeliendo in caſibus non permiſſis aliquem interdictum, vel in loco interdicto, ac præterea ex *c. Epiſcoporum* 8. *de priuileg in* 6. ſuſpenduntur ab ingreſſu Eccleſiæ, donec competenter ſatisfecerint ad arbitrium eius cuius ſententiam contempſerunt.

20. Quod attinet ad laicos interdictum violantes, ſtatutum eſt in *Clem. Grauis* 2. *de ſent. excomm.* vt ſi dominus alicuius loci interdicto ſuppoſiti compellat Clericum in loco interdicto celebrare Diuina, vel pulſu campanæ, aut voce præconis euocari faciat ad Diuina populos interdictos, aut impediat ne de Eccleſijs egrediantur excommunicati, aut interdicti, exire iuſſi ab ijs ad quos pertinet; ſit excommunicatus excommunicatione reſeruata Summo Pontifi-

ci,

ti, quam etiam excommunicationem incurrunt ipſimet excommunicati, aut interdicti, qui in ipſis Eccleſijs nominatim a celebrantibus, vt exeant, moniti remanere præſumpſerint. Aliæ diuerſorum generum violationes interdicti, quæ committantur a laicis, puniendæ ſunt Iudicis arbitrio, ſpectata criminis qualitate.

21. Interdictum latum & incurſum pluribus modis ceſſare poteſt. Primo enim ſi poſitum fuit ſolum pro limitato tempore, aut ſub certa conditione, eo tempore elapſo & conditione appoſita ceſſat, vt docet *Gloſ. in c. Non eſt vobis* 11. *de Sponſalib. v. donec*, & ibi *Panor. n.* 7. Vt autem ceſſet antequam tempus illud elapſum ſit, aut appoſita ſit conditio, opus eſt abſolutione ſeu diſpenſatione, quæ dari non poteſt, niſi ab eo qui interdictum tulit, aut eius Superiore pleno iure.

22. Quod ſi interdictum latum ſit abſque vlla determinatione temporis & abſque vlla conditione, vt communiter ferri ſolet, quando imponitur ad contumaciam coercendam; tunc recedente etiam contumacia & ſatisfactione præſtita, non propterea ceſſat interdictum, ſed opus eſt abſolutione, vt colligitur ex *c. Quamquam 4. de cenſib. in* 6. vbi latis cenſuris excommunicationis

nis & interdicti contra exigentes tributa ab Eccleſiaſticis perſonis, præcipit Summus Pontifex ne ab excommunicatione huiuſmodi abſolutionem, vel ab interdicto relaxationem obtineant, donec exacta plene reſtituerint, & de transgreſſione ſatisfecerint competenter. Supponit ergo Pontifex, impoſitum interdictum ad frangendam contumaciam, abſolutione indigere ad hoc vt ceſſet, quamuis contumacia iam ceſſauerit.

23. Abſolutio ab interdicto locali non reſeruato, dari non poteſt niſi ab eo qui in illum locum iuriſdictionem habeat Epiſcopalem: requiritur enim ad talem actum abſolutionis Eccleſiaſtica iuriſdictio fori contentioſi, quæ cum Epiſcopali poteſtate coniungitur, vt docet *Suar. de cenſ. diſp. 38. ſect. 2. n. 5.* Abſolutio etiam ab interdicto generali perſonali propter eandem rationem haberi non poteſt tum quoad totam communitatem interdictam, tum quoad particulares eius perſonas, niſi ab eo, qui in eandem communitatem illa iuriſdictione fungatur. Demum interdictum perſonale ſpeciale, ſi nō ſit reſeruatū, abſolui poſſe non ſolum ab Epiſcopo, ſed etiam ab inferioribus Confeſſarijs, ſuppoſito quod habeant priuilegium abſoluendi a cenſuris, docent plures, quos

citat

citat *Caſtrop. de cenſ. diſp. 5. puncto 7. §. 2. n. 7.* plures etiam negant, quos habes ibid. ab eodem citatos.

TIT. XVIII.

De depoſitione, & degradatione.

1. SPirituales pœnæ, de quibus hactenus in præcedentibus titulis dictum eſt, ſunt plerumque pœnæ medicinales, vtpote imponi ſolitæ ad contumaciam coercendam, vnde de natura ſua non ſunt perpetuæ, ſed tunc demum per abſolutionem ceſſant, quando Reus ſatisfactione præſtita reſipuerit. Præter eiuſmodi pœnas, aliud quoque penes poteſtatem Eccleſiaſticam eſt ſpiritualis pœnæ genus, quod in perpetuum imponitur abſque ſpe remiſſionis, ac propterea non includitur ſub ratione cenſuræ, ſub quo genere cõtinetur depoſitio ac degradatio, de quibus in hoc titulo agendũ eſt, vt ſpectantia ad pœnas Eccleſiaſticas abſoluamus.

2. Depoſitio igitur pœnalis, vt hic accipitur, eſt de dignitate vel beneficio, aut etiam ab vſu Ordinis perpetua deturbatio ſeu priuatio, reſpectiue prout eſt vel depoſitio a beneficio, vel ab Ordine, vel ab vtroque, vt communiter eſſe ſolet quando a Iure fertur ſententia de-

depoſitionis, vt notauit *Conink. tom.* 2. *diſp.* 16. *n.* 5.

3. Dixi *ab vſu Ordinis*: neque enim priuat Ordine ipſo, qui per indelebilem characterem eſt impreſſus in anima, vt eſt cōcors Theologorum ſententia in 4. *diſt.* 25. teſte *Suar. de Cenſ. diſp.* 30. *ſect.* 1. *n.* 7. Inde fit Clericum ita depoſitum non propterea eſſe eo ipſo priuatum priuilegio Clericali, vt etiam ſumitur ex *c. Cum non ab homine* 10. *de iudicijs*, vbi Clericus criminoſus prius deponendus dicitur; poſtea, ſi incorrigibilis fuerit, excommunicandus; deinde contumacia creſcente, anathematizandus; poſtremo, ſi in profundum malorum veniens contempſerit, cum Eccleſia non habeat vltra quid faciat, tradendus poteſtati ſæculari: quod ſtatutum ſatis indicat, Clericum per ſolam depoſitionem non amiſiſſe priuilegium Clericale. Quod tamen intellige, niſi in ipſa ſententia depoſitionis expreſſe adjuncta fuerit in ſpecialem pęnam priuatio eiuſdem priuilegij, vt notauit etiam *Abb. in c. At ſi Clerici* 4. §. *de adulterijs n.* 2.

4. Hæc ſpecialis pœna priuationis priuilegij adiungi ſolet cum infligitur pœna degradationis, per quam Clericus, quatenus fieri poteſt, extra gradum, & ſtatum Clericorum eijcitur, dum non ſolum deponitur ab omni vſu

Ordi-

Ordinis & beneficio, ſed etiam Clericalibus priuilegijs per ſolemnem ſententiam ſine ſpe reſtitutionis exuitur.

5. Eſt autem degradatio duplex, vt ſumitur ex *ex c. 2. de pœnis in 6.* Vna *verbalis*, quæ eſt ipſa ſententia Iudicis lata contra Clericum, eumque puniens prædicta depoſitione & priuilegiorum amiſſione, quæ ſententia præmitti ſolet antequam Clericus actualiter ſpolietur Eccleſiaſticis inſignibus & indumentis cum cæremonia ſolemni, Curiæque ſæculari tradatur; vnde etiam appellatur depoſitio verbalis reſpectiua; quia videlicet eſt ordinata ad Clericum ita actualiter ſpoliandum. Alia eſt degradatio *actualis*, ſiuè *realis*, aut *ſolemnis*, vt appellatur a *Triden. ſeſſ.* 13. *de refor. cap.* 4. eoque nomine intelligitur degradationis verbalis executio ſolemniter facta, prædicta videlicet ſpoliatio Eccleſiaſticorum inſignium, & indumentorum cum cæremonia ſolemni, Curiæque ſæculari traditio.

6. Quæ ſolemnitas ſeruanda ſit pro vtraque ſpecie degradationis deſcribitur in *cit. c. 2. de pœnis in 6.*, ex quo requiritur pro degradatione verbali, vt proprius Epiſcopus aſſiſtentibus ſibi alijs ſex Epiſcopis ſi degradandus ſit Presbiter; tribus autem, ſi degradandus ſit Diaconus aut Subdiaconus *c. Si autem*

5. 15. *q.* 7. ſententiam in Reum pronunciet: quæ aliorum Epiſcoporum aſſiſtentia non requiritur ſi degradandus ſit Clericus in minoribus dumtaxat conſtitutus, ſed requiritur & ſufficit cum Epiſcopo præſentia Capituli, vt docet *Gloſ.* recepta in cit.*c.*2.*v. præſentia*. Adde ex *Trid. in cit. cap.* 4. illum eundem numerum ſiue ſex ſiue trium Epiſcoporũ aſſiſtentium ſuppleri poſſe per totidem infulatos Abbates, ſi in Ciuitate aut diœceſi reperiri & commode intereſſe poſſint; alioquin per alias perſonas in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutas, quæ ætate graues, ac Iuris ſcientia commendabiles exiſtant.

7. Facta degradatione verbali, accedit Epiſcopus ad degradationem actualem etiam ſine alijs Epiſcopis, aut Prælatis, vt colligitur ex *cit. c.* 2. & ſub ea forma, quæ ibidem fuſe deſcribitur, Clericalibus veſtibus, & ornamentis, quaſi militiæ ſpiritualis inſignibus Reum ſpoliat coram Iudice ſæculari, cui poſtea eum tradit vt in ſuum forum iuriſdictionemque recipiat, cum interceſſione tamen ſerio facta, vt citra mortis periculum ſententiam contra eum moderari velit, vt habetur in *c. Nouimus* 27. *de verbor. ſignif.*

8. Hæc actualis degradatio eſt actus ex Eccleſiæ inſtitutione annexus Ordi-

ni Epiſcopali, vnde nonniſi per Epiſcopum conſecratum exerceri poteſt, vt ſumitur ex Gloſ. recepta in *c. Tranſmiſſam 15. de elect. v. de talibus*, & tradit etiam *Abb. in c. Non poteſt 3. de ſent. & re iud. n. 3. Suar. de cenſ. diſ. 30. ſect. 1. n. 18.* alijque communiter. Secus procedit in degradatione verbali, quæ ſolum eſt actus iuriſdictionis, vnde ab Epiſcopo commiti poteſt facienda per ſuum Generalem Vicarium in ſpiritualibus, vt conſtat ex *Trid. ſeſſ. 13. de refor. c. 4.*

9. Quod attinet ad crimina, quibus per Sacros Canones pœna depoſitionis infligitur, conſtat ex præcedentibus titulis de varijs criminum ſpeciebus, ac videri vlterius poteſt apud *Barb. de off. Epiſc. alleg.* 110. *n.* 10. alioſque ab ipſo citatos. Crimina autem propter quæ Clericus etiam actualiter degradatur, Curiæque ſæculari traditur, tria ſunt in Iure antiquiori ſpecialiter expreſſa, vt tradit *Gloſ. in c. Ad abolendam 9 de hæret. v. relinquatur*. Primum eſt crimen hæreſis, vt in *eod. c. Ad abolendam & c. Excommunicamus 13. §. Damnati, eod.* quod maxime procedit in hæretico relapſo & incorrigibili. Alterum eſt crimen falſi, ideſt falſificandi litteras Apoſtolicas, de quo in *c. Ad falſariorum 7. de crimine falſi*, niſi Summus Pontifex ex gratia pœnã illam mode-

deretur, vt in *c.Nouimus* 27.§.*vlt.de verbor. ſignif.* Tertium eſt, calumnia & contumelia grauis proprio Epiſcopo illata, *c. Si quis Sacerdotum* 17.11.*q.* 1. Quód tamen Doctores moderantur, vt intelligatur, ſi ille incorrigibilis ſit, teſte *Suar. in cit. diſp.* 30. *ſect.* 2. *n.* 4., quod etiam docet *Gloſ. in c. Cum non ab homine* 10. *de Iudicis v. poſtmodum*, & *Panor. in c. At ſi Clerici* 4. *eod. n.* 37.

10. His particularibus criminum ſpeciebus addi quoque poteſt ſodomia frequentata vt notat. *Laym. Theol. mor. lib.* 1. *tract.* 5. *par.* 3. *c.* 5. *ex Conſt.* 72. *B. Pÿ. V.* quæ incipit *Horrendum illud*. Crimen Miſſam celebrandi, aut Confeſſiones audiendi in eo qui non eſt Sacerdos, ex *Conſt.* 81. *Clem. VIII. Etſi alias*. Sollicitatio mulierum in Confeſſione, ſi delicti qualitas poſtulet, ex *cõſt.* 34. *Greg. XV. Vniuerſi*. Demum generaliter omne crimen enorme, quod ſit dignum pœna mortis in laico, vbi per Eccleſiaſticas pœnas corrigi non poſſit, ſatis eſſe vt Clericus propter illud ſæculari poteſtati tradatur, colligitur ex *cit. c. Cum non ab homine* 10. *de iudic.* & notat *Panor. in cit. c. At ſi Clerici* 4. *eod. n.* 39. & *ſeqq. Laym. in cit. c.* 5. *n.* 6. alijque apud ipſum.

TIT. XIX.

De irregularitate.

1. ABſolutis ijs, quæ pertinent ad Cenſuras, aliaſque Eccleſiaſticas pœnas, reliquum eſt vt de irregularitate breuiter videamus, quæ quamuis pœna aut cenſura non ſit, attamen in pluribus cenſuras imitatur.

2. Eſt itaq. irregularitas impedimẽtum Canonicum primo & per ſe impediens Eccleſiaſtici Ordinis ſuſceptionem & vſum; ſecundario autem & conſequenter aſſequtionem beneficij, quia cum beneficium detur propter officium ex *c. fin. de reſcr. in. 6.* ex quo quis eſt inhabilis ad officium ſeu miniſterium Eccleſiaſticum, inhabilis quoque cenſendus eſt ad beneficium.

3. Alia totalis eſt, alia partialis. Irregularitas totalis eſt quæ inhabilem reddit ad omnem Ordinem ſuſcipiendum, & ad cuiuslibet ſuſcepti Ordinis exercitium, eaque eſt quæ ſolet intelligi nomine irregularitatis ſimpliciter dictę. Partialis autem dicitur quæ priuat ſolum aſcenſu ad Superiorem Ordinem, aut non omni Ordinis miniſterio, ſed aliquo tantum, qualis frequenter eſt, quæ prouenit Clerico iam ordinato pro-

pter

pter aliquem ſuperuenientem defectum ſeu deformitatem, quæ inhabilem dumtaxat reddit reſpectu illius miniſterij, quod ob talem defectum exerceri ritè nequit, iuxta regulam traditam ab *Abb. in c. 2. de Cler. ægrot. n. 2. & ſeqq.* vt puta ſi Sacerdoti pollex, vel medietas palmæ cum duobus digitis abſcindatur, in quo caſu inhabilis ſit ad ſacrificandum, non item ad alia Sacerdotis officia, ex *eod. c. 2. de Cler. ægrot.* aut ſi Diacono oculus eruatur, in quo caſu inhabilis fit ad Sacerdotium, quamuis in ſuo Ordine miniſtrare non prohibeatur, vt ſumitur ex *c. fin. diſt.* 55.

4. Secundò alia eſt irregularitas perpetua, alia temporalis. Perpetua eſt quæ per ſolam diſpenſationem tollitur: temporalis, quæ lapſu temporis ceſſat, qualis eſt irregularitas proueniens ex defectu ætatis, quæ adueniente ætate legitima ceſſat.

5. Tertio demum alia eſt irregularitas proueniens ex delicto: alia quę prouenit ex alio defectu citra delictum. Neutra ex his irregularitatibus proprie pœna eſt, nam etiam ea, quæ ex delicto prouenit, non eſt proprie inſtituta ad puniendum delictum, ſed ob honorem Eccleſiaſtici ſtatus, qui in Miniſtris ſuis certas qualitates exigit cum quibuſdam delictis non compatibiles;

ti Ordinis. Ex eadem quoque ratione homo non baptizatus eſt incapax irregularitatis, cum ſit incapax Ordinis ex inſtitutione Diuina, *c. 1. & c. Veniens 3. de Presbit. non baptiz.* Vtrum autem & quomodo poſſit quis poſt ſuſceptum baptiſmum cenſeri irregularis propter culpam aut defectum cōtractum ante baptiſmum, indicabitur infra.

8. Quę autem ſpectant ad particulares cauſas, propter quas irregularitas de Iure Canonico contrahitur, ad quinque potiſſimum capita reduci poſſunt, vnde totidem reſultant ſpecies particularium irregularitatum, nempe primò vt alia ſit irregularitas ex defectu Sacramenti, alia ex defectu animę, alia ex defectu corporis, alia ex defectu lenitatis, alia ex delicto.

9. Irregularitas ex defectu Sacramenti illa dicitur quæ prouenit ex bigamia, quæ eſt matrimonij duplicatio, diciturque defectus Sacramenti, quia cum Sacramentum Matrimonij inſtitutum ſit ad repræſentandam vnionem Chriſti Domini cum Eccleſia per Incarnationis myſterium, quæ vnio fuit Vnius cum Vna, eaque Virgine ſeu ab alio non aſſumpta; bigamia deficit in hac reprę ſentatione, cum ſit vel coniunctio vnius cum pluribus, vel coniunctio cum aſſumpta ab alio, vt expli-

catur in *cap. Debitum 5. de bigam.*

10. Hoc genus irregularitatis, præſertim reſultans ex bigamia proprie dicta, ex Apoſtolica traditione manauit, vt ſumitur ex 1. *ad Timoth.* 3. ibi: *Oportet Epiſcopum eſſe vnius vxoris virum.* Et infra: *Diaconi ſint vnius vxoris viri*, quibus verbis vetat Apoſtolus ne is, qui pluſquam vnam vxorem habuit, ad Sacros Ordines promoueatur, vt vniuerſa intellexit Eccleſia, & expreſſe declaratur in *c. 2. & 3. de bigam.*

11. Dixi *præſertim reſultans ex bigamia proprie dicta.* Triplex enim communiter a Doctoribus aſſignatur bigamiæ ſpecies. Prima eſt propria, alia interpretatiua, alia ſimilitudinaria. Bigamia propria eſt ſi vir cum duabus legitimis vxoribus matrimonium conſummauit. Quod ſi cum duabus matrimonium contraxit, ſed vel cum neutra conſummauit, vel tantum cum vna; in eo caſu non efficitur bigamus & irregularis, propter rationem aſſignatam ab Innoc. III. in *c. Debitum 5. de bigam.* quia coniugium, quod non eſt commixtione corporum conſummatum, non pertinet ad illud coniugium deſignandum, quod inter Chriſtum & Eccleſiam per Incarnationis myſterium eſt contractum

12. Bigamia interpretatiua eſt quæ contrahitur ex vnico matrimonio, quod ta-

tamen ſecundum quandam Iuris interpretationem duplex matrimonium includit, & prædictum defectum Sacramenti, ac propterea ex ſtatuto Sacrorum Canonum irregularitatem inducit. Eiuſmodi eſt cum quis vnam vxorem ducit, quæ prius fuit ab alio cognita, vt ſumitur ex *cit. c. Debitum & c. Curandum* 10. *diſt.* 34. quia videlicet tale matrimonium deficit in ſignificando coniugio Chriſti Eccleſiam Virginem ſibi copulantis. Idem Iuris eſt, ſi quis propriam vxorem cognoſcat poſtquam illa adulterium commiſit, etiamſi tempore contracti Matrimonij virgo eadem fuerit, vt habetur in *c. Si laici* 13. *diſt.* 34. Secus accidit, ſi quis aliquam ducat prius a ſe ipſo corruptam; tunc enim bigamus & irregularis non efficitur, vt ex pluribus relatis docet *Sanch. lib.* 7. *de matrim. diſp.* 84. *n.* 14. *& Suar. de cenſ. diſp.* 49. *ſect.* 3. *n.* 6. *&* 7. quamuis Doctores non deſint qui oppoſitum ſentiant, vt videre eſt apud *Sanch. ibid. n.* 13.

13. Vtrum autem ad hoc genus bigamiæ interpretatiuæ reducendum ſit & irregularitatem inducat duplex matrimonium, quorum vnum validum ſit, alterum inualidum propter impedimentum dirimens, vel quorum vtrumque propter eiuſdem generis impedimentum ſit invalidum, eſt quæſtio a Theo-

 lo-

logis & Canoniſtis agitata, de qua videri poteſt *Sanch. in cit. diſp.* 84. *Caſtrop. de cenſur diſp.* 6. *pun.* 8. *n.* 7. *& ſeqq. Suar. ſect.* 2. *diſp.* 49. *de cenſur. n.* 3. *& ſeqq.* alijque ab ipſis citati.

14. Hactenus dicta de irregularitate proueniente ex bigamia ſiue propria ſiue interpretatiua, extendenda quoque ſunt ad bigamiam contractam ante baptiſmũ, vt puta ſi quis ante baptiſmum duo matrimonia contraxerit, aut vnum cum ab alio cognita; aut etiam ſi vnum matrimonium celebrauerit ante baptiſmum, alterum poſt baptiſmum, vt ſumitur ex *c. ſi quis viduam* 14. *diſt.* 34. *c. Acutius* 3. *& cap. vna* 5. *diſt.* 26. Quod tamen intelligendum eſt, non ita vt bigamus etiam ante baptiſmum cenſendus ſit irregularis, cum irregularitas vtpote de iure canonico ſtatuta non extendatur ad hominem non baptizatum, vt ſupra notauimus in hoc tit. *n.* 7. ſed itaut irregularitas quodammodo cum baptiſmo, vel poſt illum incipiat. Ratio autem eſt quæ in citatis textibus indicatur: quia videlicet in baptiſmo culpa dimitti poteſt, lex aboleri non poteſt; in coniugio autem non culpa, ſed lex eſt, vt etiam ſecundum primæuam ſui inſtitutionẽ ſignificet coniunctionem Chriſti cum Eccleſia, vt colligitur ex Apoſtolo *ad Epheſ.* 5. docetque Auguſt. alijque Patres apud *Laym*

lib.

lib. 1. *Theol. mor. tract.* 5. *par.* 5. *cap.* 6. *n.* 8. & *lib.* 5. *tract.* 10. *par.* 3. *c.* 6. *n.* 2. a qua ſignificatione deficit duplicatio matrimonij ſiue propria ſiue interpretiua

15. Bigamia demum ſimilitudinaria appellatur, quando intercedit non duplex matrimonium carnale, ſed vnum ſpirituale per votum ſolemne continentiæ, & aliud carnale, quamuis hoc ſit attentatum dumtaxat, vtpote inualidum poſt votum ſolemne caſtitatis. Cum autem duplex tantum ſit votum eiuſmodi ſolemne, nempe quod emittitur in profeſſione Religioſa, & quod includitur in ſuſceptione Ordinis Sacri: ideo duplex huius bigamiæ ſpecies numerari poteſt, quarum vna committeretur a Religioſo qui poſt profeſſionem emiſſam matrimonium attentatum contraheret & conſummaret; altera autem quæ committeretur a Clerico in Sacris conſtituto, qui poſt ſuſceptum Sacrum Ordinem vxorem duceret & cognoſceret.

16. Ex priori huius bigamiæ ſpecie irregularitatem contrahi, conſtat ex *c. Quotquot.* 24. & *c. Monacho* 32. 27. *q.* 1. vtrum autem contrahatur etiam ex altera ſpecie bigamiæ, a Clerico videlicet poſt Sacrum Ordinem matrimonium attentate, eſt diſputatum inter Doctores, de quo videri poteſt *Suar. de cenſ. diſp.* 49. *ſect.* 4. *n.* 3. & *ſeqq. Caſtrop. de cenſ. diſp.*

 6. *pun.*

6. pun. 8. n. 12. alijque ab ipſis citati.

17. Effectus irregularitatis a bigamia non tantum propria ſed etiam interpretiua prouenientis, præter prædictam inhabilitatem ad Ordines & beneficia, is quoque eſt vt bigamus nudatus maneat omni priuilegio Clericali, vt habetur in *c. vn. de bigam. in 6.* iuncta ibid. *Gloſ. v. bigamoſ.* Quare nec poſſunt Clericalem habitum & tonſuram deferre, nec miniſteria minorum Ordinum ex officio exercere, vt etiam ſumitur ex *c. vn. de Cler. coniug. in 6.* iuncta ibid. *Gloſ. v. vniciſ.* & *v. Virginibus* & ex *Trid. ſeſſ. 23. de refor. c. 17.*

18. Secunda ſpecies irregularitatis eſt quæ prouenit ex defectu animæ, qualis eſt vel ignorantia, vel carentia boni nominis ſeu infamia, vel carentia libertatis. Ignorantia ſi tanta ſit vt miniſteriũ Ordinis exercere non ſinat, conſtituit hominem irregularem, vt ſumitur ex *c. Illiteratos 2. diſt. 36.* vbi pariformiter arcentur ab Ordinibus ſuſcipiendis illiterati, ac aliqua parte corporis vitiati, quos in omnium ſententia irregulares eſſe paulo infra exponetur.

19. Infamia etiam irregularitatem inducit, vt tradit communis ſententia ex *c. Infames 16. 6. q. 1. & c. Infamibus penul. de reg. Iur. in 6.* ſiue ſit infamia iuris ſiue infamia facti; rurſus ſiue infamia

oria-

oriatur ex delicto proprio; ſiue ex delicto parentum, qui crimen læſæ maieſtatis, ac perduellionis admiſerint, *l. quiſquis* 5. §. *filij. C. ad leg. Iul. Maieſt.* aut in hæreſim lapſi ſint, de quo diximus ſupra in tit. *de hæreticis*, aut S. R. E. Cardinalem hoſtiliter fuerint perſequti, *c. Felicis de pœnis in 6.* ſiue demum oriatur ex vili cōditione perſonę ſeu officij quod exercet: quia vbi lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus, *l. de pretio* 8. *ff. de publician. in rem actione*. Quænam autem ſint crimina quibus infamia annexa eſt, videri poteſt apud *Laym. lib.* 1. *Theol. mor. tr.* 5. *par.* 5. *cap.* 4.

20. Defectus quoque libertatis, quo laborat ſeruus ſiue mancipium, irregularem conſtituit, vt ſumitur ex pluribus textibus *diſt.* 54. & ex toto tit. *de ſeruis non ordinandis*: debet enim eſſe immunis ab alijs, qui Diuinæ militiæ eſt aggregandus, vt dicitur in *c. Nullus* 1. *diſt.* 54. Idque procedit etiamſi quis fuerit manumiſſus a domino, retento tamen obſequio, vt in *c. Quicumque* 5. *ead. diſt.* quod intellige de retentione obſequij, temporalis Clericali Ordini repugnantis: ſecus enim eſſet ſi retineretur tantummodo miniſterium Ordinibus non repugnans, vt ſupponi videtur in *c. Nullus* 4. *de ſeruis non ordinand.* Quod ſi contra factum ſit, tam Ordinans ſerua-

quam ſeruus ordinatus ſubiectus eſt pœnis, de quibus ſermo eſt in *c. Ex antiquis 9. c. ſi ſeruus 19.* alijſq. pluribus *cit. diſt.* Alter quoque defectus libertatis eſt obligatio ad reddendam rationem alicuius adminiſtrationis ſeu officij ſæcularis, qualem habent Theſaurarij, Depoſitarij, Procuratores, Actores, Executores, Curatores pupillorum &c. qui omnes irregulares ſunt quamdiu onera illa non depoſuerint, & adminiſtrationis rationem nō reddiderint, ex *c. vn. de oblig. ad ratioc.*

21. Ad idem genus irregularitatis ex animæ defectu reſultantis reduci poteſt ea, quæ prouenit ex amentia, non tantum ſi hæc perpetua ſit, ſed etiam ſi fuit ad tempus, itaut amens etiam poſt recuperatam ſanitatem ordinari non poſſit ſine diſpenſatione, quemadmodum neque qui aliquando afflictione diabolica vexatus eſt, ex *c. Maritum 3. diſt. 33.* ſi tamen amentia prouenerit ex propria organorum læſione, non autem ex aliqua febri vehementi, qua ceſſante ſtatim ceſſauerit amentia, vt aduertit *Suar. de cenſ. diſp. 51. ſect. 1. n. 4.*

22. Tertia ſpecies irregularitatis eſt quæ naſcitur ex defectu corporis, quo carere debent qui Eccleſiaſticis officijs mancipantur, vbi præſertim defectus ſit talis generis, vt vel congruum impediat exercitium Ordinis, vel notabilem defor-

formitatem aut horrorem afferat, vt conſtat ex toto tit. *de corpore vitiatis*. Inde fit, ab Ordinum ſuſceptione repelli cui brachium vel manus deeſt, *c. Expoſuiſti 6 de corp. vitiat.* aut cui digitus abeſt ad frangendam & eleuandam Hoſtiam neceſſarius, *c. vlt. eod.* aut qui alterutro oculo priuatus eſt, ac præſertim ſiniſtro quē Canonicum appellant. *c. vlt. diſt.* 55, aut qui hermaphroditus ſit, nō ſolum ſi æque participet vtrumque ſexum, in quo caſu docent communiter Theologi illum eſſe etiam incapacem characteris Ordinis, vt teſtatur *Suar. de cenſ. diſp.* 51. *ſect. 2. n.* 1. ſed etiam ſi in eo prænaleat ſexus virilis vt ex communi ſententia docet ibid. idē Suar.

23. Hæc doctrina fortiori iure procedit, ſi quis parte corporis, propria ſua voluntate mutilauit, quia tunc ipſa voluntas eſt vindicanda, quæ ſibi cauſa fuit errum inijcere, vt dicitur in *c. Qui partem 6 diſt.* 55. Qua in re hanc generalem regulam tradit *Suar. in loco cit. n. 6.* vt toties mutilatio voluntate propria facta ſiue membri alicuius principalis, ſiue partis eius, ſiue deformans, ſiue non deformans, irregularitatem inducat; quoties tanta eſt, quæ per ſe & ſecluſa inaduertentia ſine peccato mortali fieri non poſſit.

24. Inde fit irregularem eſſe, qui

vel ex indignatione, vel fortaſſe ex indiſcreto zelo conſeruandę caſtitatis ſe ipſum abſciderit aut abſcindi permiſerit, vt conſtat ex *c. ſi quis* 4. *& c. Hi qui ſe* 5. *diſt.* 55. *& c. Ex parte* 3. *de corp. vitiat.* quod tamen non procedit in eo, qui vel ita natus eſt, vel qui ſectus eſt in cunabulis, vel ex conſilio medicorum, vt habetur in *c. Eunuchus* 8. *& c. Si quis* 9. *diſt.* 55. *& c. Ex parte* 3. *&* 5. *de corpore vitiatis.*

25. Ad hanc eandem claſſem irregularitatum prouenientium ex defectu corporis, reduci poteſt irregularitas, quę contrahitur ex defectu natalium, quam contrahunt omnes illegitime nati, ex *c.* 1. *& vlt. de filijs presbyteror.* alijſque iuribus. De hoc tamen vide quæ diximus *lib.* 1. *tit* 12. *n.* 26. *et ſeq. Caſtrop. de cenſ. diſp.* 6. *pun.* 9. *Suar. de cenſ. diſp.* 50. *per totum.*

26. Quarta claſſis irregularitatum eſt quæ fundatur in defectu lenitatis, quam habere debent Eccleſiaſticæ perſonæ, vt eius miniſterio rite fungantur qui mitis fuit & humilis corde. Talem irregularitatem incurrit iudex ferens ſententiam ſanguinis effectu ſecuto, eiuſque Aſſeſſor, necnon conſilium directe vel indirecte homicidio præſtans, vt ſumitur ex *c. Ex litteris* 10. *de exceſſib. Prælator.* Item accuſator in cauſa ſanguinis, ni-

ſi

ſi tamen quis accuſet malefactorem ſuum duaſque conditiones in accuſatione ſeruet: primo vt petat emendam ſibi fieri, & prouideri ne contra eum talia de cętero præſumantur: ſecundo vt expreſſe proteſtetur quod ad vindictam ſeu pœnam ſanguinis non intendit, quia his conditionibus ſeruatis irregularitas non incurritur, vt ſtatuitur in *c. 2. de homicid. in 6.* Item hanc irregularitatem contrahunt teſtes in cauſa ſanguinis effectu ſecuto, Curiales & Miniſtri iuſtitiæ vt ſunt tabelliones, procuratores, ſollicitatores & etiam inferiores miniſtri, qui vel denunciant vel ſcribunt ſententiam, vel aliquod ſimile munus exhibent: eſt enim hac in re generalis regula irregulares fieri qui quouis verbo vel facto cooperantur ad homicidium, vt ſumitur ex *c. ſi quis viduam* 9. cum alijs *diſt.* 50.

27. Idem iuris eſt de militantibus in bello. Circa quod tamen diſtinguendum eſt vtrum bellum ſit iuſtum vel iniuſtum. Si iniuſtum eſt, & in eo homicidia ſeu mutilationes fiant, omnes milites fiunt irregulares, etiamſi proprijs manibus ſanguinem non fundant, vt ex communi docet *Suar. de cenſ. diſp.* 47. *ſect.* 5. *n.* 1. fauetque *c. Quod in dubijs* 5. *de pœnis & c. ſi quis* 4. *diſt.* 51. Si autem bellum iuſtum eſt, iterum diſtinguendum eſt vtrum ſit aggreſſiuum vel pure defenſiuũ.

ſi ſit aggreſſiuum, quotquot occidunt vel mutilant, ſunt irregulares; ſecus autem alij qui proprijs manibus ſanguinem non fundant, vt colligitur ex *c. Petitio 24. de homicid.* vbi ſermo eſt de bello, quod ab exordio defenſiuum fuit, ſed poſtea terminauit in aggreſſiuum, quia fideles exierunt de caſtro, & perſecuti ſunt inimicos. Quod ſi bellum ſiſtat intra limites puræ defenſionis, tunc locum non eſſe irregularitati, docet *Suar. in cit. diſp. 47. de cenſ. ſect. 6 n. 1. & 2.*

28. Quinta demum claſſis irregularitatum eſt quæ naſcitur ex delicto, cuius generis eſt primo hęreſis, de qua videatque diximus in hoc *libro 4. tit. 6. n. 6.* Secundò eſt iniqua adminiſtratio Ordinis ſiue ſuſcepti, ſiue nondum ſuſcepti, nec nō iniqua Ordinis ſuſceptio, vt explicauimus *eod. lib. tit. 12.* quibus adde ex *c. 2. de apoſtat.* crimen miniſtrii aſſiſtentis ex officio ei qui rebaptizat, ex quo irregularis efficitur quoad aſcenſum ad ſuperiores Ordines, vnde communis ſententia infert irregularem quoque fieri ipſum rebaptizantem, vt teſtatur *Caſtrop. de cenſ. diſp. 6. pun. 16. n. 1.* Ipſum etiam qui culpabiliter rebaptizari ſe ſinit, irregularem fieri conſtat ex *c. Confirmandum 66. diſt. 50.* videri poteſt *Suar. de cenſ. diſp. 42. ſect. 1.*

29. Tertiò eſt crimen homicidij ſeu muti-

mutilationis voluntariæ, ſiue facto, ſiue præcepto aut conſilio perpetratæ, vt conſtat ex pluribus iuribus *de homicid.* & *diſt.* 50. nec non ex *Trid. ſeſſ.* 14. *de reform. cap.* 7. & *Clem. vn. de homicid.* vbi etiam aliud iuris eſſe declaratur, ſi furioſus, aut infans ſeu dormiens, hominem mutilet vel occidat, quemadmodum & ſi quis mortem aliter vitare non valens, ſuum occidat vel mutilet inuaſorem. in his enim caſibus irregularitas non contrahitur.

30. Quod ſi homicidium neque voluntarium ſit, neque neceſſarium, ſed caſuale, ſiue fortuitum; diſtinguendum eſt vtrum ſequatur ex actione quæ de ſe alias illicita ſit atque prohibita propter periculum homicidij: vel vtrum ſequatur ex actione licita. Si homicidium ex primi generis actione ſequitur, puta ex illicito ludo &c. homicida eſt irregularis, etiamſi directa voluntate non intenderit homicidium, vt eſt caſus in *c. Continebatur* 8. & *c. ſicut* 20. *de homicid.* ad quod etiam facit *c.* 19 *de reg. iur. in* 6. *non eſt ſine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet ſe immiſcet.*

31. Si autem homicidium ſequitur ex actione licita, & quæ de ſe cum periculo homicidij non ſit coniuncta, iterum diſtinguendum eſt, vtrum adhibita fuerit ſufficiens diligentia ad omne etiam

extrin-

extrinſecum homicidij periculum auertendum; nec ne? In primo enim caſu irregularitas non incurritur, vt eſt caſus, in *c. Ioannes* 23. *c. quidam* 25. *c. Dilectus*, 13. alijſque iuribus *de homicid.* Incurritur in ſecũdo, vt eſt exemplum in *c. Presbyterum* 7. *eod.* Vnde ſit quod laicus exercens artem medicinæ vel chirurgiæ, ſi alicui præter intẽtionem mortem cauſauit, non ſine culpa, quia omnem debitam diligentiam non adhibuit, vel quia imperitus fuit, irregularis eſt, de quo in *c. Ad aures* 7. *de ætat. & qual. & Ord. præficiend.* Religioſus tamen, & Clericus maiorum Ordinum, etiam adhibita omni diligentia, irregularis efficitur, vt in *c. Sententiam* 9. *ne Cler. vel. Monac. & c. Tua* 19. *de homic.* Atque hæc pro Inſtitutionum Canonicarum breuitate dicta ſint ſatis

AD MAIOREM
DEI
GLORIAM.

Mo-

Modus ſcribendi, atque legendi citationes Textuum in vtroque Iure.

PRO maiori Tyronum commoditate, ac facilitate, placet hic breuiter recenſere allegationes Textuum præcipuas, quibus vtuntur in vtroque Iure periti, vt illas facile poſſint tum apud Authores legere, tum ipſi per ſe in ſuis exemplaribus ſcribere.

Modus ſcribendi atque legendi citationes Textuum in Iure Canonico.

REcolendo quæ fuſe declarata ſunt in tit. proœmiali §. 3. à num. 6. partes, quibus componitur Corpus Iuris Canonici, ſunt Decretum Gratiani, Decretales, Sextus, Clementinæ, & Extrauagantes. Decretum in tres partes eſt diuiſum. Prima pars continet 101. diſtinctiones, in plura capita, ſeu Canones ſubdiuiſas. Solent ij Canones citari per verba ipſorum initialia, appoſito numero diſtinctionis ſub qua continentur: vnde ſi quando Textus aliquis ita allegetur, ſignum eſt ipſum reperiri in hac prima parte Decreti. Modus autem eiuſmodi citationes breuiandi eſt, ſcribere dumtaxat litteram *d.* quæ ſignificat diſtinctionem, vel ſillabam *diſt.* appoſito numero diſtinctionis; & ante

ver-

verba initialia Textus ſcribere dumtaxat c. paruum, quod ſignificat caput ſeu Canonem v.g. *c. conſuetudo. diſt. 8.* hoc eſt *capite*, quod incipit *Conſuetudo. diſtinctione octaua.*

Secunda pars Decreti triginta ſex Cauſas complectitur, quarum ſingulæ in quæſtiones diuiduntur, & quælibet quęſtio in capita: inter quas quæſtio tertia Cauſę trigeſimę tertię continet tractatum de Pœnitentia diuiſum in ſeptem diſtinctiones ſubdiuiſas in capita. Huius partis Canones, ſeu Capita allegantur citando numerum cauſæ, & quæſtionis, & præterea verba initialia eorundem capitum. v.g. *17. q. 1. c. Ananias*, quæ citatio ita legitur: *decima ſeptima* (hoc eſt, *cauſa decima ſeptima*, ſolet enim relinqui vox *cauſa* breuitatis cauſa, & ſolus numerus cauſæ allegari,) *quæſtione prima, capite Ananias* hoc eſt cuius initium eſt *Ananias*. Si autem Textus reperiatur in tractatu de Pœnitentia ita citatur: *de pœnit. diſt. 2. c. cum ſanctam.*

Tertia pars Decreti continet tractatum de conſecratione in quinque diſtinctiones diſtributum ſubdiuiſas in Canones ſeu capita. Modus allegandi eoſdem Canones eſt, citare tractatum de conſecratione, numerum diſtinctionis, & initium capitis, v. g. *de conſecr. diſt. 4. c. oſtenditur.*

De-

Decretales ſunt altera pars componens corpus Iuris Canonici compilata ex authoritate Gregorij IX. diuiſa in quinque libros, quorum quilibet plures ſub ſe titulos habet in capita ſubdiuiſos. Eius Textus citantur per verba ipſorum initialia, appoſito titulo ſub quo reperiuntur. V.g. *c. querelam, de iureiur.* hoc eſt, *capite*, cuius initium eſt *querelam* ſub titulo *de iureiurando*. Quia autem aliquando contingit, ſub eodem titulo plures Canones reperiri per eadem verba incipientes, vt cognoſcatur in citatione de quo illorum ſermo ſit, ſolent antiquiores Canoniſtę poſt verba initialia capitis apponere expreſſe italica voce *il primo*, ſeu *il ſecondo* &c. V.g *c. bonæ memoriæ il ſecondo, de poſtul. Prælator.* quo ſignificatur, citatum caput eſſe ſecundum inter ea quæ incipiunt *Bonæ memoriæ* ſub titulo *de poſtulatione Prælatorum*. Eundem ſtylum ſeruant in citationibus aliarum partium Iuris Canonici, ſi quando contingat ſub eod. titulo plura capita reperiri per eadem verba incipientia. Plures tamen ex recentioribus Canoniſtis, vt ea confuſio vitetur, ſimulque vt facilius citata capita inueniantur, poſt verba initialia capitis, ſolent apponere numerum, quo in ordine reperitur idem caput ſub citato titulo, v. g. *c. bonæ memoriæ 4. de poſtu-*

ſtu-

ſtulatione Prælator. quem ſtylum ſeruauimus plerumque etiam nos in toto hoc Opere, etiam vbi initium capitis citati non eſt commune pluribus capitibus.

Sextus Decretalium eſt tertia pars componens Corpus Iuris Canonici, diuiſa etiam in quinque libros, quorum quilibet plures ſub ſe titulos habet deſumptos ex Decretalibus Gregorij. Huius partis Canones citantur etiam per voces initiales capituli, addendo titulum, & præterea particulam *in 6.* V. g. *c. Inquiſitores de hæret. in 6.* hoc eſt, *capite* cuius initium eſt *Inquiſitores*, ſub titulo *de hæreticis*, *in ſexto* Decretalium.

Clementinę ſunt quarta pars Corporis Iuris Canonici. Eius Canones ita v. g. citantur: *Clem. nolentes, de hæret.* hoc eſt, *Clementina* cuius initium eſt *Nolentes*, ſub titulo *de hæreticis.*

Vltima pars Corporis Iuris Canonici eſt liber Extrauagantiũ, in duas partes ſubdiuiſus, quarũ vna continet Extrauagantes Ioannis XXII. altera autẽ Extrauagantes communes. Eius textus ſolent v.g. hoc modo allegari: *Extrau. ad Apoſtolatus, de conceſ. præb. inter Extrau. Ioan.* hoc eſt, *Extrauaganti*, cuius initium eſt *ad Apoſtolatus*, ſub titulo *de conceſſione prebendæ*, *inter Extrauagantes*

Ioannis

Ioannis vigeſimi ſecundi: *Extrau. ſi Religioſus, de elect. inter comm.* hoc eſt, *extrauaganti* cuius initium eſt *Si Religioſus,* ſub titulo *de electione, inter communes* extrauagantes.

Olim Canoniſtis ſolemne fuit, vt ſi quando allegare deberent aliquem Canonem non incluſum in Decreto Gratiani, adderent particulàm *Extra*: v. g. *c. quia propter, extra de elect.* quo ſignificabant Canonem illum eſſe extra Decretum: nunc tamen ſtylus iſte communiter non ſeruatur, niſi aliquando vbi citandus ſit aliquis textus, qui nondum ſit incluſus in corpore Iuris. Legiſtę tamen modum illum adhuc ſeruant, vbi citatur ab ipſis aliquis textus Canonicus, quo ſignificare intendunt citatum textum eſſe extra Corpus ſui Iuris, ſcilicet Ciuilis.

Demum pro omnibus prędictarum partium citationibus notandum eſt, ſi aliquando contingat, Canonem aliquem eſſe aliquantulum prolixiorem, ac propterea in paragraphos diuidi; tunc ad facilius inueniendum textum, ſolere citari etiam paragraphum hoc ſigno §. per verba eius initialia. V.g. *c. quia propter, §. illud autem, de elect.* Quod idem ſeruatur etiam in citationibus legum ciuilium.

Mo-

Modus ſcribendi atque legendi citationes textuum in Iure Ciuili.

RECOlendo etiam quæ fuſe à nobis explicata ſunt in tit. procemiali §. 2. à num. 7. prima partium componentium Corpus Iuris Ciuilis eſt Digeſtum ſubdiuiſum in Digeſtum vetus, Infortiatum, & Digeſtum nouum. Digeſtum breuiatè ſcribitur vel per litteram maiorem D, vel per grecam litteram π (quæ eſt initialis in voce græca Pandectæ, quo nomine vocatur etiam Digeſtum), vel frequentius per has duas litteras *ff*. Lex breuiatè ſcribitur per litteram *l*. Si itaque citanda ſit lex in Digeſto contenta, ſolet v.g. ita allegari: *l. quod ſi, ff. de rei vindicat.* hoc eſt, *lege, quod ſi, Digeſtis de rei vindicatione*, & ſignificatur eam legem reperiri in libris Digeſtorum ſub titulo *De rei vindicatione.*

Codex eſt altera pars Corporis Iuris Ciuilis, atque diuiditur in 12. libros, ita tamen vt primi 9 libri poſiti ſimul ſint in proprio volumine, reliqui autem tres vltimi poſiti ſint poſt Inſtitutiones. Codex breuiatè ſcribitur per maiorem litteram C. Eius leges contentę in aliquo priorum nouem librorum hoc modo v.g. allegari ſolent: *l. inuitus, C. de procurator.* hoc eſt, *lege*, cuius initium eſt *Inuitus, Codice* hoc eſt in volumine

Co-

Codicis, ſub titulo *De procuratoribus*. Si autem alleganda ſit lex contenta in aliquo trium vltimorum librorum, ſolet etiam addi numerus libri; v. g. *l. fruſtra, C. de re militari lib.* 12.

In libris Codicis inueniuntur nonnumquam translatæ aliquæ particulę Anthenticorum, & illæ ſunt quę propriè dicuntur authenticæ. Illarum allegatio huiuſmodi eſt: *auth. Sed Iudex, C. de Episc. & Cler.* hoc eſt, *authentica* cuius initium eſt *Sed Iudex*, in volumine Codicis, ſub titulo *De Episcopis, & Cleritis*.

Alia pars Iuris Ciuilis eſt volumen Authenticorum, diuiſum in nouem Collationes. Eius textus citantur per prima verba paragraphi addendo titulum ipſius Authentici. V. g. §. *Deinceps, Auth. de nuptijs*, hoc eſt *paragrapho*, cuius initium eſt *Deinceps, Authentico*, hoc eſt in volumine Authenticorum, ſub titulo *De nuptijs*.

Alia pars Iuris Ciuilis eſt liber feudorum. Eius leges ſolent v. g. hoc modo citari: *in lib. feud. de natura feudi, c.* vel *l. natura*, hoc *in libro feudorum* ſub titulo *De natura feudi, capite*, vel *lege*, quę incipit, *natura*.

Alia demum Iuris Ciuilis pars ſunt Inſtitutiones Iuſtiniani. Eius leges citantur etiam per prima verba paragra-

phi,

phi, addendo titulum Inſtitutionum, v.g. hoc modo: *Inſtit.de rer.diuiſ.§.Item ea*, hoc eſt, in Inſtitutionibus Iuſtiniani, titulo *De rerum diuiſione*, paragrapho cuius initium eſt, *Item ea*.

IN-

INDEX RERVM

Prior numerus indicat paginam, alter numerum marginalem.

A

ABbas. Quis & quotuples. 181. 14. & ſeqq. An habeat poteſtatem conferendi minores Ordines. 183. 20.

Abolitio. Quid & quotuplex. 473. 13. Qualiter concedatur. 474. 15, & ſeqq.

Accuſatio, & Accuſator. Quid ſit accuſatio. 466. 3. Qui accuſare poſſint, aut non poſſint. 467. 5. & ſeqq. Quem. 469. 8. Modus procedendi in iudicio criminali accuſatorio. 470. 9, & ſeqq. Qua pœna Puniatur Accuſator ſi ſit contumax. 472. 11. ſi non probauerit crimen obiectum. 477. 19.

Acolythus. Vnde dicatur, eiuſque officium. 102. 3.

Adoptatio. Quod impedimentum inducat ad matrimonium. 262. 27. & ſeqq.

Adulterium. Quid, 562. 1. Eius pœnæ, ibid. 2. & ſeqq.

Aduocatus. Qualis eſſe debeat. 325. 2. Quis eſſe poſſit. 326. 3.

Ætas. Requiſita ad beneficia. 126. 25.

Affinitas. Quid ſit, eiuſque gradus. 269. 37.

Altare. Quotuplex, eiuſque conſecratio. 285. 11. Execratio. 286. 12.

Apoſtaſia, & Apoſtata. Quotuplex. 532. 4. Eius pœna. 541. 19.

Appellatio. Quid. 428. 1. Quis appellare poſſit. 429. 3. & 4. A quo. 431. 5. & ſeqq. Ad quem. 433. 10. & 11. Contra quam ſententiam, 435. 12. & ſeqq. Tempus, & forma appellandi. 438. 17. & ſeqq. Proſequendi appellationem. 440. 21. & ſeqq. Apoſtoli appellationis, quid. 439. 20. Effectus appellationis. 442. 24. & ſeqq.

Arbiter. Quis dicatur. 449. 2. Quis aſſumi poſſit. 451, 5. & ſeq. ſuper qua cauſa. 452. 7. Effectus laudi, ſeu ſententiæ arbitri. 454. 9. & ſeqq. Quo pacto poteſtas Arbitri finiatur. 457. 16. & ſeq.

Archidiaconus. De iure communi eſt primus Vicarius Epiſcopi. 81. 4. Eius poteſtas: ibid. & ſeqq.

Archiepiſcopus, Vnde dicatur. 41. 3. Eius iuriſdictio ſupra Epiſcopos Suffraganeos, eorumque ſubditos, & res. 54. 10. & ſeqq.

Archipresbyter. Eſt de iure communi Vicarius Epiſcopi. 84. 9. Quutuplex ſit. 85. 10. Eius poteſtas. ibid. & ſeqq.

Aſylum. Vide Immunitas Eccleſiaſtica.

B

Baptiſmus. Eius materia, & forma, 193 6. & ſeq. Subiectum. 194. 8. Miniſter. 196. 10. & ſeq. Patrinus. Vide Patrinus.

Beneficium Eccleſiaſticum. Quid & quotuplex. 104, 3. & ſeqq. Quas qualitates in promouendo requirat. 109. 2. & ſeqq. Quomodo conferri debeat ab inferiori Collatore. 143. 4. & ſeqq. Intra quantum tempus. 145. 9. Quæ ſint beneficia reſeruata Papæ. 232, 3. & ſeqq. Vide Renunciatio, & Permutatio.

Bigamia. Quid, & quotuplex, 627. 9. & ſeqq.

C

Cælibatus. Eſt annexus Ordinibus Sacris in Eccleſia latina. 95. 5. & ſeqq. Quid in græca. 97. 8.

Calumniator. In accuſatione qua pœna puniatur. 477, 19.

Cardinales S. R. E. Eorumque gradus, & ordo. 37. 4.

Cenſura. Quatuplex ſit. 589. 1.

Chorepiſcopus. Vnde dicatur, eiuſque inſtitutio, & ſublatio. 62. 20.

Cita-

Citatio. Quid, & quotuplex. 338, 2. & ſeqq. Requiſita ad eandem. 339. 5. & ſeq. Eius effectus. 342. 8. & ſeqq.
Clericus. Quis ſit, & vnde dicatur. 35. 1. Clericus coniugatus priuatur beneficio Eccleſiaſtico, & etiam penſione Clericali. 101. 2. An gaudeat immunitate Ecclaſiaſtica. 302. 28. Clericus excommunicatus, depoſitus, interdictus miniſtrans qualiter puniatur. 566, 2. & ſeqq. Item per ſaltum promotus aut furtiue. 569. 8. & ſeqq.
Coadiutor. Quando, & quomodo dari poſſit Epiſcopo. 61. 19.
Cœmeterium. Quid, eiuſque conſecratio, & pollutio. 287. 14. Vide ſepulcrum, & ſepultura.
Cognatio. Quid & quotuplex. 260. 25. & ſeqq. Cognationis naturalis linea, & gradus. 264. 30. & ſeqq.
Compater. Vide Patrinus.
Concilium. Quid & quotuplex. 23. 1, & ſeqq. Conciliorum generalium catalogus. 26. 7. & ſeqq.
Confeſſio Rei iudicialis, & extraiudicialis, quid, & qualiter probet. 391. 2. & ſeqq.
Confeſſio Sacramentalis. Eius materia 214. 6. Integritas. 215. 7. & ſeqq. Sigillum. 220. 17.
Confirmatio Electionis à quo petenda ſit. 71. 1. Eius effectus 73. 3. & ſeqq.
Confirmatio Sacramentum. Eius materia, & forma. 200. 3. Miniſter. 200. 4. & ſeq. Subiectum 202, 6. Effectus. 203. 8. Patrinus in Confirmatione, ibid. 9.
Conſecratio: Altaris. 285. 11. Eccleſiæ. 283. 8. Epiſcopi, quando, & quomodo fiat. 75, 6. & ſeq. Intra quod tempus ſuſcipi debeat 130. 30.
Conteſtatio litis. Quid ſit, & quomodo fiat. 378. 1. & ſeqq. Eius effectus. 381. 6. & ſeqq.
Contritio. Quid & quotuplex. 213. 4.
Contumacia. Qualiter puniatur. 342. 8. & ſeqq.

D

DEgradatio. Quid & quotuplex, 619. 4. & ſeq. Eius forma.620.6,& ſeq. Propter quę crimina fiat.622.9.& 10.

Denunciatio. Quid ſit, & quotuplex. 485. 1. & ſeqq. Quæ crimina denuncianda, quæ perſonæ, & cum quibus conditionibus. 487. 6. & ſeqq.

Depoſitio. Quid ſit.618.

Diaconus. Vnde dicatur, & eius officium, 98.1.& ſeqq.

Dignitas. Quid ſit, & in quo differat à Perſonatu, & Officio.197.7.

Diuortium. Ex qua cauſa fieri poſſit, 278. 52. Effectus diuortij facti ex authoritate Iudicis propter adulterium, 564. 9.

E

ECcleſia. Quid pro eius conſtructione ſeruandum ſit.281.4.& ſeqq. Eius conſecratio. 283. 8. Pollutio, & reconciliatio. ibid. 9. & ſeqq.

Electio, & Elector. Quibus modis Electio fiat. 63. 1. & ſeqq. Electio per Inſpirationem. 65. 4. Per compromiſſum. ibid. Per ſcrutinium. 66. 5. & ſeqq. In quo differat à poſtulatione 68.8.& ſeq. Decretum Electionis.70: 11. Quibus competat poteſtas eligendi. 64. 2.& ſeq. Elector abſens, quando vocandus, & quid ſi contemnatur. 66. 6. Quando, & quomodo poſſit per procuratorem eligere. 67.7.

Epiſcopus. Vnde dicatur. 41. 2. Quæ ſit, & quotuplex eius poteſtas. 49. 1. & ſeqq. Eius Electio. Vide electio. Eius confirmatio, & Conſecratio. Vide Confirmatio Electionis, & Conſecratio. Eius poteſtas poſt Confirmationem, ante Conſecrationem. 73.3.& ſeqq. Quæ beneficia conferre poſſit: 142.3, Et quomodo. 143.4. & ſeqq.

Eucharistia. Eius materia, & forma.205. 3.& ſeq.

ſeq. Miniſter.207.5. Subiectum.208.6. Obligatio illam ſumendi.210.10.
Exceptio. Quid ſit, & quotuplex. 352. 2. & ſeqq In qua iudicij parte proponi poſſit. 354. 5.& ſeqq. Exceptio litis finitæ quænam ſit.357 9. Exceptio criminum, quid. 507. 2. Qualiter regulanda.508.4.& ſeqq.
Excommunicatio.Quid & quotuplex, eiuſque effectus. 589.2 & ſeqq. Excommunicatio ab homine, à quo ferri poſſit, & contra quem, 598.16.& 17. Quomodo ſemel incurſa tollatur.599.18 & ſeqq
Exorciſta. Vnde vocetur, & eius officiũ.102.4,

F

Filius. An poſſit eſſe beneficiatus in Eccleſia Paterna.129.28.
Furtum. Quid.552.2.Eius pœna.553. 4.& ſeqq.

H

HÆreſis, & Hæreticus. Quis dicatur. 531. 2. Qualiter puniatur, 533.5.& ſeqq. Hæreticus relapſus quis dicatur, eiuſque pœna.538.14,& 15.
Homicidium. Quid, & quotuplex, 547. 2. & ſeqq. Eius pœna 549 5 & ſeqq. Quando irregularitatem inducat.30.& ſeqq.

I

ILlegitimus. Eſt inhabilis ad beneficia, 127.26. Quinam per ſubſequens matrimonium legitimetur. ibid.27. Diſpenſatio ſuper illegitimitate pro habendo beneficio, à quo petenda ſit.128.28.
Immunitas Eccleſiaſtica. Quotuplex. 291. 2. Immunitatis localis priuilegia, 291. 3. & ſeqq, Immunitatis realis.297.12.& ſeqq. Immunitatis perſonalis. 299. 16, & ſeqq. In quibus caſibus non procedat.302.21.& ſeqq.
Inquiſitio. Quid. 491. 1. Quotuplex 493. 4.

Eius forma 494.5. & ſeqq.
Inſtitutio: De beneficio patronato ad quem pertineat.152.11.
Inſtrumentum. Quid, & quotuplex. 410. 1. & ſeqq. Eius effectus.412. 5.
Interdictum Eccleſiaſticum, Quid & quotuplex 606.1.& ſeqq. Ad quæ loca, aut perſonas extendatur. 608. 6 & ſeqq. Eius effectus 610. 10. & ſeqq. Pœnæ violantium interdictum. 614. 19. & 20. Quibus modis ceſſet. 616, 21. & ſeqq.
Interdictum vnde vi. Quid. 367. 4.
Irregularitas. Quid & quotuplex. 624. 2. & ſeqq. Propter quas cauſas contrahatur. 627. 8. & ſeqq.
Iudex. Ordinarius, & Delegatus in quo differant. 316. 3. & ſeqq. Eius officium nobile, & mercenarium, quid. 322. 12.
Iudicium. Quid. 310. 2. Quotuplex. 312. 7. & ſeqq. Concurſus Iudicij petitorij, & poſſeſſorij. 373. 11. Iudicium criminale. 465. 2.
Iuramentum calumniæ. Quid. 383. 8: Iuramentum iudiciale quid, & quotuplex. 420. 19.
Ius. Quid, & quotuplex. 2. 3. & ſeqq. Ius in re, ius ad rem. 3. 4. ius ciuile. 8. 5. & ſeqq. Ius Canonicum. 13. 1. & ſeqq.
Iuſpatronatus. Quid ſit, & quotuplex, & qualiter acquiratur. 146. 2. & ſeqq. Habens iuſpatronatus, quid ſeruare debeat pro actu præſentandi. 149. 6. & ſeqq. An variare poſſit. 150. 7. & 153. 11. & 12. Iuſpatronatus qualiter amitti poſſit. 154. 13. & ſeqq.

L

Laicus, Quis ſit, & vnde dicatur. 36. 2.
Laudum. Vide Arbiter.
Lector. Vnde dictus, & quod eius officium. 102. 5.
Legatus Romani Pontificis. Quis, & quotuplex. 38. 5. & ſeqq. An poſſit conferre beneficia vacantia in ſua prouincia. 141. 1. & ſeqq.

Lex

Lex Diœceſana, & lex iuriſdictionalis in quo differant 50.3.
Libellus iudicialis. Quid ſit, & quotuplex. 346 1.& 2. Eius forma.347. 3. & ſeqq. An emendari vel mutari poſſit. 350.8.& 9. Eius effectus, 351.10. Libellus accuſatorius 467.4.

M.

MAledicentia, & Maledicus quis, & quotuplex 545.7.& ſeqq. Eius pœna. ibid.
Matrimonium. Eius materia, & forma. 247.4. Impedimentum quid & quotuplex. 257.19. & ſeqq. Impedimenta dirimentia quænam ſint. 258.21.& ſeqq.
Mutua petitio. Quid ſit. 360. 1. Super quibus cauſis procedat. 360.2.& ſeqq. Quibus legibus regulanda. 362.5.& ſeqq. Quo tempore proponenda. 365.10.

N

NOuitius, & Nouitiatus. Vide Religio.
Nuncius Summi Pontificis. 39.6.

O.

OFficium. Quid ſit, & in quo differat à Dignitate, & Perſonatu. 107. 7.
Ordo. Quid ſit. Eius materia, forma, & effectus. 229. 2.& ſeqq. Miniſter. 234.10.& ſeqq. Leges in eius collatione ſeruandæ. 235. 11. & ſeqq.
Oſtiarius. Vnde dicatur, eiuſque officium 202. 6.

P.

PActum Quid & quotuplex. 459.2.& 3.
Pallium Quid ſit. 77.2. Intra quod tempus peti debeat. 78.3. Eius conceſſio, & vſus quantum extendatur. ibid. 4. & ſeq.
Papa. Eſt Doctor, & Legislator Eccleſię. 36. 3. Pro eius electione ſunt aliqua ſpecialia.

71.12. Eius eſt Epiſcopos confirmare ibid. r.
Poſſe omnia beneficia conferre. 132.2. Habet plura beneficia ſibi reſeruata, & quæ illa ſint. 132.3. & ſeqq.
Patriarcha. Vnde vocetur. 42. 4. Quatuor Patriarcharum inſtitutio. 43. 6. & ſeqq. Eorundem Prouinciæ ibid. Eorum poteſtas, & iuriſdictio ſupra Archiepiſcopos, eorumque Suffraganeos. 58. 16. & 17.
Patrinus. In Baptiſmo quis eſſe poſſit. 197. 14. Quam cognationem ſpiritualem contrahat. 198. 16. Patrinus in Confirmatione. 203. 9.
Patronus. Vide Iuſpatronatus.
Peculium Clericorum. 308. 8.
Penſio. Quid ſit, & quotuplex. 171. 24. & 25. Quis poſſit illam imponere. 173. 27. & ſeq.
Permutatio beneficiorum. Quibus legibus regulanda. 167. 16. & ſeqq. Quis illam approbare poſſit. 170. 21. & 22.
Perſonatus. Quid ſit, & in quo differat à Dignitate, & Officio. 107. 7.
Petitio mutua. Vide mutua petitio.
Pœna. Quid, & quotuplex. 584. 2. & ſeqq. Pœna latæ ſententiæ an incurratur ante ſententiam declaratoriam. 586. 6. & ſeqq. Pœna talionis quid ſit. 478. 19.
Pœnitentia. Eius forma, & quaſi materia 212. 2. & ſeqq. Miniſter. 218. 13. & ſeqq. Obligatio eam ſuſcipiendi. 221. 19.
Poſtulatio. Quid ſit. 68. 9. Quem numerum ſuffragiorum requirat etiam in concurſu Electionis, 69. 10.
Præſumptio. Quid & quotuplex. 414. 10. & ſeqq. Effectus & vis. 417. 14. & ſeqq.
Presbyter. Vnde dicatur. 92. 1. Eius officium, & qualitates animæ, & corporis. ibid. 2. & ſeqq.
Priuilegium. Quid & quotuplex. 571. 2. & ſeqq. A quo concedi poſſit. 573. 5. A quo reuocari, & quomodo. 574. 6. & ſeqq. An, & quando reuocetur per non vſum, aut per contrarium vſum. 578. 11. & ſeqq. Abuſus priuilegij, eiuſque pœna. 581. 14. & 15. Interpretatio, pri-

priuilegij.582. 16. & 17.

Probatio. Quid ſit. 385. 2. Quotuplex. ibid. Ejus qualitas. 387. 5. & ſeqq.

Procurator. Eius officium. 326. 4. A quo conſtitui poſſit. 329. 7. Quis conſtitui. 330. 8. Super qua cauſa. 331. 9. Procuratorium mandatum, eiuſque effectus, ibid. 10. & ſeqq. Qualiter eius officium expiret. 334. 14. & ſeqq.

Profeſſio Religioſa. Quid, & quotuplex. 178. 6. & ſeq. Quid pro validitate requirat. 179. 8. & ſeqq.

Purgatio Canonica. Quid. 481. 23. In quo caſu indicenda. 471. 21. Eius forma. 482. 24. Purgatio vulgaris prohibita, quid. 481. 23.

R

REgulæ Cancellariæ, in quibus aliqua beneficia reſeruantur Summo Pontifici. 136. 7. & ſeqq.

Religio, & Religioſus ſtatus. In quo conſiſtat. 175. 2. Religionum differentiæ. 176. 3. Nouitiatus. 177. 4. & ſeq. Profeſſio. Vide Profeſſio Religioſa.

Renunciatio beneficij. Quid & quotuplex. 160. 2. & ſeqq. Quis poſſit illam admittere. 162. 5. & ſeqq. Renunciatio cum acceſſu, regreſſu, & ingreſſu, quid ſit. 166. 12.

Reſtitutio in integrum. Quibus concedatur. 444. 1. & ſeqq. Quo tempore, & quomodo, & coram quo petenda. 446. 4. & ſeqq. Eius effectus, 448. 8. & 9.

S

SAcramentum. Quid ſit, & ex quibus conſtituatur, 187. 1. & ſeq. Quotuplex ſit, 188. 4.

Sacrilegium. Quid & quotuplex, 546. 10. Eius pœna, ibid.

Schiſma, & Schiſmaticus quis dicatur, 531. 3. Eius pœna, 540. 17. & ſeq.

Scien-

Scientia. Quænam requiratur in promouendis ad beneficia. 122. 20. & ſeq:
Sententia. & res iudicata. Quid & quotuplex, 421. 1. & 2. Qualiter ferri debeat. 422. 3. & ſeqq. Eius effectus, 424. 7. & ſeqq. Executio, 426. 12. 13.
Sepulcrum, & Sepultura. Eius Electio, 288. 16. Quibus danda in loco Sacro, 289. 17.
Simonia. Quid & quotuplex, 512. 3. & ſeqq. Eius materia, 516. 9. & ſeqq: Pœna, 520. 13. & ſeqq: Iudex competens, 528. 27.
Sortilegium, & ſortilegus, quis & quotuplex, 542. 2: & ſeqq. Eius pœna, ibid.
Spoliatus. Quis dicatur. & quomodo ante reliqua reſtituendus, 366. 2. & ſeq.
Sponſalia. Quid ſint, & qualiter contrahantur, 249. 6. & ſeqq. Qualiter diſſoluantur, 252. 11. & ſeqq. Eorum effectus. 254. 15. & ſeq.
Spurius. Quis dicatur, 127. 26. Non legitimatur per ſubſequens matrimonium, ibid. 27.
Stuprum. Quid ſit, & qualiter puniatur, 564. 7. & 8.
Subdiaconus. Vnde dicatur, & eius officium 100 5.
Subditus ratione beneficij, vel originis, vel domicilij, quis dicatur pro ſuſceptione Ordinum, 241. 23. & ſeqq.
Suſpenſio. Quid ſit. & quotuplex, 602. 1. & 2. Eius forma, effectus, & ceſſatio, 604. 5. & ſeqq.

T

Teſtis. Quis eſſe poſſit aut non poſſit. 395. 2. & ſeqq. Modus recipiendi Teſtes 401. 14 & ſeqq. Quid requiratur vt plene probent, 406. 20. & ſeqq. An examinari poſſint ante litem conteſtatam, 392 7.
Tonſura prima. Vtrum ſit Ordo, 102. 7. & 231. 7.
Tortura. Quid. 499. 14. Super quo crimine, & contra quem adhiberi permiſſa, ibid. Quæ ſint indicia ſufficientia ad torturam. 500. 17. & ſeqq.

Tran-

Tranſactio. Quid, 461. 6, Qui tranſigere poſ-ſint, ibid. 7. De qua re, 462. 8. & 9. Effectus tranſactionis, 463. 10.

V

Vicarius Epiſcopi. Quotuplex, 80. 2. Vicarius generalis, eiuſque officium. 87. 14. Cuius qualitatis eſſe debeat, 89. 17. Qualiter reuocari poſſit, 90. 18. & ſeqq. Vicarius Capitularis, 91. 20.

Vnctio eXtrema, Eius materia, forma, Miniſter, ſubiectum, & effectus, 223. 3. & ſeqq. Obligatio eam ſumendi, 228. 9.

Vſura. Quid & quotupleX, 555. 1. & ſeqq. Obligationes, & pœnæ vſurarij, 559. 10. & ſeqq.

FINIS.

ANT 1315 695

Errata Corrige

Pag.	Lin.	Errata.	Corrige,
17	14	vei	vel
21	24	alijque	alijſque
31	2	Teram	Terram
37	32	Petr	Petri
46	24	Galaſij	Gelaſij
60	5	inſignijs	inſignibus
66	1	mansferatnr	transferatur
66	24	Geneſis	Geneſi
67	32	vnū diuidet tamquam	vnum tamquam
103	2	ſtriſto	ſtricto
119	13	celebraut	celebrat
136	1	præſenti cod.	præſenti
163	19	iolum	ſolum
165	31	reſernareturu	reſeruaretur
165	32	ſe	ſeu
189	6	nutritudine	nutrimur
198	25	coutrahtur	contrahatur
237	6	Presbiterum	Presbiteratum
250	32	coniug.	coniugali.
256	19	validotatem	validitatem
281	17	conſens.	conſenſu
281	19	nobin	nobis
282	15	&. vn	& l.vn.
299	12	ſubleuandum	ſubleuandam
312	7	Iudicis	iudicij
331	27	iuxta	iuncta
389	3	dicuſitur	dicuntur
467	16	deterrebatur	deterrebantur
470	12	ſtotum	totum
478	1	innureretur	inureretur
529	25	liber aliter	liberalitec
541	32	alis	alijs
542	30	acciperant	acciperent
559	2	vſura	vſuram
577	14	ammitti	amitti
593	12	tūnc namen	nunc tamen

XIV
B 39